John
Crawford,
M.D.

DISPUTATIONES
AD MORBORUM
HISTORIAM ET CURATIONEM
FACIENTES.

QUAS COLLEGIT, EDIDIT ET RECENSUIT

ALBERTUS HALLERUS.

TOMUS TERTIUS.

AD MORBOS ABDOMINIS.



LAUSANNÆ,

Sumptibus MARCI-MICHAEL. BOUSQUET & Socior.

MDCCLVII.

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

19224

Crawford.

DISPUTATIONUM AD HISTORIAM *ET* CURATIONEM MORBORUM PERTINENTIUM.

PARS TERTIA.

MORBI ABDOMINIS.

LXXIII.

J. JACOBI RITTER

DE

IMPOSSIBILITATE ET POSSIBILITATE ABSTINENTIÆ LONGÆ A CIBO ET POTU.

OCCASIONE

PUELLÆ FRUTINGENSIS DIT. BERNENSIS INEDIAM LONGAM SIMULANTIS.

DISSERTATIO:

Baſileæ 4. Octobris 1737.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
LYRASIS Members and Sloan Foundation

http://archive.org/details/dispadm03unse

Library of the UNIVERSITY OF MARYLAND 1813 SCHOOL OF MEDICINE

PROOEMIUM.

§. I.

EA *quandoque eſt mortalium natura & indoles, ut uſu rerum inſalubrium immo lethiferarum gloriam aliquam & famam ſibi conciliare ſtudeant; multa multorum extant hujuſmodi hominum exempla* (*a*) *gloriæ cupidorum, qui inedia longa ſimulata alios decipere tentarunt, & deceperunt. Helvetia noſtra ejuſmodi hominibus non deſtituta fuit, qui partim inedia longa & vera, partim conficta & ſimulata innotuerunt; tempora remota nobis exhibent* Nicolaum Subſilvanum *Vulgo dictum* der Bruder Claus (*b*) *qui ultra* 20. *annos vitam ſine cibo & potu protraxiſſe, & anno* 1502. *deceſſiſſe dicitur. Recentiora* Apollonia Schreyer *celebriora fecit, quæ cum ſeptennio cibo & potu abſtinuiſſet, eorum tandem uſum repetiit.* (*c*) *Noviſſima tempora Helvetiam totumque fere Germaniam rumore Puellæ abſtemiæ* (*cui nomen* Chriſtina Kratzer) *impleverunt. Cujus accurationem hiſtoriam una cum diſquiſitione impoſſibilitatis & poſſibilitatis abſtinentiæ a cibo & potu occaſione ejus pro materia diſſertationis inauguralis elaborare & l. b. judicio offerre, cum haud ingratum id fore ſperemus, conſtituimus; & ordine ut procedamus, diſſertationem in tres partes dividamus, quarum* Prima *continebit hiſtoriam vitæ accuratam hujus puellæ cum obſervationibus in ſectione cadaveris ejus factis;* Secunda *pars de impoſſibilitate abſque cibo & potu vivendi aget, ſimulque puellæ inedia* (*an vera fuerit?*) *ſub incudem vocabitur, falſaque ea eſſe demonſtrabitur;* Tertia *probabilitates quaſdam obſervationibus tamen ſuffultas, vitam ſine cibo & potu protrahendi tradet.*

PARS

(*a*) Vid *Loſſau* M. D. *ausführliche Beſchreibung eines* caſus inediæ, 4to. *Hamburg.* 1729. qui omnia fere exempla adducit.

(*b*) Simler in appendic. Geſner. aliiq. tractat. cit. p. 34.

(*c*) Vid. Pauli Lentuli. M. D. tractat. de Appollonia Schreyer. quæ, cum 1604. tractatum edidiſſet, jam per triennium inediam paſſa fuit, quod vero ſeptennium durarit inedia, ex inſcriptione effigiei ejus, in Bibliotheca Bernenſi aſſervatæ, liquet.

PARS PRIMA.

Hiſtoriam vitæ & mortis una cum obſervationibus in ſectione cadaveris ejus factis ſiſtens.

§. II.

PUellæ hujus hiſtoriam, dum viveret, deſcripſerunt 1. D. *Hortinus* in diſſertatione ſua de miraculis habita Bernæ 1728. qui veritatem abſtinentiæ, quam nos ſimulatam credimus, defendere videtur; 2. cl. *Zieglerus* med. prof. Rintel. litteris ad patrem meum chariſſimum Oct. 1726. datis. 3. Celeb. *Jo. Jac. Scheuchzer* in ephem. natur. curioſ. anni 1733. p. 116-125. ex hiſce trium virorum deſcriptionibus & propria autopſia hiſtoriam accurate concinnatam lectori ſiſtemus ſequentem.

§. III.

Supra dicta *Chriſtina Kratzer* legitimo thoro nata an. 1697. in pago Æſchi præfecturæ Frutingenſis, Ditionis Bernenſis; ex variolis 2. ætatis anno utroque lumine privata fuit; ſtaturæ erat juſtæ, mediocriter macilenta, temperamenti phlegmatico-cholerici, genas rubellas, reliquam faciem ſubpallidam habebat variolarum cicatricibus inæqualem & aſperam, reliquis membris apte figuratis, capilli erant nigricantes, hirti; debilis ceterum corporis compages effecit, ut ſæpius infirmitate & lipothymia levi de cauſa obortis infeſtaretur; præterquam quod fila pollice ducebat, juventutem meditationibus profundioribus de rebus ad ſalutem ſpectantibus, colloquiiſque piis tranſegit; adultior facta miſteria S. S. explicare, ſimulque prophetiſſam agere incepit; enthuſiaſmo dein ſe correptam fingens, vicinos circumquaque quamvis ſatis aſtutos, ſed novitatibus in rebus Theologicis deditos alliciens, a vera ad ſalutem via abducere, & novam ſectam conſtituere cœpit. An. 1718. cum parentibus ſuis dira paupertate preſſis Palatinatum locaque vicina petiit, ubi per tres cum dimidio annos commorata febre ardente afflicta fuit, ſed reſtituta ulcus cacœthes tibiæ ſiniſtræ in patriam reportavit; domi dein ſæpe repetitas, ſed maxime debilitantes venæſectiones poſtulabat, non ſine ingente ſubſecuta ſiti; reducem puellam enthuſiaſmus denuo corripuit, hunc vero ne triſtiores effectus exciperent, ex mandato illuſtriſſ. Magiſtratus Bernenſis an. 1723. in Arce Frutingenſi captiva detenta fuit.

Verno hujus anni tempore durante adhuc ſiti nauſeam quoque ſenſit tantam ab omni potu calido, ut ad quemvis hauſtum calidi vomitum pa-

pateretur; unde frigido tantum cibo & potu, aſt parciſſimo, pomis terreſtribus, (tuberibus ſolani eſculenti Papas dicti, C. B. P. 167. pr. 87. J. B. 3. 621. Boerhaav. index alt. 67.) nimirum utebatur, ſæpius per octiduum jejunabat, menſibus interea rite ſed parce fluentibus. Circa feſtum Pentecoſtes ejuſdem anni febre ardente rurſus laborabat, ex qua tantam contraxit debilitatem, ut neque ſola ſe movere, nec ſurgere lecto potuerit. Fama hujus puellæ tum temporis abſtemiæ cum ad aures illuſtr. Magiſtratus Bernenſ. perveniſſet; juſſu ejus die 16. Septembris una cum ſorore ſua e pago Aeſchi in Cœnobium Thorbergenſe transferebatur, in caſſum ringentibus parentibus, amicis, ſectatoribus, cœlum terramque moventibus, ne loco ſuo natali dimota hæc prophetiſſa ipſis eriperetur; metuendæ enim per inſpirationes ejus erant diſſenſiones in rebus fidei, in quas fere proni ſunt incolæ hujus regionis. Initio detentionis Thorbergenſis, curante illam ſorore, (quæ, ne ab ipſa divelleretur, enixe efflagitaverat,) quotidie 3 heminas menſuræ aquæ ſpirituoſæ ceraſorum nigrorum, ſeorſimque vini æqualem portionem, inde vero oborta nauſea, lactis & aquæ fontanæ, tandem ptiſanæ aniſatæ magnam copiam ſaccharo edulcoratam, conſumebat.

Die 13. Iulii 1725. convulſionibus nauſeæ fluidorum, & vomitioni junctis miſere agitari cœpit, quæ omnem fere vitæ ſpem præſcindebant, verum præterlapſis paucis diebus graviſſima hæc ſymptomata cum excretionibus fere omnibus & ſiti ceſſabant; quippe nec alvus reſpondebat, nec urina prodire, nec menſtrua amplius fluere viſa ſunt, quæ antea ſatis regulariter ſe habebant. Ab illo autem tempore impoſſibile ipſi erat ſive ſolidi ſive fluidi quicquam abſorbere, frequentiſſime tamen os aqua colluebat; ſomnus erat fere nullus, interruptus, ſubinde per trimeſtre ſuſpenſus, pulſus æqualis ſed debilis. Principio inediæ abdomen flatibus diſtentum in latere ſiniſtro pectoris & dorſi dolores tenſivos, ciebat, qui diutius tamen in dorſo quam pectore affligebant.

Caſum huncce tum temporis ſpectatiſſ. præfectus loci Senatui Reip. Bernenſi litteris ſub 24. Martii 1726. communicavit; ex hujus dein mandato phyſicorum & chirurgorum quidam iter illuc inſtituerunt, ſed ob negotiorum in urbe copiam in omnes circumſtantias inquirere, tempus requiſitum impendere, non potuerunt, ſicque effato tam Chriſtinæ, quam ſororis confidentes, nullum dolum latere ſuſpicati ſunt; reduces hinc ad ill. Senatum de caſu, & ſucceſſu experimentorum cum illa inſtitutorum retulerunt: varia enim experimenta non ab iis tantum, ſed multis aliis tam indigenis, quam extraneis inſtituta fuere: nimirum lactis cochleare ipſi porrectum, & exhauſtum, vomitum cum excretione pauxilli cruoris producebat; illa vero os contractum quaſi haud facile aperire, multo minus linguam exſerere poterat; effectus ſane convulſionum prægreſſarum; clyſmata ex decocto carnium cum ₒ°ₒ chamomil. fruſtra applicata aliquoties, injecta tandem non rediere. Fragran-

tia naribus admota animi deliquium cum irrito vomitu excitabat. Vini guttula folio ſalviæ adhærens nauſeam, horripilationes, & anxietates præcordiorum producebat. Ad Syrupi N. M. conditæ guttulam deglutitam animam fere efflabat, quinquies oborta ventriculi inverſione, abſque materiæ ejectione; niſi quod circa id tempus mucus piſi magnitudine ex eo excutiebatur, ſuffocationis metu per horæ ſpatium durante. Ad hæc, natura adeo valide reluctante, experimenta per aliquod tempus ſuſpenſa fuere,

Die 30. Auguſti mane in lipothymiam prolapſa, ad inſtar moribundæ jacebat, hæcque exſtaſis per octiduum eam omnium ſenſuum uſu privaverat, ita ut maximo ſtrepitu, & altiſſima voce, & ſummis odoriferis excitari haud potuerit, ſed immobilis, ſemper jacuerit. Pulſus alias naturalis tum remittebat, donec 5. die Septembris ej. anni uſum loquelæ & ſenſuum liberum nacta omnium prægreſſorum immemor ad ſe redierit, conquerens de dolore cordis tenſivo, & ingenti debilitate, ita ut ſpatio 4. ſeptim. os ultra pollicis latitudinem aperire, nec more ſolito, ut antea, colluere potuerit præſente ſimul ſenſu doloris circa articulationem maxillæ inferioris: ad tactum cutis veſtigia rubicunda manent; ungues reciſi recreſcunt; ſudor in vola manus & digitis continuus reliquo corpore ſparſim ſentiebatur.

Reſpiratio difficilis integro tamen thoracis arcu & diaphragmate peracta obſervabatur.

D. 14. Sept. ej. anni aliquot clyſteres ex ſero lactis cum fruſtulo ſaponis veneti partitis vicibus diverſa quantitate injectos, & poſt 3. horas ſine comite alia materia redditos incoloratos, ſequebantur ardor inteſtinorum, conſtrictio ani valida, ita ut orificium tubuli vi aperiendum eſſet; cordis & totius corporis tremor; animi defectio; pulſus velocior & plenior; reſpiratio vero fortior; quod mirum non eſt, nam & in colica ſpaſmodica ac flatulenta ſæpe enemata immutata abſque excrementis rejici cernuntur; unde ab eorum ſolitaria regurgitatione & ſimplici, ad abſtinentiam diu toleratam concludere & argumentari minime tutum eſt; facile enim clyſmata ad valvulam coli, ſed non ultra aſcendunt, & hinc materiam fœculentam in tenuibus adhuc hærentem non attingunt, adeoque frequenter ob ſpaſmum non ſecum educunt, immo quandoque conſtrictiones inteſtini recti vel enema plane non admittunt, vel altiorem ejus aſcenſum præpediunt.

D. 15. Sept. tres guttulas lactis vaccini tepidi minimo digito collectas aſſumebat, & deglutire videbatur, ſed mox faſtidium ſtomachi excitatum eas magna vi repellebat, ſubſequentibus horripilationibus & debilitatibus ſummis. (*a*)

Ad

(*a*) Hucuſque relatio nob. Ziegleri.

Ad dolorem thoracis & cordis conſilio nobiliſſ. *Ziegleri* unguentum ♂atum applicatum fuit, ponderis ſenſum excitans, qui eo ſublato ceſſabat. Odorifera quandoque admittebat, quandoque reſpuebat.

Die 12. Aprilis 1727. juſſu medicorum cœtus *Mar. Magdalena Stæmelin* Thorbergam miſſa, ut ægrotanti aſſiſteret, & binos quotidie injiceret clyſteres, eamque Balneo immitteret; ad hæc vero incaſſum tentata ex voluntate magiſtratus ſupplicans ægra ſibi permittebatur.

Cerumen utriuſque auris parcum ſed tenaciſſimum, oculi nonnunquam madentes ſerumque ſtillantes prægreſſo ut plurimum capitis dolore obſervabantur; vox erat nunc magis, nunc minus ſonora; lingua vero ſemper humida; frequentior loquelæ uſus, ſudores, debilitates, & murmura ventris producebat. Cæterum rationis ſemper compos joco etiam aliquando delectabatur. Habitus corporis fere idem ſemper; quamvis a 13. Julii an. 1725. referente ſorore nec cibo nec potu uſa fuerit.

D. 18. Aug. nauſea aquæ ſubita orta fuit, qua tamen antea ſedulo os humectaverat, eamque putridam ſibi videri aſſerebat. Inde ab eo tempore quam rariſſime, quod ajunt, aqua uſa fuit. (*a*)

Fama miſeræ hujus puellæ longe lateque diſperſa magnum omnis fere conditionis hominum concurſum ad ſe excitabat. Interea novus Præfectus deceſſori ſuccedebat, qui hæc omnia ſuſpecta habens ſequenti modo ſe ad rei veritatem pervenire poſſe exiſtimavit: nimirum ſuſpicionem quam habebat, Chriſtinæ abſtemiæ aperiebat ſequentibus (ut ipſe mihi retulit) verbis: *Se ſpatio 24. horarum veritatem rei detecturum*, ad id *nihil aliud requiri ſibi perſuadens, quam ut puellam in proprium domicilium transferri, & a ſorore ſua ſeparari, & ſub cuſtodia per id tempus arcte obſervari jubeat*; id quod illa ſatis tranquillo animo accipere videbatur: ſed quid fit? Sequenti die qui erat 14. Sept. 1728. ſpectat Dn. Præfecti ſororem, ut ad ſe veniret, rogavit, qua dein præſente de moleſta ſiti conqueſta, potum appetit: Nob. Dn. Præfecti ſoror attonita communicatis cum fratre conſiliis, parciſſimam copiam ſeri lactis ex cochleari propinandam offerebat, cujus deglutitionem primam difficilem oris contorſiones, at nullus vomitus excipiebant; (an forte ſimulando hos & alios motus effecerat?) ad alteram deglutitionem motus jam ceſſabant, illaque multo facilior fiebat. Urina tum quoque prodiit, die inſequente auctam ſeri lactis copiam eadem facilitate propinabat, urina juſta copia ſecedente. Tertia die pultem ex ovis & cremore lactis. Quarta panem toſtum ₒ°ₒ olivarum recenti illinitum; quinta carnem minutiſſime ſectam ingerebat, quæ omnia rite ſubacta & immutata alvo egrediebantur; tributum lunare debite ſolvebat: inde etiam fa-

(*a*) Hucuſque relatio in ephem. n. c. ubi tamen appetitus redeuntis ſed exemis digitis ſolum mentio facta.

ſacies paulo repletior, pulſus vegetior, ſudor vero copioſior reddebantur, genis magis rubentibus. Ab eo tempore varios ferre poterat cibos, tenuiores præcipue, imo ſe vino denuo ad ebrietatem uſque aſſuefacere incepit, ut quotidie 4. aut 5. menſuras ingurgitaret, vix autem ſitim extingueret; mox hæc abhorrens aquæ eandem copiam bibebat, appetitu interea aucto. Poſt hæc ab aquæ frigidæ potu ceſſans calido infuſo Thee delectabatur, uſque ad 17. Septembr. an. 1733. quo placide abſque ullo alio prægreſſo morbo diem obiit ſupremum, ætatis ſuæ 36. poſtero die in urbem Bernam translata ſectione ejus anatomica ex mandato ampliſſim. Senatus inſtituta ſpectatorum oculis obtulit ſequentia,

§. III.

Aperto abdomine ventriculus conſpiciebatur parvus, oblongus cavo ſuo non multum ſuperans illud coli, liquoris nigricantis uncias circiter duas continens, tunica villoſa abraſa, reliquæ rubentes nimis ſignum erant incipientis inflammationis. 2. Duodenum juſtæ magnitudinis exhibuit ejuſdem liquoris ℥j. 3. Inteſtina reliqua flatibus diſtenta deprehendebantur, 4. Ambo ventriculi orificia patula; 5. Hepar magnum, finis lobi dextri ſub ceruleus, veſicula fellis parva, hujus fel tenax, & reſinoſum. 6. Lien & Pancrecus naturalis magnitudinis & habitus obſervabantur. 7. Ductus cholidochus & pancreaticus duodeno inſerti, 8. Renes oblongi, grandiuſculi, naturaliter conſtituti, veſica urina repleta; 9. In ovario dextro portio ſanguinis extravaſati, coagulati, cum parva lymphæ copia inveniebantur. 10. In fundo uteri tria corpora globoſa pellucida lentis magnitudinem æquantia, & lympha turgida viſa ſunt. (an forte ova?) 11. Pectori & pericardio multa aqua incluſa fuit (an forte effectus lentæ circulationis). 12. Pulmo dexter anterius & poſterius coſtis, ſcapulæ & diaphragmati arcte annexus, uterque ichoroſa materia ſubſtantiam ejus jam jam corrodente repletus occurrit. (an hæc connexio difficilis reſpirationis & vocis debilis cauſa?) 13. Ad vaſa cordis majora tubercula nigra ſpectabantur. 14. Antris cordis nihil præternaturale inerat. 15. In collo cernebantur glandulæ ſtrumoſæ, quarum maxima ovi magnitudinis aſperæ arteriæ & ſiniſtroſum ſuperiori parti æſophagi adhæſit: Cutis fere ubique alba, tenera, muſculi exſucci, flaccidi, membrana muſculorum pinguis præcipue in ano craſſitiei duorum digitorum. 17. Vaſa tam externa quam interna ſanguine inania fere, 18. Omentum tenuiſſimum ſacculis adipoſis vacuum in conſpectum venere. 19. Circa regiones iſchii & in natibus læſiones cutis Thaleri magnitudinis repertæ fuerunt. Hæc ad ſectionem.

§. IV.

§. IV.

Qui nunc paulo accuratius hunc caſum examinat, omnes circumſtantias in hiſtoria (§. III.) contentas perpendit, ut & harum comparationem legitimam cum iis, quæ de abſtinentia, & anorexia paſſim in libris practicorum leguntur; inſtituit; facile judicabit, hunc caſum ad abſtinentiæ morbum ceu nomen generale, vel anorexiam ſingularem referri poſſe. Abſtinentiam variam eſſe, cuilibet perſpicuum eſt; aliam miraculoſam, cujus exempla nobis S. S. ſuppeditat; aliam piam, religionis ergo quæ obſervatur; aliam iterum neceſſariam, quæ a paupertate nonnunquam inducitur; & per tempus revera protrahitur; aliam morboſam; confer. Mangeti bibliot. med. practic. p. m. 84. ſub tit. anorexiæ. Rurſus aliam fictitiam, quando homines appetitum & uſum cibi & potus primo celare ſtudent, tandem vero corpus revera abſtinentiæ ferendæ aſſueſcunt, ſed eo ipſo ſæpius in anorexiam & alios morbos incidunt; cui ultimæ ſpeciei affinem fuiſſe eam noſtri caſus contendimus.

§. V.

Puella hæcce a teneris annis ſemper parciſſimo uſa cibo; 2. Febre ardente bis correpta; prima vice ulcus cacoches criſi ortum illam afflixit; nonne acredinis ſanguinis & pravæ ejus diſpoſitionis ſignum? 3. ſitis immenſa ſecuta; ordinarium abſceſſuum magnorum Symptoma. 4. Reconvaleſcens parciori cibo utens, nauſea calidorum corripitur, frigidos ſolos aſſumens; unde hæc, niſi a prava diſpoſitione ventriculi? nonne ſimile quid puellis ictericis accidit, quibus appetitus depravatur, & ad abſurda diſponitur? forte copioſus radicis ſolani tuberoſi uſus ſtomachum gravantis ſine dubio, & ob multam terram humidum ejus abſorbentis appetitum impedivit? 5. Per biennium fere, ſcilicet a 16. Sept. 1723.. ad 13. Julii 1725. nullos cibos ſolidos, ſed fluidos ſolum, ut aquam ſpirituoſam ceraſorum nigrorum, lac, aquam, aſſumpſit; ſtatus morboſi ſignum; 6. a die 13. Julii 1725. omnis uſus fluidorum penitus ceſſavit (ſi fides ſorori ipſius habenda cujus teſtimonio hæc nituntur;) interea os aqua colluit quam rariſſime; haud dubie ſtatus morboſi incrementum? quæ abſtemietas ab eo die uſque ad 18. Aug. 1727. ſic ultra biennium duravit; notandum tamen hæc nullo alio fundamento præter effatum ſororis inniti, cui hæc proferre maxime intererat, nam affluxu hominum fama ejus adductorum emolumentum haud exiguum capiebat; quis dubitabit, lucri deſiderium & ſanctæ famam hæc proferre illam non impuliſſe?

Quantum religio potuit ſuadere malorum; *Lucret.* 70. quamdiu alimentis ſolidis & fluidis utebatur, tamdiu menſtrua rite fluxerunt, ceſſan-

te vero illorum uſu, ceſſarunt hæc quoque 8 die 18 Aug. 1727. nauſea aquæ oborta fuit: ab eo die ad 14 Septembr. 1728. uſque nec ſolidis nec fluidis illam uſam ajebat ſoror; an vera dixerit dubito? proferre poterat quæ volebat; nulla enim cautela veritatem detegendi ob adſtantium credulitatem adhibita fuit, effata Sororis & Chriſtinæ pro oraculis habentium; nauſea aquæ nonne ſtatus morboſi ſignum? naturale equidem non eſt ab omni fluido, & quidem naturæ gratiſſimo abhorrere.

§. V I.

Scholion. Abſtinentia ſolidorum a 16 Septembr. 1723. uſque ad 13 Julii 1725. ſic per biennium fere; abſtinentia vero fluidorum & ſolidorum ſimul a 13 Jul. 1725. ad 14 Septembr. 1728. ſic per 39 menſes duraſſe relatum eſt; (confer. n. 6. §. præc.)

§. V I I.

Permultæ apud authores exiſtunt obſervationes eorum qui anorexia, & inedia aut abſtinentia a cibo & potu laborarunt; inter quos noviſſime Miſcellan. Phyſico Practica An. 1722. m. Jul. p. 102. 103. impreſſa Erfurti mentionem faciunt puellæ, quæ per 25 menſes nec comedit quicquam, nec excretionum ſenſibilium aut inſenſibilium edidit ſigna, corpore ejus leviſſimo exiſtente; alia fæmina adeſt Romana, quæ per 20 dies a cibo & potu abſtinuiſſe dicebatur. p. 935. Anni 1730. plures videre cupiens adeat Authores †. Quæ vero omnes inter ſe collatæ ad 3 potiſſimum claſſes referri poſſunt, 1. Claſſis continet miraculoſas, quæ ex ſuſpenſione legum naturæ factæ, ut inedia Moſis (Exod. XXXIV. 28.) Eliæ (1. Re. XIX. 8.) quæ ideo miraculoſæ ſunt, quod nemini hominum, ſed ſoli rerum Arbitro ſummoque moderatori hoc competat [a] has tollere leges. 2da. veras. 3tia. confictas complectens.

PARS

(†) Vid. *Loſſau* tractatum, qui ſequentes, pluresque adhuc adducit authores *Albertus magnus* lib. 7. de animalibus tract. 3. cap. 3. de abſtinentia long. *Georg. Horſtius* obſ. med. lib. 2. obſ. 1. *Joſeph. Quercetanus* diœtet: polyhiſt. lect. 2. c. 4. dd cibo & potu, p. 211. *Rhodius* obſ. med. a *Caſpar. Schott.* phyſ. *Sennertus* lib. 3. Henric Smetii miſcell lib. 15. Guil. *Rondeletius* tract. de piſcibus lib. 1. *Aug. Thonerus* obſerv. med. lib. 2. obſ. 6. *Tulpius* obſ. l. 1. c. 43. *Avicenna* libr. 1. ten. 3. doctr. 5. c. 2. de cibi abſtinentia longa. *Anton. Benivenius* c. 108. de diuturna abſtinentia. *Guilielmus Fabricius Hildanus* obſervat. chir. cent 2. obſ. 40 42. cent. 1. epiſt. 69. 77. cent. 4. obſ. 30. cent. 5. obſ. 33. *Fortunius Licetus* de his qui vivunt ſine alimento.

[a] Quomodo hoc poſſibile ſit videre eſt apud *Connor.* in Evang. Medici. p. m. 56. artic. 8.

PARS PRIMA.

Impoſſibilitatis abſque cibo & potu vivendi demonſtrationem ſiſtens.

§. VIII.

AD hanc quæſtionem enodandam præmittenda eſt definitio vitæ, ut hac poſita poſſimus legitimum inferre raciocinium.

DEFINITIO I. Vita eſt motus progreſſivus ſanguinis & humorum in circulum ambiens; ab impulſu cordis & arteriarum, nec non ab elatere fibrarum productus [*b*] perpetua & neceſſaria viciſſitudine aſſumptionum, ſecretionum, & excretionum totum corpus conſervans ejuſque functiones gubernans [*c*].

§. IX.

Corollarium I. Sequitur itaque; cordis motum cauſam eſſe ſanguinis motus, adeoque vitæ (l. c. §. 6.) [*d*] ſed cauſa motuum vitalium eſt ſanguis [*e*] (§. 15. cap. 3. T. 1. lib. 1. ſect. 1. Hoffm. Med. Rat. Syſt.) Sanguinis cauſa cibi ſunt omnis generis, & potus.

§. X.

Corollarium II. Invertendo itaque raciocinium §. 9. allatum, dicere nobis licebit; deficientibus cibis & potu, deficiet ſanguis; motus cordis; vita; id eſt ſequetur mors. Q. E. D.

§. XI.

Scholion. Neceſſitatem aſſumendi cibi & potus ac reſtaurationem partium

 per

[*b*] Confer. *Hoffm.* med. rat. ſyſtem. T. 1. lib. 1. ſect. 1. cap. 2. Ed. Venet. de vita ejuſque cauſis §. 11. p. 64.

[*c*] *Bohnius* in circulo anat. prog 7. p. m. 115. aliæ vitæ definitiones adduci poſſent, ſed quia omnes eodem redeunt, ſuperfluum eſt; Boerhaavius illam definit, inſt. med. §. 45. & 695. *quod ſit exercitium actionum vitalium*, *naturalium*, *& animalium.*

[*d*] Confer *Bohn.* circ. an t. prog. 5. p. 55. & 72.

[*e*] Naturam ſanguinis deſcripſerunt *Lewenhœk.* in arcan. nat. p. m. 39. Cel. *Schreiberus* Ruſſicæ Imperatricis Archiater, in Elem medic. T. 1. Phyſiol. Part. I. cap 11. §. 176. ſeq. naturam ſanguinis experimentis, & inde deductis ſolidis ratiociniis ſtabilivit, vid. Cl *Bohn.* l. c. prog. 13 p. 186 Nec cum *Sennerto*, *Conringio*, & *Fernelio* calidum innatum, nec Archæum, nec flammulam, nec humidum radicale, cauſam vitæ ſtatuimus, utpote hæc verba ideis ſunt deſtituta.

per hos demonſtrant mutationes adeo conſpicuæ, quæ ſemeſtri ſpatio hominem aliquando renovant [*f*]; unguis notetur macula aqua forti facta in lunula, ſpatio *6.* ſeptiman. Stigma illud ad ultimum unguis progreſſum, reſecabitur; in oſſe cum ſubſtantiæ deperditione fracto, mollis renatus callus per longitudinem ſeptem ſeptiman. vacuum replet, totidemque aliis in os indureſcit [*g*]. Immo ſanitate ipſa homo perpetuo deſtruitur, & machina brevi interiret, niſi corpora eſſent extranea, quibus illud damnum reſarciri poſſet; quæ in noſtrum corpus vi fluidorum noſtrorum converti debent [*h*].

§. XII.

Ut autem neceſſitas aſſumptionis cibi & potus pro ſuſtentanda vita eo clarius pateſcat, ex natura tranſpirationis illa derivanda eſt. Principia ergo quædam ponenda ſunt, 1. *Sanctorius* in ſuo tractatu de inſenſ. tranſpiratione (Aphoriſm. V. de ponderatione) demonſtravit, perſpirationem inſenſibilem longe ſuperare omnes reliquas excretiones [*i*] 2. Homo ſanus 150. libras ponderans temperamenti bene conſtituti quotidie 50. mam. nutrimenti ſui partem conſumit, in ſuamque ſubſtantiam convertit [*k*]. Ponamus cum Cl. *Bernoullio* (Diſſ. cit.) ejus victum quotidianum eſſe librarum octo; erunt $5\frac{3}{25}$ ſemunc. 50ma pars harum; itaque tantum ſubſtantiæ deperdit; fingamus hunc virum nihil extus aſſumere; quia vero quotidie $5\frac{3}{25}$ ſem. conſumuntur, intra biennium & $207\frac{1}{2}$. dies totam ejus corporis maſſam conſumptam iri, inque auras avolare neceſſe eſt [*l*]; quid aliud inde elicitur? Quam quod in hypotheſi conſumptionis, quomodocunque hæc fiat, impoſſibile ſit abſque cibo & potu ſubſiſtere.

§. XIII.

Corollarium III. Quotidie quinque libræ humorum noſtrorum ſubtiliſſimorum per tranſpirationem inſenſibilem diſpereunt, manemus tamen iidem; quia tantum & tale ab intus applicatur, quantum & quale amiſimus [*m*]; ut vero hæc reſtauratio fiat, non tantum in ſanguinem debet infundi copia chyli ſufficiens: nam virgines pallidæ debiliſſimæ, licet

[*f*] Negat hoc *Keil* de ſanguinis copia p. 15. 16. Argumentis vel parum validis, vel falſis; affirmat Cl. *Bernoullius* in diſſ. de nutritione, §. 16.

[*g*] Negante hoc *Bohnio* l. c. progym. §. 7. de nutrit. p. 118.

[*h*] Quomodo hoc fiat docet Cl. *Bernoullius* diſſ. cit. §. 10. 11. 12. & *Boerhaave* inſtit. med. §. 435

[*i*] Cel *Keil.* Londini & Ill. *Dodart* Pariſiis idem invenerunt.

[*k*] Confer. Cl. *Bernoulli* diſſ. cit. §. 16. ex qua hæc deprompta ſunt.

[*l*] Diſſ. cit. §. cit.

[*m*] *Boerhaave* inſtit. med. §. 436.

cet perpetuo cibos ingerunt, haud fiunt robuſtæ, aſt manent debiles; ſed debet is aſſumptus humor, per ſolidorum, liquidorumque vim ita elaborari, ut minima vaſcula perfluat, deponaturque in cava a deperditis elementis [*n*] relicta.

§. XIV.

Corollarium IV. Poſita vigente tranſpiratione, neceſſitatem cibi & potus ad ſuſtinendam vitam in apricum productam putamus; non opus eſt itaque ad aërem confugere, cujus naturam balſamicam [*o*] (nec demonſtratam nec demonſtrandam [*p*], inſufficientem huic negotio aſſerimus; Ponamus aëris ſubſtantiam cum *Newtono ex ſubtiliſſimis filamentis ſpiralibus ad inſtar lanæ conformatis;* concedamus ejus exiſtentiam [*q*] & mixtionem in ſanguine ſive illa fiat in pulmonibus [*r*], vel ingrediatur cum chylo vaſa lactea [*ſ*]. Quo modo ejus cum ſanguine aſſimilatio & aptitudo demonſtrari poteſt? cum omne id, quod ſanguini nutrimentum ſuppeditat, ejuſdem cum illo naturæ eſſe debeat; nutritioni enim deſtinatus humor debet cum noſtris humoribus circulum ſubire, per infinitas ſecretionis & mixtionis elaborationes præparari, & inter globulos liquorum noſtrorum tornari, in globulos ſolidos compactoſque primum ſanguinis, dein minores minoreſque, donec eo devenerint minutiæ, ut corpori humano elementi loco eſſe poſſint, mutari. Sanguis enim conſiſtit ex globulis rotundis purpureis in lympha gelatinoſa ex globulis multo minoribus compoſita natantibus [*t*]. Monſtretur nunc modus connubii elaſtro-

[*n*] Cel. *Hoffm.* T. 1. p. 11. c. 11 §. 5. 6.

[*o*] Statuo cum *Boerhaavio* in Elem. Chym. T. I. P. II. p. 461. Edit. Holl. *Aërem chaos illud univerſale, quo omnis ferme generis corpuſcula ſimul confuſa conſtituunt aggregatum diverſiſſimis conſtans rebus*, invenit Cl. Vir præter alia multa in illo contenta, ignem, aquam, olea quæcunque p. 485. quæ tamen minime nutritioni & ſuſtentationi corporum noſtrorum, ſed *igni ſuſcipiendo*, *alendoque* apta cenſet; ſalia in illo non negat, p. 486. quæ vero ſolum ex vegetabilibus a terra ſua liberata in aërem elevàta proveniunt.

[*p*] Vid. *Kunckel a Leuvenſtern* Chymiſche Schrifften.

[*q*] Negante *Leuwenhœkio* in Arçanis naturæ p. 40.

[*r*] Quam negat Cl. *Hoffm.* Tom. I. lib. 1. ſect. 1 cap. 7. §. 24. impoſſibilitatem intromiſſionis aëris in ſanguinem per pulmones declarat *Mangetus* in Theatr Anatom. T. II. p. 25. diſtinguere videtur *Boerhaavius* inter aërem craſſum & ſubtilem, prioris ingreſſum per pulmones negat §. 201. Inſtit. Med. Poſterioris vero concedere videtur. Sententiam de admiſſione per pulmones fovet *Majow* in opuſc. medicis cap. 7. p. 94.

[*ſ*] Hæc via enim mihi maxime naturalis videtur, quam non negat *Bergerus* in Phyſiol. cap. 4. de reſpir. p. 44. ſeqq. contrariæ ſententiæ tamen magis adhærens experimentis ut putat firmatæ p. 47.

[*t*] Confer. *Hoffm.* l. c. c. 5. de ſanguinis natura. & *Boerhaav.* §. 226. *Leuwenhæk.* l. c. p. 39. & *Schreiberum* Phyſiol. lib. 1. §. 198.

ſtrorum aëris licet minutiſſimi; & tranſmutatio eorum in ſanguinis ſeri-que lymphæque globulos ?

§. XV.

Corollarium V. Ponamus aëri ineſſe vim aliquam nutritivam; eam tamen inſufficientem eſſe ad vitam hominis conſervandam, exempla eorum monſtrant, qui fame pereunt.

§. XVI.

Scholion. Poteſt tamen in corpus per poros noſtros intrare aër; & in liquidum mutari, uti hoc factum viſum eſt in obſ. *Michelotti* de Virgine, quæ per diabetem intra paucilſimos dies copiam urinæ ſui corporis pondus ſuperantem reddidit; nonne id ſignum acceſſionis ex aëre intrante per poros cutis, qui aquam, Mercurium quoque admittunt ?

§. XVII.

Scholion. Quamquam hypotheſis (§. 14.) eſſentiæ aëris aptiſſima ad explicanda aëris phænomena; pro vera non ubique eſt recepta; & multi Philoſophi ejus eſſentiam adhuc incognitam confitentur; quomodo nunc incognita aëris eſſentia ejus vis nutritiva inde deduci poteſt [*u*] ?

Sed redeamus e diverticulo in viam, & tentemus: an impoſſibilitatem abſque cibo & potu vivendi calculo Mathematico probare poſſimus ? Præmittamus quaſdam definitiones.

§. XVIII.

Definitio I. Excretiones ſenſibiles voco illas quæ fiunt per alvum, urinam, ſalivam, menſes, mucum narium, cerumen aurium, ſudorem: & per poros corporis majores.

§. XIX.

Definit. II. Per *excretiones inſenſibiles* intelligo tranſpirationem per poros corporis minores.

Scholion. Inſenſibilis tranſpiratio partim ex alimentis ingeſtis, partim ex veteri materia, quæ in ſubſtantiam corporis converſa eſt, provenit; conf. Cl. *Bernoullii* Diſſ. cit. de Nutr. §. 17.

§. XX.

[*u*] Sufficiant hæc tentamini reſolutionis problematum a *Hortino*, l. c. propoſitorum.

§. XX.

Propoſitio. I. Alimentorum quotidie aſſumptorum quantitas (quam vocabo a) abit in 3. partes; 1. in excretiones ſenſibiles, 2. inſenſibiles, & 3. in ſubſtantiam corporis; ſit nunc prima pars $=$b. ſecunda $=$c. tertia $=$d, erit valor excretionis inſenſibilis ex aſſumptis a. c $=$a $-$b $-$d.

Scholion. I. In qua ratione hæ quantitates b, c, d, ſe habeant, videre eſt in Cel. *Bernoullii* diſſ. cit. §. 16. & apud *Sanctorium* l. c. ſufficit enim ſcopo noſtro valorem excretionis inſenſibilis determinaſſe, quæ ab aſſumptis & digeſtis alimentis demum fieri incepit, nullo habito reſpectu ad materiam jam in corpore præexiſtentem.

§. XXI.

Corollar. I. Quodſi b $=$ o. i. e. nullæ excretiones ſenſibiles procedant, erit c $=$ a $-$ d. quod egregie cum *Sanctorio* l. c. §. 4. conſonat.

§. XXII.

Corollar. II. Sit præterea tranſpiratio inſenſibilis nulla, i. e. c $=$ o. erit a $-$ d $=$ o. & a $=$ d. itaque in ingentem molem accreſcere debet, quando ſemper alimenta ingeruntur; confer. Cel. *Bernoullii* diſſ. cit. §. 20.

§. XXIII.

Corollar. III. Quodſi d $=$ o. i. e. nulla fiat alimenti converſio in ſubſtantiam corporis, conſequenter nulla ſubſtantiæ ejus deperditio; itaque corpus in eodem ſtatu maneat; erit tum valor aſſumptorum a $=$ b $+$ c. §. 20. qui eſt conſtans; quando itaque excretio ſenſibilis & inſenſibilis ſuccedit, tum requiritur alimentum.

§. XXIV.

Corollar. IV. Iiſdem poſitis impoſſibile eſt ſuccedentibus excretionibus tam ſenſibilibus quam inſenſibilibus ſine alimentis vivere. q. e. d.

§. XXV.

Impoſſibilitatem diu abſque cibo & potu vivendi duplici modo & quidem 1. ex natura vitæ (§. 8.) 2. vigentibus excretionibus tam ſenſibilibus quam inſenſibilibus (§. 23.) rationibus evidentibus, & calculo ma-

mathematico (§. 12.) demonſtrare hucuſque conati ſumus; caſum itaque hujus *Chriſtinæ Kratzer*, ſpeciali demonſtrationi adaptabimus, veritate aut falſitate ejus mox ſeſe proditura.

§. XXVI.

Ex recenſitis Phœnomenis *Chriſtinæ Kratzer*, ſequentia principaliora perpendemus, atque ad lapidem lydium vocabimus. 1. eſt; a d. 16. Septembr. 1723. uſque ad d. 13. Julii 1725. nullo cibo ſolido, ſed lacte, aqua ſpirituoſa ceraſorum uſam fuiſſe (n. 5. §. 5.) 2. a 13. Julii 1725. ad d. 18. Auguſti 1727. uſque, ab omni uſu fluidorum abſtinuiſſe, interea os aqua colluiſſe (n. 6. §. cit.) 30. d. 18. Auguſti 1727. nauſeam aquæ illam corripuiſſe, inde ab eo tempore uſque ad 14 Septembr. 1728. nullum plane fluidum aſſumſiſſe, ſicque abſque potu per 13 menſes fere vixiſſe (n. 8. §. cit.) 4 Menſes a 13 Julii 1725. uſque ad 14 Septembr. 1728. ſic per triennium cum bimeſtri ceſſaſſe (n. 3. §. cit.) 5. interea temporis ſudorem in fronte, in vola manus, linguam humidam, tranſpirationem inſenſibilem exceptis pedibus obſervatam fuiſſe (n. 9. §. cit.) 6. intra hoc tempus corpus ipſius, quod maxime notandum, non emaciatum, ſed ſemper in eodem ſtatu manſiſſe.

§. XXVII.

Attente phœnomena §. præcedente recenſita, & §. 12. conſideranti impoſſibilitas abſque cibo & potu vivendi vigente tranſpiratione luce meridiana clarius radiabit; nec ſibi religioni ducet, ut quibuſdam viſum, Chriſt. noſtram pro deceptrice vera habere; ne autem hoc nimis durum videatur, adhibeamus calculum ad convincendos eos, & juxta ductum §. cit. examinemus noſtrum caſum; cum vero tranſpiratio in noſtris regionibus non tanta ſit ac in Italia, ubi *Sanctorius* ſua experimenta inſtituit, etiam ejus quantitas tam pro ratione regionis, in qua habitamus, quam corporis ejus tenelli diminuenda eſt: *Sanctorius* [x] enim homini 150 libras ponderanti, & quotidie 8 libras cibi & potus conſumenti attribuit deperditionem 5 libr. circiter [y], ſed demus *Chriſtinæ* corpus 100 libr. ponderaſſe, quod circiter poſt mortem habuit; concedamus per momentum illam per 13 menſes plane nihil comediſſe; cum vero interea temporis ſemper tranſpiravit (n. 5. §. 26.) quæritur, quænam quantitas ſudoris amiſſa fuerit interea? Ponamus quotidie perdidiſſe 4 ſemuncias; ergo

[x] Aphoris VI. de ponder.

[y] Tranſpiratio in regionibus Septentrionalibus minuitur, Ill. D. *Dodart* Pariſiis invenit, rationem excrementorum ſenſibilium ad inſenſibilium eſſe ut 2 ad 3 & quandoque ut 4 ad 5.

ergo ſpatio 39 menſium (§. 6.) qui faciunt 1170 dies, (computato quolibet menſe per triginta dies) 146 libr. ejus ſubſtantiæ conſumptæ fuere, quod pondus, corporis ejus ſuperat; ſed unde hæc quantitas tranſpirat? Aut illa ab alimentis, aut ſubſtantia corporis, profecta fuit; ſed prius in noſtro caſu non ſtatuimus, ergo ſubſtantia corporis ſemel interea conſumpta fuit, & non ſolum ſemel mori, ſed & in nihilum redigi debuit, quod vero ſtatuere eſt abſurdum; quia itaque non in nihilum redactum, ſed corpus ſemper in eodem corpulentiæ ſtatu permanſit, (n. 6. §. 26.) Sequitur tantum per cibum & potum reſarcitum, quantum per tranſpirationem conſumptum, fuiſſe: id quod rationes perſuadebunt, ſequentes valde probabiles.

§. XXVIII.

Primam rationem deſumo ex ſtructura Cellæ, quæ duabus portis, & feneſtris, ita diſpoſitis gaudebat, ut unuſquiſque manibus illas attingere valeret; ita ut, poſito illam cuſtoditam fuiſſe, ſemper poſſibile fuerit alimenti quid in lectum, qui prope feneſtram ſitus fuit, projicere [z] 2. ex præſentia ſororis continua quam Chriſtina flagitavit & obtinuit, ita ut, cum Ill. Dominus Præfectus ſeparationem ejus minaretur, ea anxie attonita, precibus apud illum intercederet. Cui uſui nunc hæc ſoror? Nonne aliæ perſonæ Chriſtinam cuſtodire potuiſſent? Cur tanta reluctatio contra voluntatem Ill. Domini Præfecti; ſi nulla excrementa ediderit nullumque cibum aſſumpſerit, quid opus fuit ſorore, niſi quod illam fraudi celandæ aptiſſimam cenſuerit? 3tiam. Rationem mihi præbet credulitas hominum illam inviſentium, qui ad experimenta a Nob. Medico Scaphuſino cum illa inſtituta, quæ ſemper contorſiones oris, convulſiones ſequebantur, perterriti, ſibi non ſolum religioni plura inſtituere, ſed verbis ejus non fidem habere ſibi peccato ducebant. Sed quorum motuum voluntariorum ſtupendorumque homo non eſt capax? Videmus hoc in Saltatoribus, Pantominis, & iis, qui vomitum liquorum varie coloratorum ciere poſſunt [a], & monſtrant, quid tenax conſuetudo perficere non poſſit? 4tam. Cum Dominus Præfectus animum ſuum aperiret de tranſportatione & a ſorore ſeparatione, quid fit? poſtridie mane de ſiti conquerens potum petebat; cur tanta mutatio? cur potum petiit, ſi abſtemia vera fuerit; quænam ratio? cur potius hac occaſione quam alia illum deſideravit? cur tranſportationem non paſſa, ſi revera nihil comederit? cur inde ab eo tempore edere incepit palam? ſane nulla alia ratio mihi

[z] Notandum eſt Dn. Hortinum miraculoſi quid huic cellæ ineſſe, ſuſpicari cum ante 100 annos *Apollonia Schreyer* eandem quoque habitaverit.

[a] Confer. *Eraſmi Franciſci hiſtige Schaubühne* T. II. p. 288.

mihi ſubeſſe videtur, quam quod Dominum Præfectum prævenire, quam ab illo præveniri & fraudis convinci maluerit; ſane ſi nullius fraudis ſibi conſcia fuiſſet Chriſtina, æquo animo translationem, & ſeparationem per aliquod tempus a ſorore paſſa fuiſſet. Cur huic examini ſeſe ſubjicere renuebat, niſi quod ſe imparem ſenſerit? Melius ſe gerere non potuit, quam hac occaſione cibum & potum petere; cum enim honor & gloria pro abſtemia haberi, illam ad hanc inediam ſimulandam impulerit, uti hoc ex circumſtantiis omnibus vitæ ejus colligere facile eſt, & felicem ſatis ſucceſſum viderit, maluit potius hac occaſione quam neceſſitate coacta cibum & potum rogare; quod vero ſi eveniſſet, ſine dubio maximo opprobrio & contemptui expoſita fuiſſet, rumor ejus excitatus & cum illo confluxus hominum allatio munerum ceſſaſſent. Quod pro ingenii ſui acumine ſine dubio prævidiſſe videtur. 5. Ex facili deglutitione & excretione per alvum primi cochlearis ſeri lactis aſſumpti elicere licet 1. Oeſophagum, ventriculum, inteſtina, ductus urinarios, conſequenter omnes reliquos H.C. canales patulos fuiſſe. 2°. Omnes hos ductus tono ſuo donatos extitiſſe; ut autem hoc poſſibile, neceſſario fluidum hos ductus irrigare debuit; alias enim per continuam tranſpirationem fluidæ illæ partes quæ flexilitatem his partibus conciliant, conſervant, avolaſſent; fibræ rigidiores exſiccatæ collapſæ in unum corpus coaluiſſent, tonum deſtruxiſſent, & ulteriori affuſioni liquidorum tranſitum denegaſſent: exemplo ſunt foramen ovale, canalis arterioſus Bottalli, urachus, venæ umbilicales in infantibus ſenſim ob ſanguinis curſum per hæc deſinentem concidentia, & in partem ſolidam abeuntia [*b*]. Exempla & obſervationes recentes & antiquæ hunc collapſum probant. Nondum effluxere 5. anni, cum in Noſocomio Bernenſi Italus quidam amore captus a cibo & potu per 12 dies ob abſentiam objecti amati abſtinuerit; quibus elapſis, fame preſſus cibos petebat, quos porrectos non amplius deglutire potuit, ſicque fame miſerrime interiit. Haud abſimile quid *Chriſtinæ Kratzer* eveniſſet, niſi cibis caute & clandeſtine ſibi proſpexiſſet, 6. Omnes rationes ſupradictæ probabiles confirmantur haud dubie eo, quod die 5 aut 6 Septembris 1728 ab Honeſtiſſ. ſorore Ill. Dn. Præfecti obſervatum fuit; quæ ex improviſo cellam ejus intrans ſororem Chriſtinæ ambulantem edentemque, Chriſtinam vero in lecto manducantem quoque inveniebat; ad cujus aſpectum Chriſtina caput parietem verſus inclinabat, & ita ſe ejus viſui eripere conabatur: Honeſtiſſima virgo autem nihil ſe vidiſſe ſimulans fratri hæc referebat. Qui paucis elapſis diebus Chriſtinæ ſeparationem proponebat, quam vero impediendam repetitio potus & cibi preſſo pede ſecuta eſt, uti id recenſuimus n. 4. hujus §. Itaque hujus puellæ inediam effictam probare conati ſumus, & neminem de hoc amplius dubitaturum ſperamus.

§. XXIX.

[*b*] Foramen ovale enim clauditur, urachus non amplius pervius exiſtit; venæ umbilicales in ligamentum abeunt.

§. XXIX.

Phyſice itaque (§. 27.) & Mathematice ſufficienter (§. 23.) impoſſibilitatem inediæ, quam hæc Puella mentiebatur demonſtravimus, quam dein rei exitus corroboravit. Nemo tamen inficias ibit, hanc Chriſtinam paucis alimentis vitam ſuſtinere potuiſſe: a teneris enim annis parciori victui aſſueta, in provectiore etiam & magis tranquilla ætate idem vitæ genus continuare potuit; juxta proverbium. Conſuetudo eſt altera natura. Determinemus juxta ſuppoſitionem (§. 27.) factam quantitatem cibi & potus, quo opus habuit ad reſarciendam conſumptionem. Si homo ſanus 5que libras quotidie perſpirans cibi & potus libr. 8. conſumpſerit, Chriſtina noſtra quotidie 8. ſemun. perſpirans, $12\frac{4}{5}$. ſemunc. alimenti opus habuit; cui exiguæ quantitati lac, ſpiritus ceraſorum, aqua, quibus jam aſſueta, ſufficere potuerunt; mirum itaque non eſt, illam fraudem tamdiu celare potuiſſe; hos liquores enim Soror ejus ſemper ad manus, in proprios uſus, ut referebat, habebat.

§. XXX.

Phœnomenorum quorundam in noſtra Chriſtina occurrentium ratio jam eſt adumbranda. Ubi 1. occurrit *Reſpiratio difficilis*, quæ provenit a connexione pulmonum cum pleura & dorſo, teſtante ſectione Anatomica (n. 12. §. 3.) expanſio itaque eorum incompleta & aeris inſufficiens illapſus, hinc crebra reſpiratio; adde glandulas ſtrumoſas aſperam arteriam prementes, liberum aeris ingreſſum in tracheam impedientes, (§. cit. n. 15.) & forſan vomituum aut difficilis ciborum deglutitionis cauſam exiſtentes. 2. *Somnus parcus*; huc ſpectat 1. conſuetudo, 2. haud magna conſumptio ſpirituum per motum & laborem aut ſenſus externos; ſemper enim tranquilla in lecto jacuit, & oculis cœca, non multos ſpiritus itaque amiſit, qui per ſomnum reſarciri debuiſſent; non multo ſomno itaque opus fuit (*a*) 3. pedes frigidos ſemper habuit, (*b*) 4. *Somnus moleſtus.* in ſomno 1. major reſpiratio, profundior, robuſtior (*c*), 2. augetur motus cordis, pulmonum (*d*), ob connexionem vero pulmonum, hi ſe non ſatis dilatari, neque adeo ſufficientem aerem capere poſſunt, ergo reſpiratio difficilis, & ob reſiſtentiam quam pulmones à thorace patiuntur, ſanguinis circuitus in illis non recte procedit;

(*a*) *Hoffm.* t. 1. p. 3. c. 12. §. 15. confer. *Boerh.* inſtit. med. §. 591. n. 1. 2. 3. 4. 5. 7. quæ cauſæ ſomni in noſtro caſu exulabunt; itaque non tantus eſſe poterat.

(*b*) *Boerh.* inſt. med. §. 599.

(*c*) *Boerh.* inſt. med. n. 6. §. 590.

(*d*) *Boerh.* l. c. §. 597.

dit; cor itaque ſolito majorem ſuperare debet reſiſtentiam; ejus motus conſequenter totus ſanguinis circuitus in corpore intendi debet, fitque major ſanguinis affluxus in caput, ſecretio ſpirituum animalium ſolito copioſior fit, inde inquietudines, agrypnia. 4. *Omentum tenue membraneum fere*; hoc enim teſte ſectione eorum, qui longam inediam paſſi ſunt aut paucum alimenti aſſumpſere, ſemper membraneum & omni adipe deſtitutum inventum fuit. Quæ obſervatio confirmat recentiorum, (ut *Boerhaavii*, *Malpighii*, (*a*) *Heiſteri*, *Winslow.*) ſententiam, ſtatuentium, ibi intra ſacculos pinguedinis ſecerni oleum tenue, & ſubtile (*b*), quod nec humectationi inteſtinorum (*c*) ſolum, nec cum ſanguine in hepar fluxuro, ſecretionem & ſubſtantiam bilis intret, nec inviſcationi ſalium in ſanguine abundantium inſerviat, ſed in illo contineri quoque ſuccum nutritium, qui deficiente alimento per ramum ſplenicum, venam portarum (*d*) in hepate anaſtomoſin cum vena cava facientem in ſanguinem revehitur (*e*) illique alimenti loco inſerviat. Reliquis, utpote facile ex ſuperioribus enodandis, ſuperſedemus.

§. XXXI.

Monſtrata itaque inedia Chriſtinæ noſtræ fictitia, quiſnam illam inter miracula referet? (ut fecit Doct. Hortinus, in Diſſ. cit.) Qui ad aerem (vid. probl. 2.) aut plumas lecti (probl. 6.) aut virtutem hypocauſti nutrientem (probl. 8.) confugiunt, illi non confugiunt ad miraculum, ſed quærunt cauſas naturales, licet extraordinarias; cum vero D. Hortinus in Diſſertatione ſæpe jam cit. ad hæc recurrere, & audacter nimis miraculum ſtatuere videatur, dum rem naturalem licet extraordinariam pro miraculo accipit, ſibi contradicere videtur. Sed ne temere judicare videar; inquiremus uno adhuc verbo juxta diſſertat. cit. in criteria miraculorum, ubi §. 5. definiuntur, quod ſint *opera ſtupenda vires naturæ omniumque entium creatorum ſuperantia.* Sed quæſo eſt ne hoc *opus ſtupendum*, quod Puella per aliquod tempus potuerit anorexia laborare, uti id probavimus (§. 5.) anne nauſea ciborum ſolidorum, quæ morbus eſt, & ex meris cauſis naturalibus fluit, *omnium entium creatorum vires ſuperat?* quod itaque ex natura morbi, & cauſis naturalibus proficiſcitur minime miraculum eſt, ſed quod hæc Puella multos ingenii ſolertis homines illuſerit, potius pro miraculo habendum, plerique enim, qui illam inviſebant, pro ſancta illam habebant, dolique incapacem.

§. XXXII.

(*a*) In *tractatu de omento* t. 2. p. 237.
(*b*) *Boerh.* l. c. §. 330. 331.
(*c*) §. 332. l. c.
(*d*) *Heiſter* comp. anat. p. 78.
(*e*) *Manget* theatr. anatom tom. I. p. 239. *Boerh.* l. c. §. 333.

§. XXXII.

Scholion. Quanquam hæc hiſtoria (§. 3. tradita) non ſit abſtinentibus a cibo & potu veris ſed fictitiis annumeranda, ut vidimus §. 28.) cum multæ tamen obſervationes tam fictæ quam veræ abſtinentium a cibo & potu, apud Auctores fide dignos exiſtant, (*a*) merito igitur in poſſibilitatem abſtinentiæ a cibo & potu inquiri poteſt; cui diſquiſitioni eo lubentius nos accingimus, cum nullus Auctorum, quot quidem perluſtrare contigit, notus ſit, qui quæſtionem hanc attigerit, aut calculo Mathematico adaptare tentaverit.

PARS III.

Tentamen demonſtrationis poſſibilitatis abſque cibo & potu vivendi continens.

§. XXXIII.

Definitio I. Vita maxima eſt exercitium omnium motuum voluntariorum, naturalium, & vitalium ſibi conſcium.

§. XXIV.

Definitio II. Vita minima eſt potentia motus voluntarios edendi, ſine actuali exercitio, aut ſi adſit, ignorantia eorum; vigente ſanguinis circulo.

§. XXXV.

Propoſitio I. Neceſſitatem aſſumtionis cibi & potus ex tranſpirationis inſenſibili ſucceſſu (§. XII.) demonſtravimus; invertantur itaque probata, & conſideremus ea quæ eveniunt, tranſpiratione inſenſibili ſuppreſſa; quæ dupliei modo ſupprimi poteſt: ea eſt enim in ratione compoſita impulſus ſanguinis & apertionis pororum, tubulorumque ſubcutaneorum; ita ut deficiente impulſu ſanguinis, poris licet patulis aut vice-verſa, appellente ſanguine ad poros conſtrictos, nulla fiat tranſpiratio: 1. deducta enim aſſumtorum neceſſitate ex vigente tranſpiratione, quem fugiat, ceſſante illa, nulla opus eſſe reſtauratione? 2. cum excretiones alvi, urinæ, ceruminis aurium, menſium, uno verbo excretiones ſenſibiles, aſſumptiones præſupponant, ſuppreſſis illis non opus eſt reſtauratione per cibum & potum.

(*a*) Confer. *Loſſau* tract. cit. & not ad §. 7

§. XXXVI.

Corollar. I. Invenimus æquationem pro valore aſſumtorum a=b+c+d. (§. XXIII.) ut a evaneſcat ſupponendum eſt, excretiones ſenſibiles, quas vocavimus b, & inſenſibiles, c, & nutritionem, d, eſſe o. i. e. b=o. c=o. d=o. erit itaque a=o.

§. XXXVII.

Corollarium II. Ut igitur nullo alimento opus ſit, requiritur, ut tam excretiones ſenſibiles, quam inſenſibiles, omniſque nutritio ceſſent, conſequenter corpus ſe non conſumet, ſed ſemper in eodem maneat ſtatu, ſalvo tamen ſanguinis circulo.

§. XXXVIII.

Obſervatio I. Omnes qui revera a cibo & potu per 15. 20. aut plures dies a cibo & potu abſtinuerunt, & tranſpirarunt ſimul, adeo emaciati fuerunt, ut ſceleto ſimiles evaſerint.

§. XXXIX.

Corollarium I. Conſumptio quædam facta fuit materiæ, quam ſubſtantia corporis ſuppeditavit.

§. XL.

Corollarium II. Quamdiu igitur materia ad nutriendum apta in ſubſtantia corporis adeſt, tamdiu corpus ſubſiſtere poteſt; illa autem penitus conſumpta, corpus perire debet.

§. XLI.

Corollarium III. Materia hæc provenire poteſt 1. aut ex ſero gelatinoſo aut adipe, aut materia oleoſa, in interſtitiis muſculorum & membrana adipoſa hærente, inde per venas reſorpta, & in ſanguinem tranſlata.

§. XLII.

Corollarium. IV. Ponamus a=o, erit b=o, c=o, d=o, ergo quando nulla aſſumuntur alimenta: nutritio & excretiones tam ſenſibiles, quam inſenſibiles nullæ procedunt; erit nulla conſumtio; ergo his poſitis

cor-

corpus in eodem ſtatu manere deberet, quod vero non fit, ſed emaciatur, (§.XXXVIII,) fit itaque ejus conſumtio; inde patet hanc propoſitionem contradictorium involvere; non licet igitur a ſublatione antecedentis adſublationem conſequentis in noſtro caſu argumentari.

§. XLIII.

Obſervatio II. In fœminis inedia longa laborantibus menſtrua retinentur:

§. XLIV.

Scholion I. Quid enim impedit converſionem ſanguinis menſtrui retenti in nutrimentum? (quem fluxum cum cl. *Bohnio* in circ. anatom. c. 15. p. m. 247. ex abundantia ſanguinis fœtui alias deſtinato derivo). Si enim tempore graviditatis ceſſet ad nutriendum fœtum, cur non extra illud ceſſare poteſt ad nutriendam matrem? Nutritio fœtus enim circulatione ſanguinis materni menſtrui & appoſitione optimatum ejus particularum fit; eſt itaque nutritioni aptus, adeoque in caſu ſuppreſſionis hominem per aliquod tempus nutrire poteſt.

§. XLV.

Obſervatio III. Per motum attritio fit partium corporis.

Corollar. I. Requirit itaque appoſitionem, alias corpus brevi conſumeretur, cum vero quies nihil de corpore conterat, partes ejus tranquillæ nullam poſcunt reſtitutionem.

§. XLVI.

Obſervatio IV. Quo major fit ſpirituum animalium conſumptio; eo majore opus eſt reparatione.

Scholion. Conſumptio hæc fit aut per ſenſus externos, motum, hæmorrhagias &c.

Corollar. I. Deficientibus itaque ſenſibus externis, motu, nulla aut ſaltem pauca opus eſt reparatione.

§. XLVII.

Obſervatio V. Per crebram locutionem reſpiratio intenditur (*a*).

Scholion. Per illam non ſolum excrementitiæ, ſed etiam laudabiles ſpirituoſæ eliminantur. (*b*)

§. XLVIII.

(*a*) *Hoffm.* t. 1. p. 1. c. 8. §. 31.
(*b*) l. c. p. 2. cap. 3. §. 15.

§. XLVIII.

Obſervatio VI. Sanctorius exhalationem per os quotidie ad ſelibram aſcendere obſervavit (*a*)

Corollar. I. Deficiente itaque loquela, nulla fit exhalatio partium ſpirituoſarum, nulla igitur refectione opus eſt.

§. XLIX.

COROLLARIUM GENERALE I.

Quodſi itaque corpus ſic comparatum eſſet, ut excretiones tam ſenſibiles, quam inſenſibiles ceſſarent; illudque in perpetua quiete jaceret; nonne probabile, corpus tale per aliquod tempus abſque cibo & potu vivere poſſe? Sane impoſſibile non videtur.

§. L.

Scholion. Probat hoc exemplum furibundæ.

§. LI.

Obſerv. VII. Illuſtr. Dn. de *Reaumur* in hiſtoria inſectorum t. 2. quæ prodiit Pariſiis 1736. p. 6. obſervavit: papiliones ex involucro ſuo non prius exire, niſi pars liquoris, qui chryſalidem humectat, tranſpiraverit.

§. LII.

Corollar. I. Quo citius aut tardius hæc materia avolat, eo citius aut tardius papilio prodit.

§. LIII.

Obſervatio VIII. Calor tranſpirationem hujus liquoris optime promovet. (Ibid. p. 7.)

§. LIV.

Obſervatio IX. Frigus tranſpirationem hujus liquoris impedit.

§. LV.

Obſervatio X. Quo citius papilio ex involucro prodit, eo citius moritur (ibid. p. 17.)

§. LVI.

(*a*) §. 5. de ponderatione.

§. LVI.

Corollarium I. Novimus itaque modum, & evolutionem & mortem papilionum accelerandi (§. LIII. & LIV.) conſequenter vitam eorum abbreviandi.

§. LVII.

Corollarium II. Vita eorum prolongari poteſt, tranſpirationem liquoris in involucro contenti per frigus impediendo, (§. LVI.) ſic enim evolutio impeditur (§. LI.) & mors retardatur (§. LV.).

§. LVIII.

Obſervatio XI. Sub finem Januarii anni 1734. cl. de *Reaumur* (p. 18.) varias ſpecies chryſalidum, quorum papiliones egredi debebant (æſtate ejuſdem anni,) in cellam reponebat; menſe Auguſto 1735. ſemper in eodem ſtatu & vivi erant chryſalides; (p. 19.)

§. LIX.

Scholion. Chryſalidum vitam ultra annum hoc modo prolongavit; nam qui alias m. Aug 1734. egredi debebant, egreſſui demum m. Aug. 1735. apti fuerant (p. 19.)

§. LX.

Obſervatio XII. Ova tranſpirant.

Scholion I. Celeb. *Bellini* & *Valliſnieri* poros eorum demonſtrarunt. (p. 32. *Hiſtoire des inſectes.*)

§. LXI.

Obſervatio XIII. Idem illuſtr. de *Reaumur* obſervavit, ova, quo recentiora ſint, teſtam eo eſſe repletiorem, & quo antiquiora, & putredini proxima; eo majus vacuum in teſta reperiri.

§. LXII.

Corollar. I. Vacuum illud in teſta a materia tranſpirata relictum eſt, quo itaque magis tranſpirat ovum eo citius putreſcit, (per experimenta).

§. LXIII.

Corollar. II. Impediendo itaque eorum tranſpirationem ova conſervari poſſunt.

§. LXIV.

Obſervat. XIV. Oblinivit ova cl. de *Reaumur* ut tranſpirationem impediret, Vernice; illaque hoc modo per biennium bona & edibilia conſervavit. (p. 35.)

§. LXV.

Obſervatio XV. Pulli ovorum talium (§. præc.) ſuperſtites manſere, ita ut biennio elapſo ex ovis incubatis egreſſi ſint.

§. LXVI.

Obſervatio XVI. Chryſalides exceptis ſtigmatibus (quæ ſunt meatus quidam ad inſtar ſpiraculorum per quæ animalia iſta, aliaque inſecta reſpirant) Vernice illinivit ill. de *Reaumur* (p. 26. l. c.) ſic vitam minimam papilionis ultra duos menſes prolongavit, quo termino elapſo ex involucro prodiere papiliones vegeti incolumeſque.

§. LXVII.

Corollar. I. Vita Papilionum, pullorum prolongata fuit, impediendo tranſpirationem.

§. LXVIII.

Scholion. Nonne forte balſamatione corpora defunctorum ea propter conſervantur, quod tranſpiratio partium ſubtilium, quæ alias a craſſioribus ſecederent, impediatur? Nonne hæc ratio conſervationis Mumiarum in Ægypto?

§. LXIX.

Obſervat. XVII. Mulierculis notum eſt, ova furfuribus aut palea tecta, aut in cella recondita per aliquod tempus conſervari poſſe a corruptione libera.

§. LXX.

Corollar. I. Furfures & frigus cellæ tranſpirationem eorum impediunt aut ſaltem remorantur.

§. LXXI.

Obſervat. XVIII. Immittantur ceraſa, aliique fructus canali ligneo; obturatus dein immergatur aquæ; fructus per longum temporis ſpatium conſervantur ſalvi & incolumes.

§. LXXII.

Corollar. II. Hoc modo tranſpiratio & aeris externi attactus, & corruptio eorum impedita fuerunt.

§. LXXIII.

Obſervat. XIX. Flores & Plantæ conſervari & a putredine arceri poſſunt, quando arena ſubtili ſicca conſperguntur; ut id docuit cl. *Thummigius* in tractatu cui titulus *Verſuch die merkwürdigſten Begebenheiten in der Natur zu erklären* p. 168.

§. LXXIV.

Corollar. I. Arena enim humiditatem ſuperfluam abſorbet, & tranſpirationem florum impedit; quo fit, ut particulæ fibrarum interſtitia replentes non avolent, ſicque plantæ non flacceſcant.

§. LXXV.

Obſervat. XX. Cl. de *Reaumur* papiliones ineunte hyeme arboris trunco incluſos per totam hyemem abſque cibo & potu ſuperſtites conſervavit (p. 27.).

§. LXXVI.

Obſervat. XX. Formicas & muſcas, quæ hyeme immobiles jacent, conſervando eundem frigoris gradum, in eo ſtatu per ſatis longum tempus abſque cibo & potu immobiles detinuit.

§. LXXVII.

Scholion. Rem ſimilem obſervavit circa muſcas, aliaque inſecta, quæ reponendo in locum frigidum diutius vivere fecit. (p. 27.)

§. LXXVIII.

Corollar. I. Concludit Auctor: quæ in inſectis minoribus valent, quoque in majoribus valere, idque tentavit cum muribus Alpinis, quos in lethargo ſolito longiori detinuit, reponendo illos in loca frigida, ubi frigus ejuſdem gradus ac in cavernis eorum erat.

§. LXXIX.

COROLLARIUM GENERALE II.

I. Papiliones, ovorum pullos, formicas, muſcas, immo mures Alpinos vivere poſſe tranſpiratione impedita; 2. Hac ratione eorum vitam minimam prolongatam eſſe. 3. Poſſibile itaque eſt inſectorum, immo majorum animalium vitam prolongare.

§. LXXX.

Obſervat. XXII. Quando inſecta in vita minima conſervantur, inepta ſunt ad ſe movendum, (vi definit.) Immobilia & quieta jacent; nec creſcunt, ſed manent in eodem ſtatu.

§. LXXXI.

Corollar. I. Quodſi itaque idem numerus operationum in majore temporis ſpatio efficeretur, machina per majus temporis ſpatium duraret.

§. LXXXII.

Scholion. Sit rota, quæ ſpatio 30. dierum volvendo axem ſuum conterat; quod ſi in uno menſe tantum unico die ſe rotaret, per 30. menſes ſuperſtes manebit axis, qui alias unico menſe conſumeretur.

§. LXXXIII.

Obſervat. XXIV. Oſſa noſtra tractu temporis duriora, muſculique fiunt duriores; cartilagines quædam in oſſa mutantur: arteriæ & vaſa rigidiora, imo quandoque arteriæ cordis ſenum oſſeæ inventæ fuere (*a*).

§. LXXXIV.

Scholion. Corpus noſtrum machina eſt, certis effectibus edendis dicata, quos peragendo, & abſolvendo neceſſario deſtruitur; actio partium ejus præcipue in curſu fluidorum, & inde pendente motu vaſorum elaſtico conſiſtit; quodſi vero curſus fluidorum & motus ſolidorum reciprocus ita diminui aut retardari poſſet, ut effectum, quem, v. g. intra unius horæ ſpatium edere deberet, intra 24. edat ſolum, machina quamvis continuo agens, effectus tamen ſuos longiori temporis ſpatio produ-

(*a*) *Boerhaave* inſt. med. §. 46[illegible].
(*b*) [illegible] 474. 478. & cl. de *Reaumur* l. c. p. 48.

duceret; & in eadem proportione longius duraret; fluida ejus non adeo acria, fibræ nec tono ſuo tam cito deſtruerentur, nec extrema vaſculorum rigida indurataque fierent, motuque moderato partes non adeo raptim avolarent, cæteris paribus, & nulla ſuperveniente cauſa præternaturali deſtruente.

§. LXXXV.

Corollar. Cum in quiete organa non atterantur, ſed ſemper in eodem maneant ſtatu, niſi alia quædam cauſa deſtruens aliunde ſuperaccedat; quietem quam maxime conſervationi machinæ animalis aptam eſſe patet.

§. LXXXVI.

Obſervat. XXV. Plantarum bulboſarum, ut tuliparum, leucojorum, colchicorum, orchidum, ceparum radices per totam hyemem in cellis retineri, vere ſequente germinationi aptos eſſe, hortulanis notum eſt.

LXXXVII.

Corollar. I Nemo plantis §. præc. recenſitis vitam quandam minimam ſimilem vitæ embryonis negabit; quæ vero non a novo terræ ſucco, ſed ab interno reſiduo ſuſtentatur,

§. LXXXVIII.

Obſervatio XXVI. Ranæ (*a*) Hirundines (*b*) tota hyeme in terra jacent, taxi, urſi, glires, (aliaque animantia) totam hyemem ſomno correpti immobiles tranſigunt; vere autem accedente calore emaciati quaſi reſurgunt; etſi quandoque animalia ſemeſtri ſomno dedita (ut mures alpini) excuſſo lethargo expergiſcant obeſiores;

§. LXXXIX.

Corollar. I. Quando calorem externum ſentiunt, expergiſcunt hæc animalia; dormire incipiunt accedente frigore; frigus tranſpirationem eorum impedit, torporem ſenſibus inducit, ſomnumque illis conciliat.

 §. XC.

(*a*) *Ariſtot.* hiſtor. anim. lib. 10. c. 51.
(*b*) Libr 9. c. 22. *Plinius* hiſtor. ar. 10. c. 29.

§ X C.

Corollar. II. Dum nihil edunt, & vivunt nihilominus, oportet nutriantur ab alimento quodam interno, quod nihil aliud quam pinguedo aut materia oleoſa, in receſſu conſervata, eſſe poteſt. Sic *cochleæ* totam hyemem operculo duro munitæ pingues ſatis tranſeunt, & ſuo ſucco vivunt.

§. X C I.

COROLLARIUM GENERALE. III.

Papilionum, pullorum in ovo, formicarum, muſcarum, plantarum &c. vitam minimam conſervari & prolongari poſſe perſpeximus; ſed omnia hæc animalia machinæ ſunt, texturæ ſubtiliſſimæ; licebit nobis analogice ad majoris molis machinas argumentari, ut ſunt v. g. animalia majora, urſi, mures Alpini, hirundines, cum eorum inediam longam experientia comprobaverit.

§. X C I V.

Corollar. I. Cum tam inſecta, quam animalia majora, in vita minima, tranſpiratione & motu eorum per diverſa media cohibitis conſervari, & prolongari poſſint; quid impedit, cur analogice ratiocinando homines non in ſtatu vitæ cujuſdam minimæ iiſdem adhibitis auxiliis conſervari, & ita eorum vita ultra terminum naturalem prolongari poſſit? Sane hominum corpora ſunt machinæ ſimpliciores, ex partibus paucioribus & multo ſolidioribus quam inſecta compoſitæ; in illis enim idem eſt mechaniſmus, idem circulus humorum; idem accreſcendi & pereundi modus. Machina quo ſimplicior, cujus partes ſolidiores ſunt, haud dubie eo fortior eſt altera, cujus partes ita ſe non habent; ſi vita minima in machinis certo reſpectu perfectioribus, magis compoſitis ſubtilioribuſque conſervata fuit; quid impedit, quin vita minima in machinis robuſtioribus, ſimplicioribus conſervari & prolongari poſſit; & quod in inſectis valet, hominibus applicari poſſe aliquomodo quis negabit? Operæ ſane pretium eſſet, ut experimenta circa animalia majora immo & homines inſtituerentur, moduſque detegeretur, quo eorum vita commodiſſime conſervari poſſet; quamvis experimenta circa animalia majora & ſimpliciora deſint; adſunt tamen circa minora & magis compoſita, quæ probabiliter perſuadent, experimenta circa illa inſtituenda bene ſucceſſura.

Hæc L. B. ſi non valeant aliquam ſibi conciliare approbationem, ut ſaltem in numerum tolerabilium conjecturarum ponantur, rogo.

F I N I S.

DANIEL

LXXIV.

DANIEL. WILHELMI TRILLER

ET

J. EPHRAIM FRID. BULISII

DISPUTATIO

DE

FAME LETHALI

EX

CALLOSA ORIS VENTRICULI ANGUSTIA.

Wittemb. 3 April. 1750.

P R O OE M I U M.

UNa tantum naſcendi lex propoſita eſt cunctis mortalibus; mille autem moriendi neceſſitates iiſdem ſunt impoſitæ, adeo, ut hinc, ex quorundam veterum Philoſophorum opinione, natura magis circa hominum finem operoſior atque ingenioſior fuiſſe videatur, quam circa eorundem ortum atque progenerationem. Inde igitur Seneca Pater lib. 3. controverſ. 16. & lib. 7. cont. 1. jam olim, ita haud præter omnem rationem, conqueſtus eſt: *multas rerum natura vias aperuit, & multis itineribus fata decurrunt: & hæc eſt conditio miſerrima humani generis, quod naſcimur uno modo, multis morimur: laqueus, gladius, præceps locus, venenum, naufragium, mille aliæ mortes inſidiantur huic miſerrimæ animæ.* Qualia etiam in hunc ſenſum plura leguntur paſſim, apud Petronium, cap. 115. Plinium majorem, lib. 7. cap. 50. & 53. Valerium Max. lib. 9. cap. 12. Julium Firmicum, lib. 1. Aſtronom. cap. 4. Hyginum, in fabulis, Plutarchum, Ælianum, Stobæum, alioſque plures; pleni enim ſunt ubivis veterum libri ejuſmodi querelarum.

Bene autem hic addit Seneca *mille alias mortes.* Quis enim, quæſo, vel enumerare, vel conjectura tantum aſſequi valeat omnes illos innumeros fere numero caſus ſubitos, repentinos, improviſos, inſolitos atque inexpectatos, qui ab externa violenta cauſſa atque injuria illati, miſeros incautoſque mortales, feſtinatis fatis, ante diem, ocyſſime media e vita rapiunt, adeo, ut animi corporiſque infirma admodum cohærens ſocietas velociſſime dirimatur? Plena quidem, ut notum eſt, ejuſmodi fatalium caſuum ſubitaneorum ſpatioſa ſunt volumina & theatra ſic dicta tragica, quæ ingenti numero expoſita patent oculis eruditorum; & tamen, quod merito dolendum, poſt uberrimam illam meſſem, reſidui adhuc ſpicilegii atque

Materiæ tanta abundat copia,
Labori faber ut deſit, non fabro labor.

Hinc miſſis his, ad ipſos potius accedamus morbos, aſſiduos illos lethi fabricatores, ut belle ait Lucretius, qui ſcilicet ſingulis fere momentis, perquam fœcunda fœtura, intra noſmet ipſos, progenerantur, totque tantiſque copiis atque quaſi catervis, nos miſeros infeſto impetu quotidie adoriuntur, ut exactiſſimus eorum numerus vix, ac ne vix quidem, iniri queat. Inde & ſummus, poſt Deum, noſtræ artis ſalutaris conditor, Hippocrates, illos temerarios, qui certum morborum numerum definire fruſtra conati fuerunt, jam ſua tempeſtate, haud immerito ita increpuit, in aureo libro de victu acutor. haud procul ab initio:

Ἔνιοι τοὺς ἀριθμοὺς ἑκάστου τῶν νουσημάτων σάφα φράζειν ἐθέλοντες, οὐκ ὀρθῶς ἔγραψαν. Nonnulli ſingulorum morborum numeros clare & perſpicue pronunciare volentes, haud recte ſcripſerunt. A qua verecundi & prudentis Senis veriſſima ſententia haud longius abeſt Stoicorum Philoſophorum princeps Seneca, in divina fere Epiſtola XCV, perquam lepide atque acute, pro more ſuo, ita ſcribens: *Innumerabiles eſſe morbos, non miraberis; coquos numera!* Plinius tamen major, binis his maximis viris paulo audacior, omnes morbos ad exactiorem quendam numerum redigere auſus eſt, his quidem verbis, lib. 26. cap. 1. *Parum erant homini certa morborum genera, quum ſupra* 300 *eſſent, niſi etiam nova timerentur?* Sed Libro XXV. cap. 3. ſive pœnitentia, ſive verecundia, ſive utraque, ductus, mutata ſententia illa decretoria, incertum potius, quam certum morborum numerum, ita poſuit: *Qua quidem in reputatione miſereri ſortis humanæ ſubit, præter fortuita caſuſque, & nomina, quæ omnis hora excogitat ad millia morborum, ſingulis mortalium timenda.*

Recentiore autem ævo, ſæculo ſcilicet poſt Chr. N. XIV. decantatæ illius arcanæ artis aurificæ ſeu verus poſſeſſor, ut multi prudentiores dubitant, ſeu vanus jactator, ut plures contra adfirmant, Arnoldus inquam Villanovanus, numeroſas ægritudinum copias non intra hos anguſtos quaſi limites timide coërcuit; quin potius, liberius & ulterius excurrendo, atrum triſtemque earum catalogum immane quantum auxit, dum nempe morbis bis mille a ſe obſervatis, additamenti loco, centum adhuc & viginti quatuor adjecit. Quod equidem tantopere mirandum haud videtur, modo quis ſecum reputaverit, in ſola illa tenerrima dulciſſimæ lucis viſuſque officina, in unico inquam oculo, 112. diverſos morbos jam olim obſervaſſe Galenum Pergamenum, ſuperioribus autem ſæculis, 120 in eodem adnotaſſe Renatum Laurent. Barreum; & noſtro denique ævo, longo adhuc plures detexiſſe & deſcripſiſſe celeberrimos ocularios, Guil. Cowardum, Antonium, Carol. *de St. Yves*, Thom. Woolhouſium, Taylorum alioſque plures.

Quodſi igitur a parte ad totum, & ab unico corporis membro, tot tantiſque morbis obnoxio, ad univerſum ejuſdem ambitum, concludendum fuerit; tum ſane illico, opinor, liquido patebit, nondum accuratum omnium morborum numerum eſſe definitum, nec omnes hactenus in juſtum cenſum referri potuiſſe, in primis, quum novi indies & ſingulares morbi naſcantur, ſed inexplicabiles, diverſi & multiformes, qui nova quaſi nomina ſibi adhuc quærunt, novaſque hinc ſibi medelas expoſcunt, adeo, ut inde tanta materiæ ubertate inducti & invitati merito fuerint medici quondam clariſſimi, Petrus Salius Diverſus, Carolus Piſo, & præſertim Arnoldus Bootius, de particularibus morbis, hactenus nondum tractatis, item de prætervifis huc uſque morbis, & denique de

affe-

affectibus omiſſis, integros tractatus conſcribere, & in commoda publica divulgare.

Licet enim quamplurimis ejuſmodi caſibus inſolitis, novis & inobſervatis referti ſint nimium innumeri pæne obſervationum medicarum rariorum libri; nondum tamen exhauſta penitus eſt prædives illa materia, quin ſemper novum incognitorum hactenus morborum agmen ubivis gentium late emergat, & funeſtum ægritudinum catalogum ſubinde largiter augeat atque amplificet. Quod vel inter alia innumera, bini illi rariſſimi prorſus exempli caſus, nec viſi hactenus, nec prius deſcripti, maniſeſtiſſime teſtantur, quos inimitabili fere elegantia, ordine ac induſtria, depinxit verius, quam calamo adumbravit redivivus quondam, heu! quondam, in Belgio Hippocrates, Hermannus inquam Boerhaavius, Amicus & Fautor noſter ſummus, dum fata Deuſque ſinebant. Quid autem, quæſo, mirum, nos jam quotidie novos, & omni ævo priore incognitos, morbos experiri, quando jam ſua tempeſtate, de ejuſmodi variis morbis novis & ignotis, quos furioſa illa terrarum mariſque vaſtatrix, luxuria, inauſpicato, ceu totidem ſupplicia, invexerat, quo, ſaginati quaſi in pœnam, carius perirent incauti mortales, acerbe conqueſti ſunt ipſi veteres a diis quaſi adhuc recentes, nempe Cicero, Seneca, Plinius, Tacitus, Plutarchus, Plato, Athenæus, Ælianus, aliique plures? quibus & acute accinit Venuſinus vates, Lyricorum princeps:

Macies & nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum.

Sed legi in primis hic meretur hanc in rem venuſtiſſimi Latini Hippocratis, Cornelii inquam Celſi, egregius plane locus, e præfat. æternum victuri de medicina, operis: *Sæpe vero etiam nova incidere genera morborum, in quibus nihil adhuc uſus oſtenderit, ut ideo neceſſarium ſit, animadvertere, unde ea cœperint; ceu fine, quo nemo mortalium reperire poſſit, cur hoc, quam illo, potius utatur.* Hactenus iſte medicorum Tullius.

Quodſi autem præſtantes illi & ſapientes viri, fatorum indulgentia, in hoc noſtrum ævum delati forent, adeo, ut ſuiſmet ipſis oculis contemplarentur, quot novis inſanabilibuſque plerumque morbis nos miſeri hodie infeſtaremur; tum ſane & ſui ſæculi felicitatem haud dubie prædicaturi eſſent, noſtri autem e contrario infelicitatem merito deploraturi.

Ut enim alia taceamus, ex novo præſertim orbe non ſolum novæ opes, illa malorum irritamenta, novaque aromata & odoramenta, ad nos, ex veteris noſtri orbis contagio jam intercutibus vitiis madentes, transfretata ſunt; ſed &, quod merito dolendum, novæ ſimul peſtes, morbi-

que peregrini teterrimi & immedicabiles, novæque & repentinæ mortes, quin & atrociſſima & inexpugnabilia venena, damnoſo profecto lucro, ad nos exportata fuerunt, quaſi videlicet parum ad mortes noſtras terra late pateret.

Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libycæ mortes, & fecimus aſpida mercem.

Bonos igitur mores marcida deſidia & voluptuoſa luxuria adeo ſenſim vitiaverunt, corporaque noſtra toroſa antea atque habitiora ita una enervarunt ac effœminarunt, ut inſoliti morbi, ſubitæ mortes, & inteſtata ſenectus, exinde nunc frequentius apud nos exoriantur. Ipſa denique tenerrima & artificioſiſſima univerſi corporis noſtri machina ex innumeris pæne partibus particuliſque ſcite compoſita, per ſe, tot tantiſque caſibus perpetuo patet, ut nulla in ea ſit fibra, nulla vena, nullus tubulus, nullum denique vaſculum tam exiguum atque exile, quin, ubi quid ex iiſdem, diſtortum, contractum, obſtructum, vel quocunque demum modo alio vitiatum ac depravatum fuerit, inexſuperabiles morbi morteſque ineluctabiles exinde oboriri facile poſſint.

Quod licet mille exemplis e ſolertiorum medicorum obſervationibus collectis, nullo pæne negotio, oſtendi & confirmari poſſet; in præſenti tamen, ex amico brevitatis ſtudio, unus tantum, iſque ſingularis plane & perquam rarus caſus, ad iſtud probandum, ſufficiat, qui paulo plenius, lectorum pace, enarrabit guloſi cujuſdam helluonis miſeranda & truculenta fata, quem medias inter lautiſſimas epulas, & ſuaviſſima mollioris potius, quam melioris, vitæ blandimenta, dira tamen atque crudelis fames acerbiſſime oppreſſit, vitamque ejus in medio curſus ſui ſpatio, ante diem, atrociſſime abrupit.

Supremum autem, quod omnia moderatur, numen ſupplices oramus ac obteſtamur, ut huic noſtro labori, in ipſius potiſſimum gloriam, deinde artis ſalutaris incrementum, & ægrotorum denique emolumentum, a nobis ſuſcipiendo, ſecundos proſperoſque ſucceſſus clementiſſime velit elargiri.

OBSER-

OBSERVATUS.

VIr quidam nobili genere natus, annorum XXXVII. opibus fortunæ relictis, haud labore partis, abundans, pinguioris aqualiculi juxta ac ingenii, & ingenioſioris gulæ, quam capitis; erat nempe ex iſto deſidioſo hominum male vivorum genere, qui vivunt potius, ut edant, quam edunt, ut vivant, & propter ſola convivia nati eſſe videntur: hic, inquam, nepotum altiſſimus gurges, jam ab aliquot retro annis, gravem quandam glutiendi moleſtiam ſecum perceperat, præſertim, quoties ſolidioris quid cibi in vacuum demittere ſtomachum vellet.

Tunc enim primum confuſus, & inſoliti affectus novitate quaſi attonitus, animadvertebat, alimenta non libero & jucundo lapſu in eundem deferri; ſed potius in primo veluti itinere, pertinacius hærere, & in ipſo aditu aliquamdiu acrius luctari: donec tandem aliquo poſt tempore, vel difficillimo niſu, ſenſim deſcenderent, vel, quod ſæpius accidebat, violentiore vomitione, cum ſudore frigido, capitiſque acerbo dolore, ſemeſa & indigeſta redderentur; adeo, ut ſaturum eſſe, liberet quidem, mox tamen ſaturum eſſe, ob ſummos angores & moleſtias, rurſus pigeret.

Quod quum tanti adhuc mali ignarus, ceu leve quid ſuaque ſponte iterum mox tranſiturum, ab initio contemſiſſet; invaleſcente tamen in dies auctis ſubinde viribus, moleſtiſſima illa cibos detrudendi difficultate, non omnia hic tuta eſſe, mœſtus anxiuſque, recte conjecit.

Tum igitur, ancipiti mentem formidine preſſus, ſerio circumſpicere cœpit ſera nimis medicorum conſilia & auxilia, ut ſcilicet inſidioſum illum hoſtem, adhuc incognitum, liberiorem ciborum ingeſtorum deſcenſum ab aditu importune arcentem, promta ſtrenuaque manu, extemplo abigerent & expugnarent. Ægerrime enim omnino ferebat, tantopere adematam gulam jugulumque ſibi ipſi nunc peti, in cujus tamen voluptuoſa paſtione unicum quaſi totius vitæ ſuæ tabernaculum hactenus firmiter collocaverat.

Verum hæc omnia vano conſilio ſpeque inani ſic agitabantur; quoniam nempe morbi non intellecti nulla erat curatio ſperanda. Quo magis enim arte medendi pugnatum fuit a peritiſſimis artis ſalutaris magiſtris, a remotiſſimis fere mundi angulis, ingenti ſumtu, fruſtra arceſſitis; eo minus tamen laudabili conatui reſpondebat lætabilis eventus. Exitium enim ſuperabat opem, quæſitæque potius nocebant artes, adeo, ut omnes ſalutiferi auxiliatores, poſtquam varia, nunc bene, nunc male, tentaſſent, inglorii hinc diſcederent.

Quin potius eouſque quotidie increſcebat inſuperabilis mali dira ſævitia, ut, quoties ad menſam lautis admodum opipariſque dapibus onuſtam, mi-

miniſteriiſque inſtructam, accederet hic helluo miſerrimus, toties ad cibos capiendos adeo uſque inhorreſceret, uti ad formidatas aquas intremiſcere, fœdo ſpectaculo, ſolent a cane rabioſo clanculum admorſi. Acerrimis enim licet ſtimulis vacui ventris impulſus, nihil tamen in tanto ciborum lautiorum apparatu uſquam reperiebat, quo latrantem ſtomachum lenire poſſet; immo potius guloſis quaſi oculis, inter lamentabiles queſtus & lacrimoſa ſuſpiria, adpoſitas dapes, inani ſaltem paſtu, ventriculo ipſi nihil profuturo, devorabat,

Epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu: furiarum maxima juxta
Accubat, & manibus prohibet contingere menſas.

Ipſi igitur melioribus ferculis alias adſueto, ad vitam miſeram utcunque ſuſtentandam, mortemque ipſam aliquantiſper adhuc arcendam, confugiendum denique vel invito, fuit ad liquidiſſimas ſolum ſorbitiones, quas tamen & ipſas tanta quidem cum moleſtia & anxietate, per lentiſſima intervalla & temporis ſpiramenta, ſubinde ſenſim ingeſſit, ut vel duodecim tantum earundem cochlearibus exſorbendis, longiſſimum ſex ſeptemve horarum ſpatium aliquando vix ſufficeret: obortis tamen interea ſimul crebris vomendi conatibus, tetris artuum tremoribus, ſudoribuſque tractuoſis, fronte potiſſimum, tergo atque pectore, ingenti copia expreſſis.

In hac denique deplorata rerum ſuarum conditione, me quoque ipſum, vix tum e longinqua peregrinatione reducem, acceſſit, monteſque aureos, immo dimidiam bonorum ſuorum haud mediocrium partem mihi munificentiſſime pollicitus, querulo ore, irriguo fletibus vultu, & ſubmiſſo pæne poplite, per omnia ſacra me rogabat, ut ſibi mortalium omnium miſerrimo, & fœda, nec voluntaria fame proxime perituro, quantumcunque poſſem, opis quid adferrem, obturatumque hucuſque per quædam præpedimenta ſæva incognita, oſtium, cibis capiendis alias liberum & apertum, auxiliatrice manu potenter reſerarem, neque ullis proinde parcerem ſumtibus, ad ſalutarem illum ſcopum citiſſime conſequendum: ſe quippe malle omnino pane ſecundo ſiliquiſque, pauperem vivere, quam fame opulenta, divitem interire.

In hunc autem fere modum, iſtum ſuum atrocem inſolitumque affectum vivide ſatis deſcribebat: ſcilicet ſeſe omnes oblatos cibos perquam commode & ſine ulla offenſa, ab initio, demittere poſſe, aſt, ubi recto curſu per gulam deſcendiſſent, tunc denique omnes ſimul immotos plane perſtare, neque ullam amplius eoſdem detrudendi poteſtatem ſibi ſupereſſe; poſtque ſubito oriri dolores acres preſſione quadam gravantes, vehementes vomendi conatus, & perpetuas præcordiorum anxietates ſudore ſæpe frigido comitatas. Hinc igitur ſeſe jure vereri, ne oppoſitum for-

forſan ſit ipſi quidem ventriculi oſtio aliquod peregrinum & inſolitum repagulum, aut remoramen quo cibi per gulam demiſſi ab ulteriore in ſtomachum ipſum introitu violenter arceantur, & contra, turbato naturæ ordine, repulſi, ad ſuperiora retro agitentur.

Quibus omnibus id etiam denique addebat, ſeſe per omnem fere vitam, nive atque glacie adeo ſupra modum, delectatum hactenus fuiſſe, ut per omnes æſtivos dies, & potionibus nivatis, & bellariis glacie conditis, largiſſima copia ſeſe quotidie impleviſſet; quo ſcilicet novum voluptatis ſenſum reciperent fauces quaſi emortuæ & cibis ardentibus occallatæ. Interim tamen minime credere, genuinam hanc eſſe cauſſam tam funeſti eventus, quin alium potius ſubeſſe fontem, quo iſta clades ſit derivanda.

Ad quæ ego, quum alte ingemuiſſem, occidit, occidit ſpes omnis eheu! mecum tacite exclamavi, ipſique perquam exigua ingentis luctus ſolatia dedi, quoniam ex hactenus relatis facile colligere & prævidere poteram, fida jamjam experientia aliquoties probe edoctus, ſuperius ventriculi oſculum ita ſumma vi eſſe conſtrictum, coarctatum, longoque temporis tractu, adeo uſque intractabile fuiſſe factum, ut nulla amplius medicina locum commode habere poſſet; ſed omnia nunc potius deſperata & penitus conclamata eſſent.

Ideoque ipſi exitio jam ſuo quaſi deſtinato, ſuſpenſis non nihil ac obſcuris verbis, ultimam propemodum neceſſitatem denunciavi, atque, ne ſeſe vanis longioris vitæ blandimentis fruſtra amplius induci pateretur, ſerio monui.

Ne tamen exſpes plane a nobis dimitteretur, ipſius rogatu, præſcripſi, quaſi in ſpeciem, clyſmata quædam, ventrem flatibus turgidum commode exoneratura, nec non externa fomenta atque epithemata delenifica, quibus atrox malum, ſi non penitus tolleretur, quod nempe nulla amplius medicina, ut modo dixi, efficere poterat, at levaretur tamen aliquantum & mitigaretur; quod & per aliquod tempus, ita utcunque ſucceſſit ac profuit.

Neque tamen multum poſt fefellit triſte noſtrum augurium: anno enim nondum plene exacto, miſellus iſte homo in tam diras duraſque demum anguſtias redactus fuit, ut itinere illo cibario interea penitus clauſo & obſepto, ne minimam quidem vel tenuiſſimæ ſorbitionis particulam, in debilem tantum vitæ ruentis fulturam, intromittere amplius poſſet. Et miſerandum ſane erat ſpectaculum cunctis, quum cibos, hauſtus, & omnia vitæ oblectamenta imperioſa fames ſimul faſtidiret, & poſceret.

Hinc exhauſto ſic per longa jejunia, omni pæne ſpiritu vitali, famiſque pluſquam Eriſichtoniæ lentitudine, viribus ſenſim fractis & confectis, animam tandem jejunam indignantemque cum gemitu reddi-

didit, magnas inter opes inops, & medias inter luxurioſas dapes famelicus. In cujus enim plura poſcentem ventrem Lucrina conchylia, afra avis & attagen Ionicus hactenus, rabida cum voluptate, deſcenderant, ut cum poëta loquar, is inquam fatali neceſſitate eo demum miſeriarum adactus fuit, ut ad tenuem ſpiritum ſuſtinendum, mortemque differendam, ne minimam quidem panis molliſſimi buccellam ingerere amplius valeret, ſicque luxurioſæ gulæ promeritas quaſi pœnas daret, qui antea per eandem, nimia liguritione, peccaviſſet.

Sic corpus clade horribili abſumtum extabuit.

Aperto autem poſt fata, cadavere, rugoſa macie horrido & ſola lurida cute tecto, illico dictis noſtris aut divinationibus vera conſtitit fides. Namque mox cum ingenti viſorum præſentium ſtupore, deprehenſum liquido fuit, in ventriculo flatibus congeſtis, veſicæ ad inſtar, diſtento, ſuperius ejuſdem os ita a naturali & conſueto ſui ordine monſtruoſe deflexiſſe, ut potius cartilagineam, immo pæne oſſeam naturam induiſſe videretur, tanta quidem cum coarctatione, calloſaque duritie, ut ne ſummum quidem ſpecilli acumen, aut extrema pennæ ſcriptoriæ pars, niſi ſuprema vi admota, per iſtud anguſtatum nimis maleque pervium oſtium, in ipſum ventriculum commode demitti poſſet.

Immo adeo uſque durum atque renitens repertum fuit exiguum illud atque contractum ventriculi oſculum, ut vix ipſius acuti ſcalpelli acie diſcindi a chirurgo potuerit, ſtupentibus cunctis, atque hinc ineluctabili fato merito ingemiſcentibus.

Sic enim manifeſtiſſime patuit & mali inexpugnabilis immenſa magnitudo, & vanum infructuoſæ medicinæ conamen, & veridicum denique futuri triſtis eventus præſagium, ipſa nempe experientia & oculata quaſi fide, affatim confirmatum. Iſtud namque latens malum opinione prius, quam oculis, & ſuſpicione ante, quam manibus, deprehenderamus.

RESOLU-

RESOLUTIO

Hujus ſingularis caſus cum quadam epicriſi.

§. I.

ADeo uſque miſera, fluxa & caduca humana eſt natura, totque ac tantis caſibus ac viciſſitudinibus perpetuo patet, ut ærumnoſum mortalium genus ſemper quaſi ſub ictu ferali trepidet, diſtrictumque enſem ſuper fragili cervice pendentem, ſingulis fere momentis, extimeſcat. Intra vero noſmet ipſos, quod tanto profecto pejus, ſævi iſti ac inſidioſi noſtræ precariæ vitæ hoſtes atque tyranni, veluti arbores occulto ævo, naſcuntur, atque a nobis ipſis, plerumque tamen inſciis, aluntur, foventur atque ſuſtentantur, donec collectis ſenſim viribus, ſubito ferociſſime prorumpant, atque omnia circum ſe late devaſtent ac depopulentur.

§. II.

Nimirum corpus nobis circumjectum, ſupremum iſtud atque luculentum divinæ majeſtatis opificium, ex partibus ſolidis fluidiſque, ſive, ut vulgo loquuntur medici, continentibus ac contentis, artificioſiſſime & inenarrabili prorſus ſapientia, compoſitum eſſe atque conflatum, inter omnes, putem, conſtat. Inde vix neceſſarium videtur, ſpatioſum earum catalogum hic operoſe nimis, ad fluentem uſque nauſeam, pertexere, crambemque toties coctam recoquere.

§. III.

Hæc autem fluida ſolidaque ita inter ſeſe comparata, atque æquali naturæ lege diſtributa ſunt, ut amicabile & adjutabile conſortium ſemper ineant, ſibique invicem mutua officia præſtent, quo nempe exinde ſanitas, omnium rerum mortalium pretioſiſſima, intemerata conſervetur, ipſiuſque vitæ ſpatium ad ſeram uſque ſenectutem, ſi pote, prorogetur.

§. IV.

Verum tam miſeranda noſtræ humanæ machinæ eſt conditio, ut innumeræ propemodum cauſſæ caſuſque tam intus, quam extra, quotidie, immo ſingulis fere horis, incidere & oriri poſſint, quibus utrarumque iſtarum partium infirmo admodum vinculo cohærens ſocietas, ſi non

plane dirimi, at facile tamen, maximo cum ſanitatis & ipſius vitæ detrimento, relaxari & interturbari queat.

§. V.

Calida nempe juventa, frigida & effœta ſenectus, ingluvioſa nimium & licentioſa victus ratio, immodicus vini veneriſque uſus, importuniores animi ægrotantis affectus, cælum nocens & grave, inſalubris aër & ager, ancipites & venenoſi cibi, aquæ amaræ, aſperæ, cœnoſæ, paludoſæ, tabo infectæ, mortiferæ, morbi ipſi innumeri ſua ſponte nati, nec humana culpa contracti, & mille aliæ cauſſæ, quas memoria vix ſuggerere omnes valet, utraſque illas partes, præſertim tamen fluidas, adeo uſque continuo, velut agmine facto, exagitant, conturbant ac depravant, ut inde profecto vel maxime mirum ſit, miſellum hominem, inter tot continua æſtuoſiſſima turbamenta tam interna, quam externa, unum ſaltim diem, nedum complures annos, ſalvum ac incolumem vivere poſſe, aut adeo extremam canæ ſenectutis lineam attingere valere.

§. VI.

Fluidæ autem iſtæ partes plerumque ex duplici cauſſa & ratione vitium contrahunt, nimirum vel ex quantitate, vel denique ex qualitate.

§. VII.

Quantitas igitur earum vel nimia eſt ac ſuperflua, vel rurſus minima & præparca.

§. VIII.

Si itaque nimia eſt ac exuberat, tum vaſa atque canales, quibus illa fluida continentur, mox ultra modum, copioſiore ejus affluxu opplentur, graviore mole premuntur, diſtenduntur, expanduntur, & hinc ſæpius rumpuntur & dilacerantur. Corpus autem ipſum una, fœda ſaburra ac inerti ſagina prægravatur, ſuſpectiſque quaſi bonis obruitur; adeo, ut inde repentini morbi & ſubitæ mortes frequentius oboriantur.

§. IX.

Sin autem iſta quantitas contra æquo contractior fuit & circumſcriptior; tum vaſa illa ſeu receptacula, juſta fluidorum menſura haud repleta, nec ſatis irrigua, ſenſim concidunt, flacceſcunt, contrahuntur ac interareſcunt, adeo, ut ipſum exinde corpus humoribus defectum, viribuſque deſertum, pedetentim frangatur & depaſcatur.

§. X.

§. X.

Fluidorum vero qualitas potiſſimum depravatur, quando vel glutinoſum lentorem compingitur, vel contra in aquoſam aut pituitoſam colluviem reſolvitur, vel in mucidam vappam hebetatur, vel in edacem acrimoniam exacuitur, vel aliis denique modis invertitur, ac in pejus mutatur. Unde nempe diverſi morbi, acuti pariter ac longi & diuturni, pro diverſa ſcilicet iſtius vitiatæ qualitatis ratione & conditione, progenerantur, qui vel cito finiunt, aut finiuntur, vel e contrario, per ambitioſiora longi temporis ſpatia exporriguntur, ac lenta tabe marceſcentia corpora conficiunt.

§. XI.

Non tamen hæ ipſæ fluidorum mutationes vitioſæ ita ubivis comparatæ ſunt, ut omnis prorſus medelæ ſint impatientes: quin potius adhuc per Dei gratiam, nonnulla ſuperſunt valentiora auxilia & præſidia adverſus illas directa, quæ vel ex ordinatiore & prudentiore diæta, vel e laborioſa arte gymnaſtica nitidaque palæſtra, vel denique e ſelectiore apparatu medicamentario commode peti, & a medicorum artis peritorum ſolertia in uſum opportune advocari poſſunt.

§. XII.

Tenuis enim homo, ex ſalutari & ſapienti Cornelii Celſi conſilio, lib. 1. cap. 3. *implere ſe debet, plenus extenuare, calidus refrigerare, frigidus calefacere, madens ſiccare, ſiccus madefacere*, vel ex ſimillimo facundi Quinctiliani præcepto, Declamat. VIII. *Si viſcerum nimius ardor ſtricta circa ſe membra duravit, adhibe remedia laxantia; ſi fluitat nimiis æger humoribus, præſto ſint, per quæ, preſſis cluſiſque venis, in novas vires corpus creſcat. Si parum prodeſt abſtinentia, rurſus ciborum qualitate foveatur. Si ſpiritus receptis premitur alimentis, ad puriores meatus jejunio fameque tenuetur.* Quoniam nempe, teſte Vegetio, *contraria nonniſi contrariis medicinis, curantur.* Quod tamen unicum ſolidiſſimumque rationalis medicinæ fundamentum hic ab utroque laudatum, deſumtum eſt ex ipſo medicorum maximo & naturæ peritiſſimo indagatore, Hippocrate; cujus hanc in rem egregia prorſus loca ſedulo legi merentur in libris bonæ frugis pleniſſimis, de natura humana, de locis in homine, de morbis epidemicis lib. 6. de Diæt. lib. 1. de flatibus, & aliis, quæ hic digito potius ſolo indicare præſtat, quam operoſe exſcribere, quoniam ſcilicet alterius ſunt loci & temporis.

§. XIII.

Hæc interim pauca de partium fluidarum immutationibus ac affectionibus morboſis, majoris potius ordinis, & lucidioris perſpicuitatis cauſſa, quam ex duro urgentis neceſſitatis imperio, hic ideo, eum præſertim in finem, generatim præmittenda duximus, ut nempe nobis eo expeditiorem aditum pararent ad ipſam de partibus ſolidis, earundemque mirandis prorſus ſæpiuſque monſtruoſis a naturali ordine aberrationibus, tractationem, de qua nobis in ſequentibus ſermo potiſſimum eſt inſtituendus

§. XIV.

Per partes autem ſolidas hic nos præcipue iſtas intelligimus, quæ locum quaſi intermedium obtinent inter duriſſima oſſa, & oſſibus rigida tenacitate fere proximas cartilagines, & nunc vel plus, vel minus, ſunt molles, aut renitentes, denſæ, aut raræ, adſtrictæ, aut remiſſæ, lubricæ, aut aſperæ, tenaces, aut friabiles, leves, aut graves, humidæ, aut ſiccæ, & quæ id genus alia plura.

§. XV.

Iſta nimirum ſolida intermedia ſunt omnia viſcera, tribus illis notiſſimis ventribus, nempe capite, thorace, ac abdomine, comprehenſa, ſcilicet cerebrum, cor, pulmo, hepar, ventriculus, lien, pancreas, renes, veſica, inteſtina & alia, item omnia vaſa, arteriæ, venæ, nervi, canales lactei & lymphatici, glandulæ, carnes, ſeu muſculi, tendines, membranæ, ligamenta, verbo, omnia illa inſtrumenta, ſuſtentacula ac fulcimenta, quæ mox in prima artificioſiſſima corporis fabricatione, tam mirando prorſus nexu inter ſe apta & colligata fuerunt, ut ſcilicet ſanitatem ab omni offenſa tutam præſtarent, valido tenore omnia membra firmarent, atque ipſam denique vitam tenuiſſimo pendentem filo, quantum liceret, perpetuarent.

§. XVI.

Sed hæ ipſæ ſolidæ partes, licet plerumque tam teneræ, tam lubricæ, molles ac flexiles ſint; tamen, quis credere auſit? ex cauſſis nondum ad liquidum perductis, nec unquam, credo, perducendis, adeo uſque ſæpiſſime a conſueto ordine & ſtata naturæ lege deſciſcunt, ut in aliam prorſus atque inſolitam formam ac figuram mutatæ, nunc in tenacem callum compingantur, nunc in ſolidam cartilaginem, aut rigidum

dum os indureſcant, nunc denique, horrendum dictu & auditu, in aſperum lapidem obrigeſcant.

§. XVII.

Hinc itaque in univerſo corpore humano, nulla fibra tam tenuis eſt, nulla vena & arteria tam flexilis, nullus nervus tam ductilis, nulla membrana tam tenera, nulla glandula tam friabilis, nullum ligamentum tam lentum, nulla caro tam ſuccoſa, nullum cerebrum tam glanduloſum, nulla lingua tam fungoſa, nullum cor tam mobile, nullus pulmo tam ſpongioſus, nullum hepar tam læve, nullus ventriculus tam villoſus, nullum omentum tam reticulatum, nullus lien tam textilis, nullus ren tam canaliculatus, nullum inteſtinum tam voluminoſum, nullus teſticulus tam glomeratus, nulla mentula tam cavernoſa, atque in molliore ac venuſtiore ſexu, nulla mamma tam teres ac delicata, nulla clitoris tam ſenſilis, nullus uterus tam flexuoſus, nullum ovarium tam veſiculoſum, & nullus denique fœtus tam tener & exos; quin omnia illa & plura alia, ex rationibus omni mentis humanæ indagini quam ſolertiſſimæ plane incomprehenſibilibus, turbato rerum ordine, ingeneratam ſibi naturam ſenſim exuant, atque nunc in torpidum callum condenſentur, nunc in duras cartilagines, aut his duriora oſſa, ſolidentur, nunc denique, abominando prorſus ſpectaculo, in lapidoſas cruſtas indurentur, ut inde inexplicabiles ac immedicabiles morbi ſubito exardeſcant, morteſque inexſuperabiles rapidiſſima pernicitate ſubſequantur. Unde forſan haud incommode huc illud trahendum Senecæ, lib. 3. de Ira, cap. 15. *Quæris, quod ſit ad libertatem iter? Quælibet in corpore tuo vena*: Quod tamen, præmollita duriore rigidi Stoici ſententia, ita potius invertere liceat: *Quæris, quod ſit ad morbum & mortem iter? Quælibet in corpore tuo vena.* Verum hæc obiter, & quaſi in tranſitu.

§. XVIII.

Sed erunt fortaſſis hic nonnulli, ut ſunt incredula plerumque pinguiora mortalium ingenia, qui, tantarum in corpore noſtro mutationum prorſus ignari, omnia hæc pro febriculoſis quaſi inſomniis, aut pluſquam anilibus deliramentis ſint habituri. Illi vero, meliora edocti, nunc ſciant, nihil ficti aut mentiti hic traditum fuiſſe, ſed omnia potius diligentiſſimis præſtantiorum medicorum obſervationibus valide innixa eſſe, quorum intemeratam fidem in dubium vocare velle, injurioſum omnino nefas fore exiſtimamus.

§. XIX.

§. XIX.

Ut igitur dictis noſtris eo luculentior fides conſtaret, ſingularia quædam & ſelecta exempla, ex immenſa fere obſervationum medicarum congerie, huc transferre & in concinniorem paulo ordinem digerere placuit. Unde nempe liquido, ut ſpes eſt, apparebit, nihil prorſus in medium a nobis allatum fuiſſe, niſi quod firmiſſimis teſtimoniis, & inexpugnabilibus probationibus ſolide eſſet præmunitum.

§. XX.

Ordiamur itaque, melioris ordinis gratia, ab ipſo capite, & quod intra ejus ambitum præcipue reconditur, cerebro, Dædalea illæ vitæ, mentiſque ac ingenii officina. Illius autem craſſæ membranæ, ſive duræ ſic dictæ matri, induratam quandam materiam & lapideam, inſtar rupis cujuſdam inæqualem & aſperam, aculeis multis, & veluti cati unguibus, conchyliis, variiſque figuris diſtinctam & variegatam, firmiter adhærefcentem, vidit, deſcripſit & depinxit quoque, Iſaacus Cattierius, obſ. 15. Obſervationum Medicinalium, Petri Borelli Obſervationibus Medicophyſicis ſub finem adjectarum, ex quod illud ſtupendum naturæ miraculum, memoratu ſane digniſſimum, ſolita facundia repetiit elegantiſſimus medicorum, Nicol. Pechlinus, obſervat. med. 41. lib. 2. pag. 314. ubi ſimul id genus plura, quæ huc præſertim faciunt, ſcite obſervata leguntur. Quin & ſex ejuſmodi oſſicula aſpera, ipſi adeo piæ matri tenaciter inhærentia, ſeſe conſpexiſſe, memoriæ prodidit teſtis oculatus & fide hinc digniſſimus, Thomas Bartholinus, Hiſtor. Anat. rar. 85. cent. 2. pag. 323.

§. XX.

Intra ipſius etiam ſeptum ſic dictum falciforme, oſſeam ſubſtantiam, immo & oſſicula quamplurima aſpera, ſerrata & rupis ad inſtar inæqualia & acuminata, ſtupentes aliquoties deprehenderunt, Leonardus Botallus, Joannes ab Horne, & modo laudatus Pechlinus, obſervat. med. 40. lib. 2. pag. 312. quæ tota huc ſpectat & conferri ſedulo meretur, ac denique celeberrimus quondam noſter Adamus Brendelius, præmaturo fato huic Academiæ noſtræ, ingenti damno, ereptus, obſervat. anatom. 6. Decad. primæ, ut alios jam taceamus, qui idem paſſim diligenter obſervarunt. Conf. Acta Med. Berolinenſ. Vol. I. p. 44. ſq.

§. XXII.

Sed parva profecto adhuc loquimur: ipſum enim adeo cerebrum, molliſſimum illud ac tenerrimum viſcus, non ſolum in calloſum & glanduloſum fungum ac ſcabrum tophum coaluiſſe; ſed & adeo, quis non ad hæc, quæſo, obſtupeſcat? Maximam ſui partem, in perquam rigidum lapidem, mori fructui figura ſimillimum, obduruiſſe, teſtes ſunt graviſſimi, Jo. Kentmannus, Thom. Bartholinus, Gemma, Hollerius, Wierus, Marcell. Donatus, Nicol. Pechlinus, loco ſupra indicato, p. 314. item Jo. Jac. Wepferus, & ex eo magnus Boerhaavius, in inſtitut. med. 264. ubi tamen vid. Celeb. Hallerus, in Prælect. Academ. Vol. II. pag. 494. aliique plures, laudati jam modo allegato Bartholino, Hiſt. Anat. 91. cent. 6. pag. 357. ubi nempe rariſſima hiſtoria de integro bovis Suecici cerebro, in ſaxeam molem & maſſam prorſus immutato, relata legitur; quale &, teſte eodem Cl. Hallero, obſervavit poſtea Duverney junior, in Memor. Academ. Scientiar. Reg. Pariſ. An. 1703. pag. 314. ſqq. Sed plura hanc in rem exempla collegit in primis citatus ſupra Kentmannus, in lib. de lapidibus ſeu calculis, qui in corpore ac membris hominum innaſcuntur.

§. XXIII.

Nihil igitur plane mirum, ſi etiam illa anguſta nimis animæ anguſtæ ſedes, a ſummo cetera Carteſio, ſine prudentiorum tamen ſuffragio, perperam ipſi aſſignata, ſanctiſſima nempe illa, ut vulgo putatur, glandula pinealis, nunc rigide occalluit, nunc in tophaceum lapidem induruit, nunc denique arenulas ac lapillos ſecum incluſos tenuit, illæſa tamen prorſus acuta mentis acie; quod pluſquam vigeſies ſolus obſervavit Regnerus de Graaf, item Sylvius, Barbettus, Joan. van. Horne, Williſius, Pechlinus aliique viderunt, laudati jam Thom. Bartholino, Anat. Ref. lib. 3. cap. 6. p. 496. & præſertim Isbrand. Diemerbroeck, lib. 3. Anat. cap. 6. p. 353. opp. cum aliis, quibus accedat Raymund. Vieuſſenius, lib. 1. Neurograph. univerſ. cap. 11. pag. 139. Quin imo Florentius Schuyl, portentoſioris illius opinionis Carteſianæ perquam ſtrenuus calidusque alioqui defenſor, imperioſæ tamen veritatis præpollente virtute actus & impulſus, ingenue faſſus eſt, in erudita Præfatione ad Carteſii Librum de homine, a ſe latinitate donatum: ſe in illa decantata glandula pineali lapillum aliquando inveniſſe, qui pluſquam dimidium ipſius glandulæ occupaverit. Quale quid & noſtra ipſa ætate obſervarunt bini iſti anatomicorum anteſignani, Frid. Ruyſchius, in Theſaur. Anat. 5. pag. 28. & Jo. Bapt. Morgagnus, in Adverſ. Anat. 6. obſ. 11. pag. 10. ubi

ubi prioribus exemplis ſupra productis nova aliquot addit, a ſe ipſo quondam viſa & diligenter adnotata.

§. XXIV.

Inde nunc minus mirabilia eſſe videntur ea, quæ, de arteria aſpera tota in os converſa, narrant Cardanus, de epiglottide illius, ſeu lingula & operculo, ut Cicero & Celſus ſcite loquuntur, pariter oſſea, Pavius, de cartilagine ſcutiformi in oſſeam duritiem mutata, Fuirenus, Pechlinus, Bartholinus & alii, de thyroide & cricoide, Fallopius, de arytænoide, Riolanus, & de aliis cartilaginibus, eidem fato ſemper expoſitis, & ipſa ſua rigida jam natura, in proximam rigidiorem oſſeam mutationem ſemper pronis, alii plures, apud Bartholin. Anat. Ref. lib. 4. cap. 2. p. 696. Præſertim autem illas ſterni cartilagines, cum quibus ipſæ coſtæ, ut notum, committuntur, flexiliorem ſuam naturam ſæpius exuere, & continuum quaſi os formare, pridem notatum eſt a Pavio, Hildano, Fallopio, Pechlino & aliis: & noſmet ipſi, paucis abhinc annis, mœſtiſſimi obſervavimus in celſiſſimo Duce, quo juſtior alter nec pietate, nec bello & armis major, fuit, cujus præmatura fata adhuc acerbe deploramus. Illius enim cartilagines ſterni adeo uſque in oſſeam duritiem obriguerant, ut ne acutiſſimo quidem ſcalpello, uti mos eſt alias, diſcindi, ſed ſtridula potius ſerra ſecari potuerint, ut alia jam mittamus paſſim obvia & cognita. Conf. Jo. Rhodii Mantiſſa Anat. ad Thom. Bartholinum, obſ. 8. & Clopton Havers Oſteolog. Diſc. 5. pag. 317.

§. XXV.

Sed hæc quidem nec ſubitum nec funeſtum vitæ ipſi detrimentum inferunt; gravioris autem diſcriminis res eſt, ubi vel calloſa, vel oſſea, aut lapidea materia peregrina ipſius ſpongioſi pulmonis

Vitaleſque vias & reſpiramina clauſit,

cujus perquam calamitoſi fati, jam ſua olim tempeſtate, frequentius meminerunt medici præſtantiſſimi, Galenus, lib. 4. de loc. affect. cap. 8. Aretæus, lib. 1. de morb. chron. cap. 12. Paulus Ægineta, lib. 3. cap. 28. & 31. & Alexander denique Trallianus, lib. 5. cap. 4. Noſtra vero ætate, longe plures obſervationum medicarum induſtrii Scriptores innumera pæne exempla, notatu ſane digniſſima, in literas relata nobis ſubminiſtrarunt. Quos inter eminent Reiner. Solenander, Carol. Piſo, Domin. Panarolus, Salmuth, Dodonæus, Platerus, Scaliger, aliique plures, quos longa ſerie collectos exhibent Jo. Rhodius, obſ. med. 3. cent. 2. & Jo. Schenckius, obſ. 49. lib. 2. item Thom. Bartholinus, Anat. Ref.

Lib.

lib. 11. c. 9. p. 418. & hiſt. anat. 33. cent. 1. nec non Diemerbroeck, anat. lib. 2. c. 13. p. 306. & maxime Bonetus tom. 2. med. ſeptent. lib. 2. ſect. 11. c. 6. & ſqq. p. 365. ſqq. & Sepulchret. tom. 1. l. 2. ſect. 7. obſ. 11. p. 687, obſ. 79. p. 723. & obſ. 86. p. 726. ſqq. item Zacut. Luſitanus hiſt. med. princ. 37. lib. 11. pag. 381, ſqq. Sed in primis memoratu dignus eſt ſequens ſingularis caſus, quem de presbytero quodam aſthmatico his ipſis verbis refert Jo. Bapt. Helmontius, de aſthmate & tuſſi; 43. p. 349. *Diſſecto pulmone, invenitur ſiniſtri lateris lobus poſterior, durus, & e pumice lapideſcens: intuſque, quaſi grumus per pulmonem occalluiſſet. Ubi autem aſpera arteria in quatuor lobos diſpergitur, grumi caſeoſi erant, inter cartilaginem & pumicem medii, plureſque ejuſmodi lapilli, ſparſim per pulmonis regionem viſi.* Hactenus ille. Sed & bronchi particulam oſſeam obſervavit Gerard Blaſius, in obſervat. med. rarior. 6. part. 6. in quo egregio libro & plura alia, quæ huc ſpectant, ſingularia legi omnino merentur.

§. XXVI.

Neque vero perennem illum vitæ ſalutiſque fontem ac diſpenſatorem, cor inquam ipſum, pulmonibus proxime vicinum atque ſocium, ab illa peſtifera labe prorſus immune eſſe; quin potius ſæpe in tenacem callum obtorpeſcere, vel in lentam cartilaginem ſolidari, vel in rigidum os indurari, vel denique potiorem ſui partem in aſperum lapidem obrigere, complura ſane affatim docent exempla memorabilia, per ſolertiores medicos ſumma fide publice conſignata. Cor igitur cartilaginoſum ipſe vidit ac deſcribit Riolanus, ac ex eo Thom. Bartholinus, epiſt. medicinal. 66. cent. 1. p. 273. ubi & plura, quæ huc ſpectant, leguntur. Cordis valvulas ſic dictas ſemilunares in oſſeam plane duritiem degeneraſſe, cum ſtupore, deprehendit anatomicorum princeps, Frid. Ruyſchius, obſ. anatom. chir. 69. pag. 65. & dudum ante eum, Henr. a Moinichen, in epiſt. ad Bartholin. 97. cent. 11. epiſtolar. med. Thom. Bartholini, item & Pechlinus, obſ. 40. lib. 11. pag. 313. Oſſeam aut lapideam concreſcentiam, ſiniſtri cordis ventriculi ſubſtantiæ muſculoſæ innatam & connatam, conſpexit Gerard. Blaſius, obſ. rar. 13. part. 6. p. 80. Oſſa, cartilagines, maſſas informes carnoſas, adipatas, nerveas, membranaceas, aliaque peregrina corpora, immo & adeo lapidoſa coagmenta, ſæpius in iiſdem ventriculis reperta fuiſſe, teſtantur Riolanus, Jo. Trullius, Simon Paulli, Hollerius, Platerus, Wierus, Salius, Severinus, Smetius, aliique plures, magno numero jam laudati Thom. Bartholino, anat. ref. l. 2. c. 7. p. 394. & in epiſt. med. ſupra allegata, 66. cent. 1. in primis autem Isbrand Diemerbroeck, lib. 11. anat. cap. 9. p. 278. ſqq. ubi & ipſe cl. auctor rariores ſuas in hanc mirandam rem obſervationes fideliter ſubjunxit. Et quis, quæſo, terribiles illos injuſſos cordis incolas, crudelis per-

RARY
1813
OF MEDICINE

niciſſimæ mortis fabricatores, neſcit, polypos inquam iſtos grandes, craſſos, radicoſos, cartilagineos, carnoſos, membranaceos, tenaces & veros, non ex ſanguine glutinoſo temere concretos? quales accurate deſcripſerunt nobis Tulpius, Bartholinus, Bonetus, Diemerbroeck, Velſchius, Malpighius, Morgagnus, Pechlinus & alii, & noſmet ipſi bis acerbe dolentes vidimus, in binis perſonis ſplendidis, longiore immo longiſſima vita, in publica commoda, digniſſimis.

§. XXVII.

Sed ipſam quoque arteriam magnam, ramoſam illam ipſius cordis progeniem, naturam ſuam flexiliorem ſæpius degeneraſſe, atque nunc circa ſui exortum, nunc circa progreſſum ac deſcenſum, nunc procul ab origine, vel cartilaginoſam rigiditatem induiſſe, vel oſſeum ſolidamentum contraxiſſe, res ſane eſt extra omnem controverſiam poſita, & quam plurimis variorum auctorum fide dignorum teſtimoniis liquidiſſime confirmata, nimirum magni Harveii, Riolani, Williſii, Veslingii, Carol. Offredi & aliorum, quorum laudatiſſima nomina relata leguntur apud Thom. Bartholinum, anat. ref. lib. 2. cap. 7. p. 406. & epiſt. med. 97. cent. 11. p. 722. Nic. Pechlinum, obſ. jam ſæpius citata 40. lib. 11. p. 313. & Jo. Rhodium, obſ. med. 63. cent. 3. p. 154. qui ipſi ejuſmodi abnormia naturæ, ſævo quaſi cum joco ludentis, portenta perſpicue viderunt, & candide adnotarunt, quale & legere licet apud Gerard Blaſium obſ. med. rar. 5. part. 6. p. 77. & cum primis in act. med. Berolin decad. 2. vol. 8. p. 21. ſqq. & in annal. Wratisl. ann. 1725. Claſſ. 4. art. 11. p. 659. Quid, quod nobiſmet ipſis probe adhuc notum eſt triſte ejuſmodi exemplum rev. cujuſdam imperii Principis, ſine prævio morbo, noctu, ſubito extincti, in cujus corde non ſolum ſiniſtra auricula occallata; ſed ipſa etiam arteria magna emergens, maximam ſui partem oſſea plane, atque paſſim impervia, fuit deprehenſa. Quin & calculum adeo mirabiliter prorſus figuratum in illo arteriæ magnæ ramo, qui vergit ad Euſtachii glandulam ſiniſtro reni impoſitam, ſeſe quondam reperiſſe, teſtatur vir & arte & facundia inſignis, Nicol. Tulpius, obſ. med. cap. 25. lib. 2. p. 136. qui & ſimilem fere lapidem ſcabrum in vena thoracica externa hoſpitantem animadvertit, ut ibidem plenius enarrat cap. 22, lib. 4. p. 312. Sed & arteriam iliacam, item & ſplenicam, variis in locis, tofi ad inſtar induratam, obſervavit & deſcripſit teſtis oculatus Nic. Pechlinus jam ſæpius laudatus, obſ. 41. lib. 11. pag. 314, Nempe omnes omnino venæ ac arteriæ illi fatali neceſſitati ſubjectæ ſunt, ut occalleſcere, vel in cartilaginem, ſteatoma, os, aut lapidem quoque indureſcere poſſint. Hinc venam portæ ex parte oſſeam vidit, deſcripſit ac depinxit anatomicorum maximus Ruyſchius, obſ. anat. chir. 70. p. 66. ut alia jam

ta-

taceam exempla apud Bonetum, Schenckium, Stentzelium noſtrum, auctores act. med. Berolinenſ. & alios paſſim obvia, quia nobis jam properandum.

§. XXVIII.

Carnoſæ ſepti tranſverſi, ſeu diaphragmatis parti os duriuſculum adnatum, externa cartilagine tectum, conſpexit Thom. Bartholinus, hiſt. anat. 85. cent. II. meſenterium maximam ſui partem plane oſſeum, Jo. Rhodius, obſ. 96. cent. II. totum autem lapidoſum, Panarolus, apud Bonet. Sepulchret. anat. tom. I. lib. 2. ſect. 7. obſ. 136. pag. 750. pancreas quoque in tenacem ſcirrhum ac cartilagineam duritiem mutatum, ibidem obſ. 97. quale triſte fatum & omnibus generatim glandulis frequentiſſime contingere ſolere, notiſſimum eſt, ut videre licet apud Paræum, Hildanum & alios plures, quos laudat Th. Whartonus, in Adenographia, cap. II. & 39. item alibi. Lienis membranam non ſolum cartilagineam, ſed & adeo lapidoſam valde, & ferro uſque renitentem, ut & cum ſonitu reſiliret, obſtupeſcens fere, invenit Pechlinus, obſ. 41. lib. II. p. 314. ubi de membranarum & arteriarum tofis agit, uti in antecedenti obſ. 40. de tendinum, membranarum, cartilaginum & ligamentorum oſſificatione, ut nempe loqui amat: quæ obſervationes totæ huc vel maxime ſpectant. Eandem vero lienis tunicam & oſſeam & cartilagineam, immo & corii bubuli ad inſtar craſſam, deprehendit Thom. Bartholinus, anat. ref. lib. I. cap. 16. p. 159. & poſt eum alii. Sed & ipſum peritonæum, variis arenoſis particulis undique conſperſum, obſervavit Frid. Ruyſchius, obſ. anat. chir. 70. quod & de omento complures autores adnotarunt, cum quibus conferendus Diemerbrœck, l. I. anat. cap. 6. aliam ejuſmodi membranam lapidis exilibus obductam vidit ac deſcripſit Tulpius, lib. II. obſ. med. cap. 48. Ipſum illud molle aliis ac blandum teneri fœtus receptaculum ac hoſpitium, uterum nempe, nunc præter naturam cartilaginoſum, nunc calloſum, nunc denique adeo uſque lapideum deprehenſum fuiſſe, una cum ipſa tenella prole, in rigidum plane lapidem converſa, quod ſane omnium portentoſiſſimum, a variis præclaris autoribus eſt paſſim adnotatum. quorum ipſa loca lectu digna ſedulo collegit Martin. Schurigius, in muliebrib. hiſt. med. ſect. III. cap. 2. p. 232. 267. 270. & ſqq. Add. Th. Bartholin. Paræus, Helmontius, Sachſius, Kundmannus, & in primis Jo Alboſius, de Lithopædio Senonenſi. Qualem & prægrandem uteri virginalis 18. librarum molem ex pinguedine cartilaginoſa totam congeſtam, horrendo ſpectaculo, a ſe ipſo viſam, delineavit Blaſius, obſ. med. rar. 7. part. I. p. 12. qui & ibidem obſ. 9. p. 13. ſqq. oſſeam plane teſticuli puellaris prætumidi ſubſtantiam, a ſe quondam repertam fuſe deſcripſit. Quod etiam obſervatum Stalpartio van der Wiel, obſ. med. anat. chir. 34. cent. poſter. part.

prior. p. 389. item & Diemerbrœck lib. I. anat. cap. 24. p. 131. Sed magis profecto adhuc dictu & auditu horrendum illud erat portentum, quum idem Blaſius, ut refert ibidem obſ. 6. p. 10. 11. & depingit, univerſum mulieris cujuſdam tabidæ abdomen in cartilaginoſam ejuſmodi materiam, abominando auctu & incremento, prorſus mutatum inveniret. Verum & pruriginoſam iſtam muliebris pudoris columellam, ſeu clitoridem, oſſeam aliquando conſpectam fuiſſe, commemorat Th. Bartholin. hiſt. anat. 69. cent. III. p. 137. epiſt. med. 94 cent. III. p. 407, & anat. ref. lib. I. c. 34. p. 292. atque ex eo Diemerbrœck, lib. I. anat. cap. 26. p. 153. item Schurig. in gynæcologia, ſect. II. cap. I. pag. 128. qui & ibidem pag. 107. aliam ſingularem Paullini obſervationem in medium adfert, de particula virili ſalaci in oſſeam pariter rigiditatem obſolidata.

§. XXIX.

Hepar quoque ipſum nunc in pertinacem ſcirrhum indureſcere, nunc diverſis figuram ac colorem calculis, aut materia lenta viſcida ac gypſea intus oppleri; nunc denique lapidoſo quaſi cortice extus incruſtari, plura docent exempla a Paræo, Hollerio, Horſtio, Dodonæo, Bellonio, aliiſque allata, apud Bartholin. anat. ref. lib. I. c. 14. p. 143. item epiſt. med. 2. cent. III. & epiſt. 56. cent. II. p. 586. & in actis med. Berolin. ut & naturæ curioſorum: in primis autem in iis lepidis & eruditis libellis, quibus hepati mendacem purpuram fortiter detraxit, ejuſque exequias celebravit, nempe de hepate defuncto, de hepatis exauctorati deſperata cauſſa, ut & de difficili hepatis reſurrectione, aliiſque: vid & Diemerbrœck, anat. lib. I. c. 14. p. 70. & magnum Veſalium, in longa illa ac docta Joach. Rœlants epiſtola p. 674. tom. II. opp. item eo nil minorem Ruyſchium, obſ. anat. chir. 86. & 87. qui & calculum durum in ipſo hepatis parenchymate a ſe quondam repertum fuiſſe teſtatur, obſ. anat. 24. idem veſiculæ quoque felleæ, calculoſa materia intus prorſus obductæ, meminit, obſ. an. chir. 31. cujus non inſolitæ rei complura exempla, ex variis auctoribus ſtudioſe collecta profert Jo. Rhodius, obſ. 2. cent. III. qui & obſ. 3. veſicam felleam plane oſſeam, in puella ictero diuturno confecta, ſeſe obſervaſſe affirmat. Quin & noſmet ipſi ante complures jam annos, in ſtrenuo vini præſertim ſpiritus potore, in publica platea ſubito extincto, ſtupentes, cum aliis, deprehendimus hepar ejuſmodi ingens, prædurum, ponderoſum & albario quaſi opere externam ſui ſuperficiem adeo uſque obductum, ut vel acutiſſimo ſcalpello vix diſcindi poſſet.

§. XXX.

§. XXX.

In ſimile autem lapidoſum duramentum diriguiſſe tunicam lieni circumjectam, paullo ſuperius, ex ornatiſſimo Pechlino, commemoravimus. Adhuc tamen altius peſtem iſtam ſæpe penetraſſe, atque ipſum lienis corpus interius, tenerum illud ac cancellatum, adeo uſque durum ac rigidum reddidiſſe, ut vix cultro cederet, niſi maxima vi intruſo, ſingulari exemplo, inter alia, oſtendit Thom. Bartholinus, hiſt. anat. 60. cent. 4. 358. Georg. quoque Queccius, item & Schenckius, viderunt lienes, media ſui parte, ſubſtantia cartilaginea incruſtatos, referente Diemerbrœck, lib. 1. anat. cap. 16. p. 83. & alii. Iſtas quoque lubricas humidaſque immundioris liquoris ejectitii officinas, veſicam nempe atque renes, ejuſmodi tunica quaſi moleſta lapidoſa intus non raro circumveſtiri, id neminem, ſpero, ſolertiorum medicorum fugit; præſertim quum innumera pæne ea de re ubivis proſtent exempla, ceu videre eſt apud Sachſium, in gammarologia, p. 901. in addend. & ex illo & aliis, apud Bonetum, med. ſeptent. tom. 1. lib. III. ſect. 24. cap. 5. p. 738. ſqq. & in ſepulchret. tom. II. lib. III. ſect. 22. obſ. 9. pag. 560. ſqq. & alibi; qui & ibidem, ſect. 24. obſ. 10. p. 627. ſqq. Calloſi oris & colli veſicæ varios funeſtos caſus ex auctoribus fide dignis refert, quale & obſervavit Jo. Rhodius, obſ. 26. cent. III. de craſſo callo veſicæ ori arctiſſime circumnato, qui liberum lotio iter occluſit, & mortis contra viam aperuit. Similes quoque tetros callos in ipſa urethra excreſcere, acerbiſſimo cum dolore, ceu dignam tamen in ſuum exitium mercedem, iſti ſæpius experiuntur pretioſi dedecorum emtores, qui cum publicatæ pudicitiæ feminis fœdum & damnoſum habuerunt commercium; qua de re ſingulare extat exemplum apud Stalpart van der Wiel, obſ. 40. cent. poſt part 1. p. 410. ſqq. item & Hildanum, Scultetum, Bonetum & alios. Ex quibus etiam aliiſque abunde conſtat, illa ipſa inchoandi hominis rudimentorum & incunabulorum conceptacula, ſeu teſticulos, ſæpiſſime in enormem, prægrandem & ponderoſam molem calloſam, oſſeam immo & gypſeam, & lapidoſam moleſtiſſime intumuiſſe. Quale etiam notiſſimum eſt de ſinuoſo inteſtinorum volumine, in cujus nempe gyratis orbibus, cartilagines, callos, lapides oſſaque ſæpius reperta fuiſſe, exemplis ex pluribus Auctoribus petitis affatim probat laudatus modo Bonetus, med. ſeptent. tom 1. lib. III. ſect. 12. cap. 7. pag. 581. ſqq. & cap. 14. pag. 589. ſqq. item Sepulchret. tom 2. lib. III. ſect. 14. obſ. 9. pag. 218. ſqq. & aliis iſtius operis præſtantiſſimi locis. Sed hæc hactenus. Longe plura quidem his ipſis jam allatis adjicere hic potuiſſemus, ſi, florilegarum apum ad inſtar, per omnia illa naturæ curioſorum, tranſactionum Anglicanarum, actorum eruditorum, item Boneti, Schenckii, Mangeti, & alio-

rum ſpatioſa volumina, libere circumvagari libuiſſet, aut per anguſtos diſſertationis academicæ cancellos, licuiſſet:

Verum animo ſatis hæc veſtigia clara ſagaci
Sunt, per quæ poſſis cognoſcere cetera tute.

§. XXXI.

Hæc autem cuncta, ſolius potiſſimum ventriculi cauſſa, paullo uberius præmittenda exiſtimavimus, ut nempe eo luculentius exinde diſpaleſceret, tanto minus mirandum fore, ſi vel ipſa hæc ſumtuoſa vitæ humanæ culina, focuſque quaſi perennis, pari calamitoſo fato, priorem ſuam naturalem formam exueret, & in novam prorſus atque inſolitam tranſiret; quanto magis reliqua viſcera omnia, ipſo ventriculo, dignitate & uſu vi æque commodis, partim præſtantiora, partim & inferiora, ejuſmodi luctuoſiſſimis exitiis & atrociſſimis caſibus obnoxia eſſe deprehenderetur.

§. XXXII.

Paſſim nimirum conſtat ex induſtrioſorum medicorum obſervationibus, publicis literis monumentiſque conſignatis, illum ipſum ventriculum nunc circa ſtomachum, ſive œſophagum, nunc circa ſuperius, ſeu ſiniſtrum ſui oſtium, nunc denique circa inferius, ſive dextrum, vulgo pylorum, ſeu janitorem, dictum, vel rigide occalleſcere, vel cartilaginoſam aut oſſeam duritiem induere, vel in materiam gypſeam aut lapideam obrigere, vel tuberoſa carne oppleri, vel denique intractabili ſcirrho obſideri: unde frequentius accidit, ut his tranſverſis quaſi peſſulis atque repagulis fortiter contra nitentibus, ea quæ accepta ſunt ore, haud ſine offenſa ac querela, recta via, in ipſum ventriculi fundum illabi queant; ſed in ipſo potius aditu pertinacius hæreant, atque incocta & inconfecta protinus reddantur; quamobrem nulla ſtomacho ruenti fultura accedit; quin potius lenta tabes vitales liquores ſenſim exhaurit, artuſque ipſos crudeli edacitate tandem depaſcitur: ut vel ex noſtro ſingulari caſu, ſuperius propoſito, uberius pateſcit.

§. XXXIII.

Quod & ex aliis ſimilibus exemplis, apud probatos auctores hinc inde obviis, multo adhuc validius confirmatur, quæ inter in primis eminent binæ iſtæ luctuoſæ hiſtoriæ, de œſophago occallato & cartilaginoſo, ex Henr. Sampſonio atque Nic. Guil. Beckers fideliter relatæ, & poſtea ſuis æternum victuris operibus ſtudioſe inſertæ a ſæpius jam laudato Theoph. Boneto, tom. I. med. Septent. libr. II. ſect. I. cap. I.

1. & 3. p. 504. & in Sepulchret. anat. tom. II. lib. III. ſect 4. obſ. 8. & 9. pag. 32. quorum ipſa verba in compendium miſſa hic infra, lectorum quidem pace, adſcribere haud pigrabimur: *Femina diu difficultate glutiendi præpedita medicum adivit, qui explorato per ſtilum, ex oſſe balenæ confectum, loco prorſus impervio, illam merito pro deplorata habuit: poſt paucos etiam menſes obiit fame enecta. In diſſecto cadavere, totus œſophagus a clavicularum regione, ad ipſum ſtomachum, inventus eſt pura puta cartilago; neque erat pervius, niſi cavitate valde minuta, vix ſetam porcinam admittente, eaque labyrinthea, ſed integra ſubſtantia cartilaginea ſolidus.* Cui ſingulari prorſus hiſtoriæ gemina eſt ſequens: *Mercator Hippolitanus, ſeſquianno, de glutiendi difficultate, mucronata ſub cartilagine, dolore gravabili indies augeſcente, languore ac totius corporis contabeſcentia, nullo in faucibus tumore vel dolore apparente, conqueſtus, atque ad fata vitanda, quam plurimis tam internis, quam externis, a diverſis Apollinis filiis, tractu temporis, ſibi præſcriptis, ac incaſſum adhibitis remediis, corpore, ob glutiendi facultatem plane interceptam, ſanguine ac ſpiritibus deſtituto, tabitudine violenta exſpirare cogitur. Cadavere diſſecto, tribus ab ore ventriculi digitis, œſophagus a cartilagine annuliformi exiguo foramine prædita, ab ipſo œſophago enata, obturatus repertus fuit.* Hactenus illi. Quas quidem binas memorabiles hiſtorias noſtro præſenti caſui perquam preſſe & æquabiliter reſpondere, nemo ut ſpes eſt, facile negaverit.

§. XXXIV.

Quo & vel maxime profecto ſpectant binæ aliæ a Joanne Rhodio ita commemoratæ, obſ. med. 47. & 48. cent. II. anno 1627. *Patavii, nobilis virgo, Deo ſacrata, jam ſeptem ac decem annis, vix aliquot guttulas liquoris demittit. Oeſophago nempe ab oſſiculo aviculæ olim ſaucio, ſcirrhoſus tumor, affluente materia genitus.* Hæc prior Rhodii hiſtoria; ſed en & alteram: *Adoleſcentulo octenni per febrem ardentem abolita libera glutiendi poteſtas ab œſophagi anguſtia; quæ tanta, præſente Joanne Prevotio, ut gula, cadavere aperto, aquam non admitteret.* Hæc ille, medicorum eruditorum haud poſtrema gloria; ex quo ſingulares has hiſtorias tranſumſit, & operi ſuo immenſæ frugis pleniſſimo, ſepulchreto nempe anatomico, intexuit diligentiſſimus Bonetus, tom. 2. lib. III. ſect. 4. obſ. 14. p. 33. ſqq.

§. XXXV.

At omnium tamen proximam & quaſi conjunctiſſimam affinitatem cum oc noſtro caſu iſta habet perquam notabilis hiſtoria, quam candide earrat vir medicarum juxta & poeticarum rerum peritiſſimus, & digniſſimus

mus magni Jani Gruteri Socer, Henricus Smetius a Leda, in miſcellaneis medicis, lib. 10. p. 529. his quidem verbis: *anno* 1573. *Præfectus venatorum illuſtris Lippenſium comitis, de dolore circa dextram œſophagi partem, querebatur, præ quo ne micam quidem panis madefactam ſorbendo hauſtam, ferre potuit, immo vix ipſum ſolumque potum, niſi paulatim, & per cochlearia ſingula ſumeret. Aeger cauſſam in fruſtum tendinis bovilli ſubduri devoratum referebat. Ego tuberculum durum intra œſophagum, ea in regione, ſuccreſcere occepiſſe exiſtimo.* Acute hic ac vere haud dubie, conjectavit Smetius. Sed jure dolendum, nec mortem hujus miſerandi venatoris, nec cadaveris, poſt eam, ſectionem, hic adjectam fuiſſe. Tum ſane exactior utriuſque caſus inter ſeſe convenientia, procul dubio, longe preſſius accuratiuſque enituiſſet.

§. XXXVI.

Sed calloſarum ejuſmodi & carnoſarum extuberationum, nunc circa œſophagum, nunc autem circa ipſum ventriculi oſtium, infelici fœtura ſubnatarum, jam tum ſua tempeſtate meminit Claud. Galenus, cujus ea de re perquam memorabilis locus dignus omnino eſt, qui hic legatur e libro nempe III. de ſymptomatum cauſſis, cap. II. p. 87. tom. 8. opp. *Συμβαίη δ' ἐνίοτε καὶ βλάστημά τι σαρκῶδες κατὰ τὸν στόμαχον, οἷα κἀκτὸς ὁρᾶται πολλάκις γενόμενα, ὡς ἤτοι παντάπασιν ἀποφράξαι τὴν ὁδὸν τῶν σιτίων, ἢ παραβλάψαι κατά τι Sane accidit aliquando, & carnoſum tuberculum, qualia ſæpe foris videmus, in ſtomacho naſci, quod vel omnino ciborum viam obſtruit, vel aliquatenus impedit.* Neque ignotum prorſus fuiſſe videtur ſubdolum clandeſtini hujus mali ingenium ipſi Cælio Aureliano; ſcribit enim aperte & dilucide: lib. II. de morb. chron. cap. 2. pag. 445. *Magis, cum initia atque ſummitas ſtomachi calloſa, videbuntur vehementiore modo curationis indigentia.* Forſan & cum eodem atroci ſtomachi occluſi malo conflictatus fuerit ille, cujus in miraculis S. Gengulphi mentio facta eſt apud diligentiſſimum & doctiſſimum Cangium, tom. 4. Gloſſar. med. & inf. latinit. pag. 1054. his quidem verbis: *Per tres nimirum hebdomadas infirmitatis lectum tenuit, nec cibi aliquod genus deglutire valuit.* Conf. Gellii lib. 16. noct. att. cap. 3. Verum ambigua hæc tantum eſt conjectura. Tanto autem certiora iſta ſunt, quæ de ſimilibus circa dicta ventriculi loca ſuperiora, excreſcentiis duris calloſis, vel carnoſis, ſenſim ſubortis, ac libero ciborum deſcenſui damnoſe oppoſitis, ex variis recentiorum medicorum fide & laude dignorum obſervationibus diligenter collecta, exhibet præſtantiſſimus Bonetus, ſæpius jam ad partes vocatus, tom. II. Sepulchreti anat. lib. III. ſect. 4. obſ. 2. & ſqq. p. 30. 31. & ſqq ut & in medicina ſeptent. tom. I. lib. III. ſect. I. & alibi ſæpius; præſertim autem Zacut. Luſitanus, de medic. princ. hiſt. 65. lib. II. p. 579. ſqq.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

In iiſdem quoque locis nonnunquam ſæva ſevoſa ſteatomata, immedicabilia carcinomata, & indiſſolubiles ſcirrhos exſurgere, atque liberiora ad ventriculum ipſum itinera adeo inſidioſe circumclaudere, ut nulli cibi, ore licet avide accepti, inde impune deſcendere, atque cocti ac redacti in ſanguinem, corpus ipſum alere ac irrigare poſſint, pluribus exemplis, ſtudioſe congeſtis, idem oſtendit Bonetus tom. II. Sepulchret. lib. III. Sect. 4. obſ. 21. 22. & obſ. 1. addit. p. 38. ſqq. item maximus Boerhaavius, prax. med. tom. 4. p. 246. ſqq. & ingenti publici boni commodo & lucro, redivivus Boerhaavius, ſive quod idem, Gerard van Swieten, in immortali opere commentar. in aphoriſmos Herm. Boerhaave, tom. I. p. 856. ſqq. aliique plures meminerunt: conf. Tulpii obſ. med. l. I. cap. 44. item Zacuti Luſitani hiſt. 64. lib. II. p. 574. ſqq. & quos ibi laudat auctores plurimos.

§. XXXVIII.

Duros etiam, aridos ac ſublividos carbunculos, cruſtaſque carbunculoſas rubicunda inflammatione cinctas, circa idem ſuperius ventriculi oſtium pertinacius hæſiſſe, obſervarunt, præter ſupra laudatos, Helmontius in tumulo peſtis, p. 217. ſqq. qui & alibi, libro forſan de Lithiaſi, ſacculi lapidibus referti, ipſique ventriculo adnati, a ſeipſo viſi, meminit, referente Bartholino, anat. ref. lib. I. cap. 9. p. 67. qualia multa etiam reperire licet apud Diemerbroeck, anat. lib. I. cap. 8. p. 23. longe plura autem apud Bonet. tom. I. med. ſeptent. lib. II. ſect. II. cap. 10. p. 368. ſqq. & maxime tom. II. Sepulchret. lib. III. ſect. 7. obſ. 27. & ſqq. p. 75. & rel.

§. XXXIX.

Præſertim autem inferius iſtud oſtium, quo ima ventriculi pars paullum in dexteriorem partem converſa, in ſummum inteſtinum coarctatur, quam juncturam pylorum Græci, ut notum, vocant, a cunctis his ærumnoſis calamitatibus crebro admodum infeſtari, frequentioribus medicorum obſervationibus hinc inde conſtat. Sic ſteatomata ibi invenerunt Bartholinus, Hildanus, Scultetus & alii, item Bonetus, tom. I. med. ſept. l. 3. ſect. 2. cap. 12. p. 517. præduros ſcirrhos, idem tom. I. Sepulchret. lib. II. ſect. 7. obſ. 143. p. 752. ſqq. & tom. 2. lib. III. ſect. 6. obſ. 7. p. 95. ſqq. ut & Steph. Blancardus, anat. pract. rational. obſ. 62. p. 185. nec non magnus Ruyſchius, obſ. anat. chir. 39. p. 39. aliique plures, in primis autem Helmontius, in tract. de pyloro Rectore. Tetra ac indomita carcinomata ibidem deprehenderunt Hil-

danus, Paræus, Bonetus, Boerhaavius & alii. Materiam denique duram, gypſeam ac pæne lapideſcentem, digiti tranſverſi craſſitiem excedentem, ibidem arctius impactam, obſervavit Nic. de Blegny, in Zodiac. med. Gal. an. 1679. p. 46. referente ex eodem Boneto, tom. 2. Sepulchret. anat. lib. III. ſect. 8. obſ. I. addit. pag. 124. Quo & in primis illa ſingularis pertinet hiſtoria noviſſima, relata a celeberrimo Petro Paullo Molinello, & inſerta commentariis de ill. Bononienſi ſcientiarum & artium inſtituto atque academia, ingentis frugis pleniſſimis, tom. 2. part. I. pag. 157. de femina quadam extrema macie confecta, in cujus monſtroſo fere ventriculo, circa pylori regionem; *tumor ingens repertus fuit, qui ad initium duodeni excreverat ex illis glandulis, quæ ibi frequentiores eſſe ſolent; quæque in illa miſerabili muliere præter modum auctæ, duritiem ubique fere ſcirrhoſam, aliquibus in locis etiam oſſeam, obtinebant. Erant autem glutinatæ adeo, compactæque, ut omnem aditum a ſtomacho intercluderent*, ut ipſius præſtantiſſimi Molinelli verbis loquamur. Verum hic tandem modus terminuſque conſtituendus. Licet enim longe adhuc plura ſuperſint, his ipſis jamjam allatis nec inferiora, nec abjectiora, aut uſu eximio caritura; magis tamen placet, hæc ipſa nunc premere potius, quam promere, ne ſcilicet faſtidioſa nimiorum exemplorum copia moleſtam injucunditatem pariat lectoribus, qui nos forſan jure admoniturі ſint veteris illius dicti præclari: *non minus magnam virtutem eſſe, ſcire deſinere, quam ſcire dicere.*

§. XL.

Nunc autem ad illas ipſas tantarum in corpore humano immutationum ac transfigurationum cauſſas atque origines abſconditas tranſeundum potius videtur. Enim vero

Fert animus, cauſſas tantarum expromere rerum,
Immenſumque aperitur opus: Quid ſaxea reddit
Viſcera, quid tactis inducit marmora rebus.

Verum mox in limine ipſo, fervidus iſte impetus ſubito conceptus, ſubito conſeneſcit, animuſque timide refugit, trepida deſperatione aſſequendæ veritatis, merito deterritus. Non cura laborque noſter ſcire valet. Licet enim Schenckius, Sachſius, Helmontius, Alboſius, Provancherius, Licetus, immortalis noſter Sennertus, aliique plures clariſſimi viri, omnes ingenii vires, acerrimo ſtudio, eo potiſſimum contulerint, ut veras mirandarum iſtarum immutationum & converſionum cauſſas indagarent, & indagatas in clara luce locarent, quarum nempe miniſterio & adjumento, viſcera humana molliora & ſequaciora in naturam prorſus ſibi contrariam, cartilaginoſam ſcilicet, oſſeam, aut plane lapideam tranſ-

irent; tamen iſthæc omnia, ſi verum quidem fateri liceat, ſubtilioris potius ingenii ſunt formamenta, quam demonſtratæ veritatis firmamenta. Non enim iſti comprehenſa, neque definita, neque ſatis percepta dicunt; ſed lubrica potius atque ambagioſa conjectatione nitentes, inter falſa veraque medii, quaſi per tenebras, titubanter ingrediuntur. Hinc & hic, ſicut in mille aliis rebus nobis abſtruſis plane atque incomprehenſibilibus, præſtat, noſtram caliginoſam ignorantiam candide ac verecunde fateri, noſtræque vanæ ac vagæ curioſitati fibulam quaſi imponere; quam tantum ingenioſa quædam figmenta, omni tamen fide uſuque caritura, audacter comminiſci, quæ celeriter, tanquam ſolſtitiales floſculi, decidunt ac evaneſcunt. Multa enim, immo quam plurima, ſunt, quæ eſſe concedimus, qualia autem ſint, prorſus ignoramus. Latent profecto iſta omnia, latent & latebunt ſemper, craſſis occultata & circumfuſa tenebris, ut nulla humani ingenii acies tanta ſit, quæ citatim in naturæ circumvelatæ inacceſſa adyta, flexuoſosque mæandros penetrare poſſit, aut cæcas illius operationum reconditarum cauſſas evolvere valeat. Nam

Sic placuit ſuperis, quærere plura nefas.

§. XLI.

In noſtro tamen præſenti caſu, & atrocitatis, & periculi mortiferi novitate, in primis memorabili, aliquam ſat probabilem reperiri poſſe cauſſam confidimus, quam forſan animus, præjudicatis opinionibus exoneratus, aut re ipſa veram inveniat, aut certe haud procul a vero.

§. XLII.

Exiſtimamus nimirum, diram illam inſanamque glaciem nivemque rodendi atque potandi cupidinem, in exæſtuantis ſtomachi per breve ſolatium, per tot annos continuos, furioſe expletam ac extenſam, & illius crudelis famis, & ſequutæ exinde lacrimoſæ mortis, primariam fuiſſe cauſſam ac fabricatricem.

§. XLIII.

Nihil enim magis peſtiferum, noſtræque ſanitati, quin immo ipſi adeo vitæ, damnoſius exitioſiusque eſſe ejuſmodi cibis glaciatis potionibuſque nivatis, æſtuanti ſtomacho ac ferventibus inteſtinis ingenti copia, ſubito ingeſtis, res eſt unanimi omnium medicorum rectius ſentientium ſuffragio dudum confirmata, & mille triſtibus exemplis uberrime probata, adeo ut de tam confeſſa & explorata veritate ne dubitare quidem liceat, vid. interim præter alios plures, Petri Borelli obſ. med. 11. cent. 3. &

H 2 Zacut.

Zacut. Luſitani hiſt. med. 98. lib. 11. p. 876. ſqq. & hiſt. 4. lib. 3. p. 40. ſqq. item hiſt. 2. lib. 4. p. 304. ſqq. Tabem namque & morbos ſenſim atque in diem longum, viſceribus inſeminare ejuſmodi gelidiſſima torpentis gulæ blandimenta, aut irritamenta, quæ ingenioſa ſ[illegible]is, ut Martialis ait, immo potius furioſa, commenta eſt, ex Ariſtotele potiſſimum philoſopho, rei omnis humanæ peritiſſimo, præclare ſolideque plur bus oſtend t Aul. Gellius, lib. 19. Noct. Att. cap. 5. & ex eo Macrobius, ut ſolet, lib. 7. Saturnal. cap. 12. pag. 435. Sed jam pridem ante Ariſtotelem, veriſſime ac graviſſime ita pronunciaverat ſummus noſter Hippocrates, Aph. 24. Sect. 5. Τὰ ψυχρὰ, οἷον χιὼν, κρύσαλλος τῷ σήθει (adde τῇ κοιλίᾳ ἢ τῷ σομάχῳ) πολέμια, *frigida, veluti nix, glacies, pectori inimica:* & in primis lib. de humidorum uſu, pag. 602. Εἰκότως ἄρα καὶ αὐτὸς ὁ θώρηξ, καὶ αὐτὴ ἡ κοιλίη, κρατεομένη ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ, μάλισα ἀγανακτεῖ καὶ θανατοῖ, *merito etiam ipſe thorax, & ventriculus ipſe a frigida potione ſuperatus, moleſtiſſime fert, & mortis periculum incurrit.* Cujus funeſti gelidi hauſtus copioſi effectus exemplum memorabile de Stheneo Abderitano, palæſtræ cuſtode, idem refert, lib. 6. de Morb. Epid. Sect. 8. p. 822. de quo vid. Zacut. Luſitan. hiſt. 98. lib. 2. dub. 58. p. 876. ſqq. Quem ſequitur, ut ſolet, Celſus, lib. 1. cap. 3. *Ex labore ſudanti frigida potio pernicioſiſſima eſt:* item Plinius, lib. 31. cap. 6. Hinc & frigidam nimis aquam, præſertim æſtate anni flagrantiſſima, aut æſtuan e nimium intus corpore ipſo, confertim confeſtimque ingeſtam, inter perniciſſima pernicioſiſſimaque venena jure numerant Dioſcorides, in Præf. ad Alexipharm. p. 402. Quinctilianus, Declamat. 350. Jo. Chryſoſtomus, Homil. 75. in cap. 23. Matth. Tom. I. Opp. in Nov. Teſt. pag. 794. & Tom. VI. pag. 948. Seneca lib. 2. de Benef. cap. 14. & alibi, Galenus, Ægineta aliique plures. Cujus rei plura luctuoſa exempla extant apud Arrian. lib. 6. de expedit. Alex. p. 427. Plutarch. in Anton. c. 66. Lucan. lib. 4. Pharſal. 368. Curt. lib. 7. cap. 5. multoſque alios. Inde Flav. Veſpaſianus, *quum ſuper urgentem valetudinem, creberrimo frigidæ aquæ uſu, inteſtina vitiaſſet, ſubito inter manus ſublevantium extinctus eſt*, teſte Suetonio, in ejus vita, c. 24. Quo miſerabili fato etiam Theophilum Imperatorem periiſſe, memoriæ prodidit Cedrenus, Tom. II. pag. 532. Nonnihil etiam, & ex parte quidem, huc pertinet illud, quod ad Valentinianum Imp. in Epiſtola ſcripſit Vindicianus: *Illico infuſo ſale aquam frigidiſſimam obtuli ejus ardori, qui quum deſiderio recentis, quo cruciabatur, totum, quod ei oblatum fuerat, ebibiſſet, Autores Medicinæ magni, qui id ſpectabant, exclamaverunt, occidiſti hominem!* vid. Schreineri Not. ad Theodori de Diæta, cap. 17. pag. 80. ibi enim præter opinionem, ſalutaris effectus ſequutus narratur, conf. Caſp. a Reies, quæſt. med. 74. p. 1005. ſqq.

§. XLIV.

Quum igitur aſperioris frigoris ea potiſſimum vis ſit ac conſuetudo, ut quod

quod vulgo notiſſimum eſt, omnia generatim corpora, tam fluida, quam ſolida ac flexibilia, arctius conſtringat, preſſius contrahat, & rigidius induret; inde nunc facile mente ſolerti concipere licebit, quo nempe pacto in noſtro miſerando popinone, dum nives glaciemque inſatiabiliter ligurit atque potat, pœnaſque montium in voluptatem gulæ, ſed & in ejuſdem exitioſam pœnam vertit, adeo uſque coanguſtatum atque in pertinaciſſimum callum permutatum fuerit ſuperius ventriculi oſculum oſtiumque, ut liberum lubricumque ciborum iter plane intercluderetur, hincque exſucca totius corporis macies lethaliſque tandem fame, ſubſequeretur. Rigidiſſimo enim illo gelu glaciali, ferventibus extis continuo avidiſſime ingeſto, id demum calamitoſum fatum exortum eſſe videtur, ut fibræ præſertim ſtomachi, ſive ſuperioris oſculi, orbiculatim circumductæ, carnoſæ ac craſſæ, una cum intextis nervis, ſubito vehementius conſtringerentur, ac deinde ſenſim in rigidiſſimum callum, aut duriſſimam cartilaginem coagmentarentur.

§. XLV.

Quale quid jam ſua tempeſtate, obſervavit Galenus, Comment. in lib. 6. Epidem. Hipp. pag. 445. Tom. IX. Opp. per Charter. & alibi: item & Seneca, Epiſt. XCV. cujus in primis verba notatu digna: *Quid? Tu illam æſtivam Nivem non putas callum jecinoribus obducere?* Quod ſi enim his adjeciſſet: *& ventriculis*, tum ipſum profecto noſtrum caſum præſentem, breviſſime quidem, at pleniſſime tamen, deſcripſiſſet. Sed recentiore in primis ævo, exitialis ejuſmodi gelidi potus eſuſque glaciei effectus frequentius obſervatus fuit ab Jo. Varandæo, tract. de morbis ventriculi, cap. 1. ſqq. iiſque præſertim Auctoribus, qui de potus frigidi noxis & abuſu, ex inſtituto, commentati ſunt, quo vel maxime pertinent Nic. Maſinius, Jo. Philip. de Lignamine, & alii, magna copia laudati Zacuto Luſitano, hiſt. med. princ. 66. dub. 32. pag. 503. ſqq. & lib. 3. hiſt. 4. p. 40. ſqq. quibus add. Jo. Matthæi quæſt. med. 42. pag. 150. ſqq. conf. Acta Med. Berol. Decad. II. Vol. II. p. 83. ſqq. Binæ quoque ſingulares hanc in rem hiſtoriæ conſignatæ leguntur apud Jo. Rhodium, obſ. 47. cent. 2. & obſ. 71. ibidem; quas, quia breves, hic infra, lectorum pace, adſcribere juvat: *Murani, nobilis virgo ab intempeſtivo refrigerantium, ad inflammationem, uſu, contracto gulæ ſcirrho, aſſumta ægerrime glutiebat.* Altera hæc eſt: *Juvenem gracilem cardialgia invaſit exquiſita, a potu frigidæ, contractis orificii ventriculi nervis.* Quod & jam olim cuidam Imperatori pari modo, accidiſſe, refert ita Cedrenus Tom. II. hiſt. pag. 707. Ἀνενεγκὼν ὕδωρ πιεῖν, ἐπεζήτησε ψυχρὸν, λαβὼν δὲ καὶ πιὼν, ἐλήφθη καρδιωγμῷ, καὶ μετὰ ἡμέρας β΄. θνήσκει. Quam in rem perquam notabilem quoque hiſtoriam refert Galen. lib. 7. de methodo med. cap. 8. p. 170. Tom. X. ad quem locum vid. in primis Zacut. Luſitan. de medic. princip. hiſt. 54. lib. 2. p. 504. ſqq. ubi plura. Sic etiam e ſolo gelidæ cereviſiæ hauſtu, lethalem gulæ reſolutionem, ſeu paralyſin,

 ali-

aliquando obortam fuiſſe, obſervavit Helwigius, apud Bonet. Tom. I. med. Sept. lib. I. ſect. 18. p. 171. ubi legi meretur adjectum a Schenckio Scholion. Qualia fere etiam adnotarunt Thom. Williſius, de medicament. operat. ſect. 3. cap. 3. p. 28. Nic. Tulpius, lib. I. obſ. med. cap. 42. Stalpart. van der Wiel, obſ. 27. cent. poſt. Part. I. pag. 280. ſqq. Steph. Blancard. Coll. Med. Phyſ. cent. 3. cap. 45. Jo. Langius, epiſt. med. 43. lib. 2. pag. 689. & epiſt. 27. pag. 608. item epiſt. 31. lib. I. pag. 129. aliique plures.

§. XLVI.

Verum hic tandem terminus eſto! Longius enim præter opinionem, nos jam provexit materiæ ubertas, quam animo primum deſtinaveramus. Hinc & nihil nunc de ipſa tam atrocis ſymptomatis medela adjicere licet, quæ tamen re ipſa, ambigua plerumque ac inefficax eſt. Quamvis enim mox ab initio, ars ſalutaris quædam ſpondeat præſidia, aliquam partem jam indicata a Cælio Aurel. lib. 3. de Morb. Chron. cap. 2. p. 445. ſqq. & aliis. Attamen, ubi pertinaciſſima illa mala jamjam inveteraverunt, ac per longiores moras invaluerunt, tum prorſus eſſe ſemper fere ſolent immedicabilia. *Ponendum igitur*, ut cum Celſo finire liceat, lib. 8. cap. 13. *hunc ſingularem funeſtum caſum hic eſſe credidimus, non, quo curatio ejus rei ulla ſit; ſed ut res indiciis cognoſceretur, & non putarent, ſibi medicum defuiſſe, ſi qui ſic aliquem perdidiſſent.*

TANTUM.

GEORG.

LXXV.

GEORG. AUGUSTI LANGGUTH

PROGRAMMA

DE TABE SICCA LETALI EX CALLOSA PYLORI ANGUSTIA.

Wittembergæ 3. April. 1750.

ITa prorſus diſputationis inauguralis, cujus ſolemnia nunc indicimus, argumento, hujus, quo id officii præſtatur, ſcriptionis argumentum conſentit, ut omnino magis nequeat. Scilicet duo ſunt ventriculi orificia: alterum quo cibus potuſque per ſtomachum ipſi offertur; alterum, quo quæ ingeſta ſunt, poſt moram aliquam, in duodenum inteſtinum paullatim ejiciuntur. Illud ſcholarum noſtrarum conſuetudo, ſuperius, poſterius, ſiniſtrum, Græcorum lingua καρδίαν, vocat: hoc autem, inferius, anterius, dextrum, Græce πυλωρὸν, Latine janitorem (*a*). Sunt quoque hæc orificia admodum ſibi vicina, nec ultra tres (*b*) facile, quatuorve, digitos invicem remota; natura gaudent non ita diſſimili, iiſdem tunicis, vaſiſque, eadem nervorum vi, conſtructa, inferi enim oris valvula naturam ejus haud magnopere mutat; eodem etiam modo, iiſdem ex cauſſis, nec ſeparatis ſæpe temporibus, male ſolent ſe habere, alterumque morboſe adfectum, in conſenſum abripere alterum. At manes denique ſuos, proprios morbos, horum orificiorum quodque patitur; quæque mala, ex his oriunda, ad reliquum corpus derivantur, magni plurimum momenti ſunt, etſi non unius ejuſdem generis: id quod ex natura eorumdem, exque iis, quæ ipſis tribuuntur, functionibus, ſine difficultate intelligitur (*c*).

Magna ſane hæc eſt harum partium convenientia; ſed, conſentientibus argumentis noſtris, nunc multo, ac ante, major, immo maxima. Utrumque enim os eodem morbo, ſed rariſſimo, expetitum, calloſa conſtrictum anguſtia, recte conjunctim traditur.

Caſus in rem noſtram præſentem veniens, & tabem ſiccam, ex calloſa pylori anguſtia, letalem, demonſtrans, hic eſt:

Femina, corpore procera, habitu ejus pleno, muſculoſoque, viro matura, parentum juſſa capeſſens, frumento in pulverem minuendo operam dat, ſed ſcrobiculum cordis, gravi ictu a mola percuſſum, domum reportat, ab initio exquiſite dolentem, adhibitis tamen domeſticis, quæ dicuntur, remediis ad votum obtemperantem. Paullo poſt viro nubit, civi & pileario noſtrati, ſorte ſua contento, ingenuoque, vitamque cum Kirchnero ſuo vivit, jucundam ſatis commodam, morbis gravioribus vacuam, aliquot etiam liberorum mater; ſed contra diætæ leges graviter, inveterata conſuetudine, peccans, omnis panificiorum, ciborumque valentiſſimorum, generis mirifice appetens, jurulenta cibaria epulaſque calentes faſtidiens, hauſtibus exiguis, nunquam ſponte, nec ad ſatietatem neceſſitatemque, bibens, hinc, creſcente humorum

(*a*) *Winslow expoſ. anat.* t. 4. §. 47. ſq.
(*b*) *Garengeot Splanchnol* p. 1. ch. 8. les deux orifices ne ſont pas dans un ſujet d'une bonne grandeur a plus de trois travers de doigts de diſtance.
(*c*) Horum indicem vide ap *Schurig. chylolog.* c. 6. §. 14. ſeqq.

rum lentore, pallida, præmatura macie paullatim ſeneſcens. Duobus abhinc annis, menſe Novembri, dolorem ventriculi perſentiſcit, primo obtuſum, gravativum deinceps, tum ab ingeſtis exquiſite auctum, ſemeſorum denique perpetuo vomitu ſtipatum. Arceſſitus medicus vomitorium propinat validius, nimio effectu funeſtum, quod virium, tenuato in corpore reliquum, exhauriens, malumque jam ſatis dirum exaſperans; hinc ſumma corporis & ventriculi debilitas, borborygmi, pertinax alvi ſegnities, inappetentia, vomitio, copioſior ſalivæ affluxus, phlogoſes, in primis autem tumor, in regione epigaſtrica ſupra umbilicum, exſurgens, conſpicuus admodum & palpabilis. Miſſo hoc medico, ſub finem Decembris, alius, experientiſſimus *Kreyſigius* noſter, cujus humanitati hanc morbi, mortis, & ſectionis, hiſtoriam, plurimam partem, debemus, advocatur, fomitem mali viſcerum obſtructioni, in primis glandularum meſaraicarum, & inductæ ventriculo atoniæ, deberi ratus, remediis illum oppugnat, diluentibus, reſolventibus, incidentibus, leviter evacuantibus, ſtomachicis etiam, ſcilicet decocto ex herba Card. B. Fumar. Millefol. Fl. Chamæmel. Rom. Cort. Aurant. Citr. Fol. Senn. Rad. Helleb. nigr. Crem. Tartar. cum aqu. fontan. parato, interpoſitis frequenter & cum decocto ſumendis, antiſpaſmodicis pulveribus, in primis vero diæta conveniente, ſcrupuloſius obſervata, multumque proficit; at ſalivæ profluvio nihil imminuto, & ægra, tumultuarios in ventre motus, tanquam a vermibus, quod plane ſibi perſuaſum habet, excitos continenter querente, intra octiduum ſemel atque iterum pulverem, ex Aethiop. miner. & tartar. vitriolat. miſtum, cum decocto mox laudato, propinat, optato cum ſucceſſu, etſi nulla cum vermium excretione, ægramque ventriculo ſubinde roborato, ſatis bene valentem, remediorumque pertæſam, ad nutum ſuum, ſibi relinquit. Redeunte, ſub initium inſequentis Aprilis, horum ſymptomatum ſyndrome, recrudeſcenti malo eadem methodus, quæ nuper, opponitur, ſed ſucceſſu ægrotantis deſiderio tardius reſpondente, varia, mutabilis, & ſociarum fabellis irretita, femina methodo vale dicit medicoque, pace hujus optima. Hinc efficaciora remedia malo ſuo quæritat, circumforaneum in primis, alios deinceps, bene multos, experimenta per mortes impune agentes, adit, quidquid ſibi porrigitur, devorat, fruſtra autem omnia: nova in dies incrementa malum capit: diriſque dorſi cruciatibus augetur. Tum anxia omnibus aris illacrymat, poſt omnes alios, ſuperioris anni initio, memet ipſum, tanquam umbra oberrans, convenit, ex ultimo ſuo puerperio, ante hos quinque annos, ſemet graviter læſam, uterumque loco motum, queritur, deque tumore ſuo, animato ſcilicet, ſaltante, ni fallor, tripudianteque, (*a*) tot mirabilia nar-

(*a*) Bufonem ſcilicet, ſive ranam rubetam, hujus feminæ viſcera habitaſſe, ita obſtinate creditum eſt, ut poſt ſectionem, demonſtrari illam, & oculis ſubjici, cum indignatione poſceretur.

narrat, ut omnia, tandem, me curioſius prope diem exploraturum, precatus annuerem. Promiſſi memor inviſo illam, ſedentis abdomini, arida rugoſaque cute tecto, manum admoveo, tumorem ſcirrhoſum, indolentem, valide renitentem, pugnum duplicatum ambitu ſuo exſuperantem, regionem umbilicalem magnopere diſtendentem, prominentem, mobilem, modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum, leviore niſu, declinabilem, a poſteriore parte liberum, digitoſque exploratores admittentem, deprehendo; ſitum mutari, feminamque lectulo imponi, jubeo, omnia accurate perquiro, eadem ubivis reperio: quo facto, omentum ſedem tumoris ſcirrhoſi aut ſteatomatici, ab omni autem valida medicatione & irritatione abſtinendum, mihi videri declaro; cauſſam vero tanti mali ſciſcitans deque eo, num forte injuriam hac parte abdominis aliquando acceperit, rogans, quæ ſupra de ictu a mola retuli, accipio. Quinto & decimo menſis Julii die cl. *Kreyſigius*, denuo arceſſitus, ægram deſperate decumbentem, viridia, nigraque, & quidquid ingerit, continuo vomentem, omnibus viribus exhauſtam, ſiccaque tabe penitus, ut ſceletum (*a*) ſe videre putaret, conſumtam, invenit, omniaque conclamata, & mortis vicinam, nunciat, quo exoptatiſſimo ſolatio adeo reficitur nunc alia omnia ſentiens femina, ut animo, plus quam virili, ſe mortuam, cultro anatomico ſubjiciendam, in aliorum ſalutem, offerret. Poſt duos dies placida morte diem obit Kirchneria, annos nata quadraginta quinque.

Altero poſt mortem die ſectionem cadaveris idem *cl. Kreyſigius*, admiſſo in ſocietatem commilitone, me ipſo autem publica, eaque improviſa, anatome impedito, adminiſtrat, peractaque ſectione, notatu digniſſima, hoc modo mecum communicat: inciſis & remotis ad latera integumentis abdominalibus, ſingulis ante ſeorſim ſeparatis, prodibat in conſpectum, magno meo ſtupore, utque ſenſibus meis vix fidem haberem, ſaccus membranaceus, albi coloris, totum abdomen implens, & inteſtina obtegens, a diaphragmate uſque in regionem hypogaſtricam protenſus, verſuſque hypochondria explicatus. Diſcuſſo ſtupore ventriculum conſpicio infra umbilicum deſcendiſſe, fundum ejus tantæ molis & amplitudinis, qui primo adſpectu ſaccum referret, tumorem autem, os inferum ventriculi occupantem, & pondere ſuo ventriculum, loco omnino moventem. Tumor iſte, ambitu ſuo pugnum duplicatum exſuperans, ab omni parte medium pylorum obſidens, ipſumque ventriculum, ad palmæ robuſtiſſimæ latitudinem. Superiora verſus peritonæo concretus adhærens, ſeparatus inde vulnuſculum monſtrans, piſi magnitudine, ora calloſa, in cavitatem ventriculi penetrans. Subſtantia tu-

(*a*) Qualem *Ovidius metam.* 3. 396. deſcribit:
Attenuant vigiles corpus miſerabile curæ;
Adducitque cutim macies, & in aëra ſuccus
Corporis omnis abit; vox tantum atque oſſa ſuperſunt.

moris duriſſima, renitens, calloſa ligamentum latum cartilagineum referens. Diſſectus hac parte ventriculus & pylorus, lateribus conſpicitur tumidiſſimis, & tunicis immenſæ craſſitiei, adeo, ut, quod fidem ſuperare videbitur, diameter tres latos digitos efficeret; orificium pylori conſtrictum, nodoſum, anguſtiſſimum, valvulæ nullum veſtigium; orificium ventriculi ſuperius a diaphragmate ad maximam palmæ latitudinem diſtans & elongatum. Præter ea, quod obiter notatum, omentum & meſenterium, glandulis ſcatens ſcirrhoſis, duriſſimis, acutiſſimis; lien, quatuor profundis, membranula veſtitis, ſegmentis diſtinctus, ſolito volumine triplo major; Ren ſiniſter mollior laxiorque quaſi excavatus; principium ureteris ſiniſtri magnopere diſtentum; cetera viſcera ſatis recte & ſecundum naturam comparata. Reliquæ autem cavitates non incîſæ, partem cognita morbi mortiſque cauſſa, partem liberorum & propinquorum turba, ſectionem turbante, quoque minus ventriculus calloſus exſcindi, & ſervari ad vota potuerit, impediente. Propter ſummam enim exempli raritatem hic ventriculus & pylorus, ſupra fidem calloſus, diligenter reponi, & inter cimelia muſæi noſtri anatomici aſſervari, meruerit.

Rariſſimus ſcilicet hic caſus eſt, &, pæne dixerim, ſine pari. Quæ enim exempla de ventriculo, inſolitæ magnitudinis, & ſede ſua moto, deque pyloro, ſcirrhoſo, nodoſo, calloſoque, obſervationum medicarum collectores, *Bonetus* (*a*), *Salmuthus* (*b*), *Schenckius* (*c*), *Schurigius* (*d*), aliique, congeſſerunt, illa ſane ejuſmodi ſunt, ut cum tam ſtupenda pylori calloſitate comparari nequeant. Propter ea a rerum intelligentibus veniam nos impetraturos confidimus, qui omentum, non ventriculum, multo minus pylorum, ſedem ſcirrhi, ſive ſteatomatis, declaravimus. Enimvero tumorem in omento quærendum ponendumque eſſe, varia, ſeorſim ſpectata, ſimulque ſumta, demonſtrabant: quo referas, locum abdominis affectum, tumorem mobilem, nunc verſus dextrum, nunc verſus ſiniſtrum, hypochondrium, inclinantem, eumdem liberum, pendulum, manu ſummiſſa, ab omni parte, a fundo ſi diſceſſeris, contrectabilem. Accedebant exempla, omenti, quinque librarum, ventriculum ex ſede ſua deorſum diſtrahentis, conglobati etiam, multis glandulis differti, ſex & viginti, immo triginta, libras pendentis, ſcirrhoſi denique, & in ſteatoma duriſſimum conglomerati, quæ *Veſalius* (*e*), *Miſcell. natur. curioſor.* (*f*) aliique commemorant. Nec ullum ex ſymptomatibus, v. c. inappetentia, continua vomitio, alvi

(*a*) *Sepulchret.* 3. 8. 31-2. 1. 132.
(*b*) *Obſ. medic.* 1. 20.
(*c*) *Obſ. med.* 3 fol. 344. ſeqq.
(*d*) *Loc. cit.* confer. *eph. nat. curioſ.*
(*e*) *Anatom.* 5. 4.
(*f*) 2. 10. 28. & 175.

alvi ſegnities, borborygmi, lenta tabes, ex ſumta hac omenti ſcirrhoſitate, expediri non poterat. Salivæ etiam abundantia & perpetuum ſtillicidium, ſcirrho huic, pancreas reneſque comprimenti, utique tribuenda putaveris. Utcumque autem ſit, cedo, erravimus, ſed in re abdita, quæque, non natura ſua, ſed inſolenter, raroque, accidit. Erravimus, quod principem mali ſedem attinet; (nam & omentum glandulis ſcirrhoſis ſcatuit & meſenterium) ſed quod curationem, cauſſæ mali opponendam, ſpectat, minime. Animo noſtro illud *Hippocratis* (*a*) ſalutare monitum ſemper obverſatur: *Οκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίγνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον. Θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως, Μὴ θεραπευόμενοι δὲ πλείω χρόνον διατελοῦσι*

Idem vero de calloſis etiam partium internarum concretionibus tenendum eſſe, nemo non videt, cui natura calli non ignoratur. Hic certe, niſi principiis obſtamus, ſero fruſtraque paratur medicina, quum mala per longas moras invaluere. At, quis eſt ille, qui prima calli initia calleat? quibus ex ſignis illa colligimus? Adultum vero in viſceribus & partibus membranaceis callum, incurabilem ut habeas, neceſſum eſt. Nimirum callus vocatur, partium molliorum, membranacearum maxime, increſcens paullatim moles, dura admodum & indolens, a vaſis diu multumque compreſſis, tandemque inter ſe concretis, oriunda. Exempla in promtu ſunt, in vaſis majoribus, liquido ſuo transfluente orbatis, compreſſiſque, luculentiſſima. Cogita, ſi placet, canalem arterioſum, venam arteriaſque umbilicales, vaſa patentiſſima ante, nunc impervia, & ſolidiſſima ligamenta. Quanto citius minimi, inſenſiles, canaliculi coaleſcent, compreſſi ſcilicet, aut alia ex ratione ſubtiliſſimo ſuo, quod vehunt, fluido orbati? per calloſam autem concretamque duritiem, ut natura docet, & cum natura *Hippocrates* (*b*) omnis intercipitur tranſitus, alimentique deſtruitur acceſſio. Qua quidem invia via medicamenti quoque acceſſio prohibetur.

Quo magis conſentaneum eſſe intelligimus, ut cauſſas illas omnes diligenter evitemus, quibus liquido ſuo tenerrima vaſcula fraudantur, calloque generando porta panditur. Variæ illæ ſunt, atque hoc loco non enumerandæ. Aliæ voluntati & poteſtati noſtræ non ſubjectæ ſunt; aliæ, contra, a nobis ipſis omnino dependent. Non nullas autem, principeſque, exemplo, quod nobis in præſenti objectum eſt, præeunte, adduxiſſe juvabit. Triplicis illæ potiſſimum ſunt generis. Prima & manifeſta cauſſa, magna cum probabilitate, ab illa ictus violentia, quem regione epigaſtrica juvenis femina excepit, arceſſenda eſt. Id vulnuſculum, in ſuperiori parte cum peritonæo coalitum, ejuſque calloſa ora, haud obſcure indicat; ut compreſſa hinc, irritata, ruptaque vaſa, & inductam ventriculo debilitatem, taceamus. Hanc injuriam externam,

I 3 con-

(*a*) *Aphor.* 6. 38.
(*b*) De venis, 19. & 20.

concedo, evitare non potuit. Nec, quum mille, & innumeri, ejuſmodi caſuum fatalium modi ſint, omnes ut effugiamus, noſtra efficere circumſpectione poſſumus. At id tamen omnes, credo, effugere poſſumus, ne, ut hoc nunc utar, inviſum illud calloſorum tuberculorum genus, illi clavi, verrucæque, plantas digitoſque pedum noſtrorum male occupent; ne, a calce ad caput ut veniamus, nares noſtræ occaleſcant & obeſæ fiant. Utrumque calli genus, cauſſæ, ni fallor, debetur, quæ noſtro imperio ſubjacet, quamque, genuino nomine, vanitatem pertinaciamque dixeris. Alteram cauſſam merito in illud heluationis genus conjeceris, qua femina noſtra totas abſorbere placentas, triticique deliciis abuti, a juventute peſſime conſuevit. Pylori in puella obſtructionem, a nimia pultis quantitate, *Guil. Fabric. Hildanus* (*a*) commemorat; omneque placentarum genus recte ſuſpectum & noxium habetur. Humoribus enim lentorem inducunt; noxiis & vitioſis ſuccis corpus replent; atque, ex *Philonis*, *Alexandrini* (*b*) obſervatione, cupediæ omnes, placentæ, bellaria, condimentaque alia curioſa, piſtorum & coquorum guſtui ſervientia, morbos conciliant, tum corpori, tum animo, inſanabiles. In cujus rei fidem juvabit etiam *Nonnum*, (*c*) ſic loquentem, introducere: in quotidiana vero victus ratione, qui aſſiduo ſimilagineo pane veſcuntur, nec corpus laboribus, validoque opere aliquo exercent, parum ſibi conſulunt; nam cum palato morem gerunt, in varios morbos incurrunt; confeſtim enim illis jecur aut lien obſtruitur, nephriticis, arthriticiſque doloribus corripiuntur, propter ſimilæ lentorem & dulcedinem. Atque hæc eſt una ex præcipuis cauſſis, cur ditiores & magnates aſſiduo calculi & podagræ doloribus vivant obnoxii. Et *Simon Paulli* (*d*) recordatur, ancillam piſtoris Roſtochienſis, athletico habitu, Bachanaliorum tempore aut feſto, devoraſſe unum itemque alterum ſimilagineum panem, calidum ex furno extractum, quorum medullam affuſo lacte & butyro, more patrio, ſubegerat; quæ vix, horæ ſpatio intermiſſo, lipothymia corripi, poſt ſe dyſpnœa conqueri, cœpit, quam deinde, tridui aut quatridui ſpatio, immedicabilis orthopnœa jugulavit. Dediſcamus igitur, optimo *Ciceronis* (*e*) conſilio, dediſcamus tandem artolaganos noſtros, & quidquid eſt ejus modi. Omne enim piſtorium opus, ex melle, adipe, caſeo, conſtans, quæque ex frumentis panificia ſunt, generis valentiſſimi eſſe, *Celſus* (*f*) monet, imbecilliſque hominibus rebus infirmiſſimis opus eſſe, robuſtis autem validiſſima apta, docet. Tertio, eoque ultimo, loco, feminæ noſtræ abſtinentiam a potu nimiam, pertinacemque, tanquam cauſſam, ma-

(*a*) *Obſ. chir.* 6. 14.
(*b*) Lib. de *victimis*.
(*c*) De re *cibaria*. p. 32.
(*d*) In *Quadripart. botanic.* p. m. 536. tit. *ſecale*.
(*e*) *Famil.* 9. 20.
(*f*) De *re med.* 2. 18.

malum ſuum foventem, augentemque, notari oportet. Ventriculi enim ſumma ipſi eſt debilitas; occaleſcere pylorus & anguſtari incipit; pulte tamen, valentiſſimo victu, minus facile concoquendo, omni placentarum genere, expletur continuo ventriculus, vehementerque pylorus comprimitur & urgetur; ſed lentus, qui inde exprimitur, viſciduſque chylus ſufficienti potu non diluitur, ſanguinem, daturus, ſibi ſimilem vaſa obſtruentem, humorum debitorum ſecretiones ſufflaminantem, ſcirrhos, calloſaſque concretiones, promoventem, & lentam tandem ſiccamque tabem (*a*) corpori inducentem egregie. Hic vero elegantioris in primis ſexus dirus mos eſt, ut in potus abſtinentia mirum quantum ſibi placeant. Negant ſe ſitire; non fallunt ſitim, tantum abeſt, ut, ad ſatietatem, & neceſſitatem, & juſto tempore, bibant. Aurei illius carminis immemores admoneas:

Inter prandendum ſit ſæpe parumque bibendum,

populiſque, labellis pocula tangentium, *bibe ſi bibis*, inſcribas. Fruſtra tuum conſilium erit; nihil efficies. Sicca, profecto, ſed mira, ſed damnoſa hæc voluptas eſt, poculum faſtidire, dentes ut probe exercere, ut eo magis fatigare, liceat. Magnopere verendum eſt, ne, dum ſobria ſpernunt pocula, medicata ſæpe poſcere, mortiſque tandem poculum exhaurire, cogantur. Ni fallor, jam hic & illic culpam pœna premit comes. Sed hæc hactenus.

(*a*) *Hippocrati* de *venis*, 20. z. ξηραὶ φθινώδεες vocantur.

F I N I S.

HENRICI

LXXVI.

HENRICI HENRICI

ET

JOAN. FRIDER. MESSER

DE

CHOLERA MORBO.

Halæ Aug. 1710.

PROOEMIUM.

I*Nter tot ſonticas graviſſimorum morborum cauſas nullam æque, ac venena, tam præcipiti ac funeſto impetu, truculentiſſimis ſymptomatibus ſtipato, in totius œconomiæ animalis perverſionem deletoriam ruere, omnes facile conſenſerint; id forſan quis addubitaverit, an, quæ venenis conſueta ſunt mala, ex interna quoque humorum corruptione, parum ſubinde incitata, corpori impendeant, eveniantque eadem? Nocent enim venena tum præcipiti fermentatione putredinoſa humoribus inducta, tum corroſione ſolidarum partium ſeptica, ſi quidem de noxa inducta ſermo ſaltim fuerit; ſed tantam aut fermentationem putredinoſam, aut acrimoniam tam celeri impetu deletoriam, convenire humoribus, illis vero non videtur ſimile, qui nec de potentiis materialibus ſub motu peregrino ſævientibus, nec de univerſo vitalitatis negotio juſta judicia ferre conſueverunt; quibus vel ſola cholera documento eſſe poterat, eadem, quæ venenis venenoſiſque aſſumtis debentur ſymptomata, humoribus quoque corruptis & concitatis in acceptis ferenda eſſe, adeo,* ut legitima cholera correptos toxicum bibiſſe putares, *teſte* Fernelio, & Veſalius, eſt, *inquit*, cholera magnum quoddam exemplum venenorum, quæ in corporibus noſtris gigni ſolent. *De quo quamvis per ipſam experientiam abunde conſtet, minime tamen idem omnibus eſt judicium, ad cauſas dijudicandas deventum eſt; ſunt enim, qui territi & attoniti ad ſymptomata, præcipiti atrocitate ſuſpecta ſemper, nil niſi venena cogitant, crepant & incuſant, quæ tamen ab aliis choleræ cauſis rite ac perite diſtinxiſſe ægrorum præcipue, hinc & fori quandoque, intereſt; hujus quidem, ut juſta ſemper edat judicia, illorum vero, ut tempeſtiva medicina adjuventur: Neque enim,* Celſo *teſte* ulli morbo minori momento ſuccurritur *atque veræ choleræ,. ſi mature cognita opportune ſublevetur; &, ex altera parte,* Prudentis non eſt, *ut A.* à Cruce *verbis utar*, (aut ego toto cœlo abberro) in re tanti momenti, (*vita a. & fama pari paſſu ambulant*) divinatione uti, nec ad medicum, a quo, pro veneni autore inveniendo, conſilium expetitur, ulla ratione ſpectat, indicia quædam infida, tanquam certa, probare, cum a veritate aliena & ſemota aliquando eſſe poſſint. *Quam facilis autem lapſus judicii medici ſit, hoc juxta experientiam Clariſſ.* Bohnius de Offic. Med. Forenſ. Libr. P. 2. c. *6. teſtatur, ubi judicium difficile in re difficili præcipitandum eſſe negat, ſerioque dehortatur medicos, ne quid temere agant & pronuncient. Suſpicio venenoſi aſſumpti præcipitata male ægris conſulit, & ſæpe, aliud agendo, lædit gravius, cum in tempeſtivo aptorum, morbique cauſis convenientium, remediorum uſu unica ſalutis ſpes hæreat. Quare, dum in choleræ morbi naturam, cauſas & therapiam diligentius inquirere conſtitutum nobis eſt, quævis ſuo modulo metiemur. Faxit Deus Feliciter!*

CAPUT PRIMUM.

De Hiſtoria Choleræ.

§. I.

CHolera an ἀπὸ τῶν χολάδων, ab inteſtinis, an ἀπὸ τῆς χολῆς à bile nomen acceperit? parum intereſt ſcrupuloſius perquirere; majoris utilitatis fuerit, ex homonymia verbi *Differentiam choleræ* adnotare, non quidem *genericam* illam, ſiccæ humidæque, ſed hujus potius *ſpecialem*, in *veram* legitimam & *ſymptomaticam*. *Vera* eſt quæ ab internis cauſis in corpore genitis dependet, facta hinc evacuatione conſueta, vel ſpontanea, vel levioribus de cauſis, nihil tale in ſe efficientibus, excitata, pro majori periculo anticipando, & quantum fieri poteſt, amovendo. Oritur hinc nova veræ choleræ diſtinctio in *criticam*, ſponte naturæ ſuſceptum, & in *procatarcticam*, a cauſa quadam occaſionali excitatum: De *iſta* Autor eſt, *Galenus: dari diarrhæas & choleras, quæ ſtatis intervallis omnem corporis redundantiam extrudant*, ubi tamen monendum, quod choleræ tales periodicæ paulo ſint rariores; *Procatarcticam* dico, quæ ab humoribus, cruditatibus, aliiſque primarum viarum vitiis, ſed etiam per leves ſubinde cauſas occaſionales incitatis, exoritur.

§. II.

Symptomaticam autem vocare lubet eam, quæ à venenis venenoſiſque aſſumtis, in ſe ſuaque natura ad vehementiſſimos motus cholericos ſuſcitandos potentibus, dependet, ſive præſentes adfuerint pravi humores &c. ſive minus: Poſſemus & hanc commoda ſatis denominatione *ſupercatarcticam* dicere, ad mentem recentiorum, qui & venena ac purgantia δραστικότερα inter cauſas choleræ numerant, ut appareat, recentiores omnem ἄνω καὶ κάτω factam horum generum evacuationem ſub choleræ nomine complecti, bene an male ex ipſa pertractatione patebit; veteres certe hypercatharſin ſumptorumque venenorum ſymptomata cholerica diſtinguere ſoliti fuerunt a cholera morbo, ſiquidem Galenus hypercatharſin ab helleboro poto excitari ſcribit choleræ ſimilem, ſolent enim omnibus hujuſmodi evacuationibus eadem fere ſymptomata accidere.

§. III.

Sunt autem conjuncta choleræ ſymptomata partim ſpaſtica, partim atonica

atonica in genere, quæ in ſpecie vel ad evacuationem ſpectant, (alia eminus alia cominus) vel motuum vitalium intermiſſiones ſunt, vel denique ſub utriſque ex neceſſitate quadam eveniunt. Ad (*a*) evacuationem (α) pro humorum effuſione ſpectant (1) contractiones ſpaſticæ totius corporis habitus, in vultu faciem Hippocraticam, cæterum ſenem macie confectum, aut frigore febrili rigentem gelidumque referentes, quibus accedunt (2) graviores extremorum, ſurarum inprimis ad ſenſum, contracturæ, ad (3) convulſiones uſque ſubinde tandem, rebus licet utplurimum deſperatis, intenſæ; pertinet huc & (4) pulſus cordis ſub debilitate celer; &c. (β) pro excretione vegete perpetranda militant nauſea, anxietas præcordiorum cardialgica torminaque ventris; ſicuti tergiverſanter ſuſceptum ac deſperabundam ſyncope magis & lipothymia comitantur, quæ motuum, nempe vitalium, (*b*) intermiſſiones ſupra dicta ſunt; (*c*) ex utriſque iſtis eveniunt ſubita virium proſtratio, ſudores frigidi, evacuationes ingraveſcente malo interno, rariores pauciorcſque, & alia, quorum rationem uberiorem dabimus infra.

§. IV.

Subjecta, quæ præ ceteris facilius graviuſque invadere ſolet cholera vera, ea ſunt, quibus vel in maſſa humorum vel in primis viis magna pravorum humorum copia abundat; qualia ſunt *temperamenta* eminenter cholerica, aut cholerico-melancholica, ſcorbutica, hypochondriaca, hyſterica, intemperanter voracia, ſenſibiliora, ad affectus animi impetuoſos præcipitia; *Ætatis* ratione rarius pueros ſeneſque, frequentius homines conſiſtenti ætati propiores! inque hac conſtitutos prehendit cholera; pueris parcit, quod, uti pravorum humorum, ita & affectuum magis ſint vacui; ſenibus vero, quod tanta humorum tenuitate motuumque energia non gaudeant, quanta acutiſſimus ille morbus ſuſcipitur & tranſigitur, quamvis hoc etiam de pueris valere queat. *Sexus* diverſitas nullo immunitatis privilegio defenditur, ſequior tamen plus diſpoſitionis, vel ob ſenſibilitatem, vel ob alias cauſas proprias, habere reputatur. Symptomatica vero ſeu hypercatarctica cholera quoſvis quovis tempore, data cauſa, invadit.

§. V.

Tempus, quo vera cholera frequentius exſurgit, in genere *ſubitum* eſt; neque enim vel languore vel nauſea, vel dolore ventriculi diu præcedentibus adventum ſui denunciat; in *ſpecie* (α) ratione *anni temporum* in *æſtatem* incidit magis ex ſententia *Hippocr. Epidem. Libr. VII. inciſo* 40. & ex *Sydenhamii* obſervatione in æſtatis finem & ſub verſionem hujus

in autumnum, *menſemque auguſtum* fere; hoc tempus rarius anticipari aut poſtponi arbitratur ille; vidi tamen & eandem in primum *veris* tempus incidiſſe, quo turgeſcere incipit maſſa humorum, pro qua diverſitate temporis concilianda notanda venit ipſius choleræ veræ diverſitas, qua eandem in criticam & procatarcticam diviſimus, hujuſque cum autumno confinia magis expectat, iſta verno quoque tempore invadit, ea videlicet, quam *Galenus* dixit *omnem corporis redundantiam protrudere*, uti diarrhæa ſolet. (*β*) Ratione durationis tempus choleræ vel *continuum* attenditur, idque breviſſimum, aliquot horarum aut unius alteriuſve diei ſpatio incluſum, raroque in tertium vel quartum diem extenſum; vel *diſcretum* dici poteſt; per periodos quaſi rediens, ac diuturnum magis; qua temporis ratione choleram recurrentem vidit Excell. Wedelius in ſcorbutico, acri acidaque bile onerato itemque *Prevotius*, notante *Rhodio* iſtoque referente, ex vomitorio male præparato ſingulis fere hebdomadibus per biennium aliquot ſemper horis moleſtiſſimam: Pertinet huc cholera diuturna, ſed fluentibus menſibus interrupta, raro exemplo, ab *Amato Luſit. C.* 3. *Obſ.* 88. recenſita.

§. VI.

Cauſæ morbi *occaſionales* & *efficientes*, tum antecedentes tum conjunctæ, variæ ſunt, partim externæ, hæque denuo vel aſſumptæ intra corpus, vel forinſecus magis lædentes; partim internæ, quarum aliquas ſeorſim recenſebimus.

§. VII.

Aſſumta choleram inducere vel excitare potentia alimentoſa ſunt, aut venenoſa; 1. *alimentoſa* ciborum potuumque genera complectuntur, quæ vel (*ω*) *varietate* ſolum noxia ſunt, copioſe ſumta, & in ventriculo ac duodeno acrem, tum inter ſe, tum cum bile, fermentationem ſubeuntia, quamvis ſub moderato uſu ſeparatoque ex natura ſua indemnia; quo intuitu *Hippocrates* crapulam & convivia inter cauſas choleræ numerat *Libr, de affect. l.* 28. idque exemplo *pugilis*, voracis latius declarat *Libr. V. Epid. t.* 27. *nr.* 6. Porro huc pertinent (*β*) *acria* & *flatulenta*, fermentationem ciborum etiam laudabilium cum bile aut cum cruditatibus exacuantia, ſiquidem phaſeoli, radiculæ, cepæ, allium, raphanus ruſticanus & ſimilia choleram excitaſſe ſcribitur a variis (*γ*) *fermenteſcibilia* & *fermenteſcentia* nigro quoque calculo notata legimus paſſim, *dulcia* & in his *mellita* inprimis, non æque ſaccharata, maxime *purgativa ſimul* manna e. g. copioſius exhibita, itemque *fructus horæi*, muſtum, cereviſia feculenta (*δ*) Inter *corruptibilia* recenſetur tum *putredinoſæ* corruptioni expoſita, fungi, ova barbæ piſcis, ipſumque lac

&

& lacticinia in ventriculo impuro; tum *frigiditate* aquoſa ſimul nociva, ut melones cucumeres & ſimilia; tandem & (ε) *actu frigida* huc revocantur, ut *aquæ frigidæ* potus, obſervante *Tralliano*, *acidularum* uſus in cacochymicis & ſcorbuticis, notante *Heerio* & *Tralliano*; denique (ζ) aſſumptorum alimentoſorum agmen claudunt varia ex iſtis & ſimilibus *compoſita* limonada v. g. quam hypochondriaco choleræ occaſionem dediſſe memini &c. panis mellitus piperatus, aliaque.

§. VIII.

Venenoſa aſſumta tum ipſa *venena* ſunt, ea inprimis, quæ, juxta cauſticam potentiam, fermentativo putredinoſis viribus deletoria obſervantur; tum *purgantia draſtica*, antimonialia, aliaque helleborina aut male præparata, aut male, (intempeſtive aut immoderate) exhibita; quale quid à tartaro emetico juſta licet doſi, ſed intempeſtive dato, virgini accidiſſe recordor, raro dignoque, quod inferius adnotetur, exemplo; ſimilem hypercatharſin cholericam a gr. iſs Mercurii vitæ male præparati obſervavi in juvene.

§. IX.

Ad *externas*, *ſed forinſecus magis lædentes* choleræ cauſas, autoribus adnotatas, refero, quæcunque humores excretioni deſtinatos paratoſque (hac, vigente aut conſueta diu, ſuppreſſa) intra maſſam humorum cogere aut continere poſſunt, viis excretoriis citius tardiuſve præcluſis, hinc vero ad alia loca, pro evacuatione, cum impetu delatis humoribus iſtis non tolerandis: ſic enim *ſubitum* corporis, patiumque, vel *diuturnum* ſaltim, ſub calore ſudoreve *refrigerium* nocuiſſe viſum eſt v. g. ſi quis valde exæſtuans ſubito ſe frigido balneo commiſerit, aut ſi diutius huic innataverit, ſi ſudorem plorans repente ſe ex lecto aut balneo calido proripuerit in auram frigidiorem. *Braſſavolus* choleram refert à *frigido pedum lavacro* ſingulis diebus per æſtatem continuato; vidi & ego, & Præſes, cholericas excretiones non leves poſt ſimile *lavacrum adſtringens*, pro ſudoribus pedum fœtidis, febrem ſuppreſſam excipientibus, reſtringendis, per aliquot dies adhibitum; *à fonticulo* perperam occluſo choleram obſervavit *Febrius*; choleræ ſimiles non tamen adeo impetuoſas excretiones nuper admodum in ſene vegeta adnotavi ex eadem cauſa. De omnibus autem hiſce & ejuſmodi cauſis id notari velim, quod, ſine aliarum occaſionalium internarum externarumque cauſarum concurſu, ſuis viribus non ſufficiant morbo noſtro inducendo: An *aeris* forſan peculiaris quædam conſtitutio pro cholera epidemia *Sydenhamio* memorata huc pertineat, jam non diſquiram longius.

§. X.

§. X.

Ad *internas cauſas* referenda ſunt, quæ paſſim ab Autoribus medicis allegantur (1) *Cruditates primarum viarum*, bilioſæ, acidæ, nidorulentæ, copioſiores in cholericis, iracundis, hypochondriaco-hyſtericis &c. (2) *Cacochymia* Maſſæ humorum varia. (3) *Animi pathemata* ſubita & diuturna, ira inpr. & terror (quorum rationem agendi infra dabimus) atque mœſtitiam longiorem, pravis humoribus colligendis faventem, atque ideo à *Sennerto* inter cauſas choleræ numeratam, (4) Denique *morbi concurrentes* aut *prægreſſi* alii, v. g. mala *hypochondriaco-hyſterica*, *febres ardentes* bilioſæ veterum ſub initiis illorum, aliæque. Leipyrias non niſi cholera accedente ſolvi voluit *Hippor.* In *febre tertiana* maligna, quam vocat *Riverius*, tertio paroxyſmo, & *Panarolus* die 15. choleram excitatam referunt; ſub *inflammatione ventriculi* incipiente choleram vidi per binos dies ſat atrocem, ſuccedente tandem illius ſuppuratione, in puero 14. annorum. *Riolanus in Enchir. Anat.* a *phlogoſi* ventriculi choleram oriri affirmat; dyſenteriam cholericam obſervavit *Excell. Wedelius*; *Diarrhoeæ* olim conſuetæ, hinc ſuppreſſæ, tandem levi occaſione in choleram erumpentis exemplum refert *Joh. Raym. Fortis*, p. m. 225. Adde, quod ſupra ex *Amat. Luſit.* de cholera & menſium fluxu, interpolatis, recenſuimus.

§. XI.

Sanguineæ ſpuriæ *choleræ* mentionem quoque injiciunt Autores, recte an ſecus? aliorum eſto judicium, placuit jam illorum veſtigiis inhærere, qui & hypercatharſin ἄνω καὶ κάτω undecunque factam choleræ adjungunt; *Excell. Wedelius in Pathol. Dogmat. S.* 3. *C.* 3. inter varias, præter bilem, materias excretas refert quoque *plane cruentas*, per modum choleræ cum impetu protruſas; obſervavimus hic Halæ in ſene quodam ſanguinolentam hujuſmodi choleram, improprie dictam, impetuoſiſſimam; incredibilem copiam ſanguinis puri, nigreſcentis paululum, intra octo horarum ſpatium ſuperne ac inferne deponentem, quæ originem debebat hæmorrhoidum fluxui olim conſueto, novem vero annos venæſectione, bis eodem die in brachiis inſtante fluxu adminiſtrata, ac remediis neſcio quibus ſuppreſſo penitus, ex quo tempore bonus ille ſenex cum variis hypochondriacis, aliiſque vomitum cruentum preſſius molientibus, doloroſis anxiis æſtuoſis ſymptomatibus in iſtum uſque diem conflictatus fuerat; unde ſimul apparet, quid proprie de cholera ejuſmodi ſanguinea ſit judicandum; *menſium obſtructio* huc quoque pertinet.

§. XII.

Signa choleræ *generalia* manifeſta ſunt; *ſpecialia* vero legitimæ tum

criticæ

criticæ tum procatarcticæ nobis dictæ, ac ſymptomaticæ ſeu hypercatharcticæ, ſigna diſcretiva, cum a cauſis ſæpe latentibus deſumenda ſint, obſcuriora ſunt, atque ideo judicium de cauſa choleræ difficultatis pleniſſimum recte dicitur, niſi de aſſumtis noxiis manifeſte conſtet, caute igitur inſtituendum, clinicum non minus, quam forenſe, judicium, ne iſtud ægro damnoſum, hoc judici ſit prævaricans aut ſeductorium, ſi abſque debita cautione adhibita feratur; ſubdolum enim in ullo medico ſuſpicione præſumere, æque temerarium fuerit, atque abſurdum, in omni infallibilitatis prærogativam quærere. Equidem, qui veræ morbi pathologiæ cauſarum activitatis & effectuum morboſorum cauſaliumque notitia ſufficienti inſtructus eſt, ſi non exactiſſimus in judicio diſcretivo, temerarius ſaltem non erit, in pronunciando ſuper quæſtionem de ſumto datove veneno aut venenoſo remedio. Mirum dictu eſt, quanta judiciorum de eodem morbo diſcrepantia detur, quam facilis eorum lapſus, qui ad ſubita graviora mala cholerica nil niſi venena meditantur & incuſant, ſignis quibuſdam infidis, nimium tribuendo, decepti; de quo videatur laudati *Excell. D. Bohnii lib. de Offic. Med. P. 2. c. 6. de Renunciationum difficultate.*

§. XIII.

Effectus choleræ in ſolidis internis partibus notari inſuper merentur pro legitima morbi hiſtoria conficienda, *læſiones puta, ventriculi & inteſtinorum* inprimis, ſub lethali cholera contractæ, ac per ſectionem attentam, non tumultuariam, rerumque peritam, obſervatæ. *Inflammationes* nempe, ventriculi ac duodeni hinc inde poſt mortem quoque per maculas adparentes detectæ, itemque *ulcerationes* ac *ſphacelationes*, addo, ſi tanti ſunt *inflationes* ac *tenuitatem* ventriculi & inteſtinorum, quæ vehementes, & in ſpaſmos uſque ingraveſcentes, labores ordinarie ſolent excipere, quale quid, debilitas nempe & atonia, vehementiora ac diutius protracta corporis exercitia itineraque v. g. longiora pedibus emenſa membris ſeu muſculis obtingere ſolet; atonia autem ventriculi & inteſtinorum, inſecuta impetuoſos labores evacuatorios ſpaſticos & torminoſos, flatibus naturaliter inhoſpitantibus libertatem ſeſe expandendi concedit, ut inflata dein ſint viſcera illa, & ſub inflatione admodum tenuia, quod enim craſſiuſcula quodammodo appareant, id tonicæ ſtricturæ tribuendum, qua ceſſante, ſequitur neceſſario ſub expanſione, tenuitas, diligenter diſtinguenda ab illa, quam eroſio, ac abraſio interioris villoſæ tunicæ adferunt.

§. XIV.

Quod autem ad *maculas rubras* ac *liveſcentes* quodammodo attinet,

quibus inflammationes ſe prodere diximus, ſedulo quoque animadvertendum eſt monitum *Riolani in Anthropogr. l. 2. obſ. 20.* ventriculum nempe poſt choleram ordinarie *maculam rubram* aut nigreſcentem in ſiniſtro præcipue latere oſtendere, *a concurſu vaſorum ſanguiferorum, quod in multis*, addit ille, *ſubito extinctis veneni ſuſpicionem attulit;* nos vero illis, qui judicia de cauſa choleræ quæruntur, commendamus maxime ſi cholera illis eveniat, quæ menſium obſtructione laborarunt, ſanguine ad ventriculum per vaſa brevia copioſius regurgitante; neque tamen negamus, poſſe & inflammationem veram ſubeſſe, cum idem ille *Riolanus in Enchirid. anat. Pathol.* choleram ordinarie ab inflammatione ſtomachi deducat, de quo latius in Pathologia choleræ.

§. XV.

De *ſphacelatione* ventriculi & inteſtinorum color excrementorum & fœtor deterrimus, putredinem, ſub morte appropinquante inprimis, redolens ſatis, teſtatur, præcipue vero ſectio illorum, qui cholera extincti fuerunt, in quibus *Dolæus in Encyclopæd. Med. L. 3. c. 4. inteſtina ſphacelo correpta* ſibi conſpecta fuiſſe affirmat, cum multis aliis, quorum teſtimonia corradere, vel ideo ſupervacaneum fuerit, quod ex indole & vera pathologia choleræ hujuſmodi corruptiones etiam à priori probabiliſſime liceat deducere, ut ſuo loco patebit.

§. XVI.

Tandem quo hæc omnia ſub ipſa applicatione clariora evadant, *Exemplis* quibuſdam nobis obſervatis notiſque, hiſtoriam morbi illuſtrare & claudere, alienum à ſcopo non fuerit: Primum dabit *adoleſcens* 20. *annorum* circiter, temperamenti cholerico-melancholici, per aliquot annos (ex ſpirituum acidorum perverſo ac diuturno abuſu, vitaque ſedentaria.) *hypochondriacus*, ceteroquin ορθοςαδιος ſimul tamem *voraciſſimus*, qui ſub finem Julii menſis *limonada* ſic dicta, ſtatim a prandio largiter hauſta, circa veſperam torminibus ventris vexatur cum nauſea, & mox cum anxietatibus præcordiorum vomibundis, quæ, fruſtra aqua vitæ hauſta, celerrime increſcunt, labaſcunt vires, ſuccedit ſub ſudoribus frigidis diarrhoea & vomitu materiæ bilioſæ acerrimæ, per brevia intervalla redeuntes, adeo, ut intra 5. horas 30 fere excretionibus utrumque guttur excoriantibus, exerceretur; ſiſtuntur apto remedio primum vomitus, hinc & alvi deceſſiones, ſub finem mali rariores paucioresque, concalefacto in lecto corpore ſomnus obrepit, leviter ſudat æger, mane vero ſanus ſurgit.

§. XVII.

§. XVII.

Idem ille comeſtis in prandio *fungis*, nihil lædentibus commenſales, tertia inde hora iiſdem tentatur torminibus nauſeabundis, ſumme anxiis, quibus ingraveſcentibus, dum ad alvum deponendam ſe componit, animo deficit; & ſub lipothymia magnam corruptorum ciborum copiam reddit per os, vix ad ſe rediens, eadem lipothymia prehenſus, alvum exonerat, liquidam ac fœtentem, dantur breves induciæ, atque ut brevis ſim, ſingulis horarum quaternariis, eodem modo, & ſub iiſdem ſemper ſymptomatibus, primum vomitu, mox alvi ſeceſſu, ultra quatuor horas vexatur, ſumme debilitatus frigidum ſudat, corpus ſub ſpaſticis tractionibus extenuatur, faciem hippocraticam exacte refert, humorum ejicit ſemper acidiſſimos amaricantes auſteros dentium ſtupefactivos, & in pavimento efferveſcentes, liberatur tandem eodem, quo antea, modo.

§. XVIII.

Tertia vice, ſed inſequentis anni verno tempore, abſque cauſa occaſionali, quantum meminerat, admiſſa, ſimili cholera, ſymptomatum caterva ſimilium ſtipata, abſque ſyncope tamen, ſed cum gravioribus artuum, inferiorum maxime, tractionibus ſpaſticis, tantum non convulſivis, totiuſque corporis tractionibus rigidis, refrigeratoriis prehenſus, humores bilioſo acidos roſivos & cauſticos fere, ἄνω καὶ κάτω excernit, liberatur intra bihorium, ſuccedit febris tertiana per 10. menſes durans, ſæpiſſime interrupta quidem, ſed toties quoque rediens, qua tandem ſuperata, vitæque genere permutato, tum hypochondriaci mali tum cholericæ diſpoſitionis expers, quicquid menſæ apponitur, impune aſſumit, ea quoque quibus olim lædebatur facile.

§. XIX.

Juvenis 21. *annorum* vel circiter, Temp. Sangu. fugiente ſyrio, cereviſiis non conſuetis variiſque potis, & in cœna *cucumeribus* copioſius commeſtis, *cereviſiam triticeam recentem* ac fœculentam *Breyhan* ſuperbibit, dormit per mediam noctem, evigilans ſummo mane nauſeoſis torminoſis & cardialgicis doloribus vehementiſſime affligitur, vomit corruptos cibos, hinc bilem viridem, alvumque deponit, data vix ulla interſpirandi mora, moritur paucas intra horas ſyncopticus, antequam quæſitam impetraret medelam.

§. XX.

Fœmina quadragenaria Temp. Chol. Mel. à novem vel decem menſibus me-

melancholica, jam quadantenus ſublevata, menſe Martio, domum è foro rediens, pulverem præcipitantem Martialem cum *aqua frigida* ſumit, abhinc duobus horis exactis ſummas ſentit præcordiorum anxietates cardialgicas nauſeoſàs torminoſas, quas vomitus & alvi fluxus excipit vehementiſſimus, & copioſus, viridi bile, brunnique coloris, atra, ſecundum veteres, ejecta, cum ſymptomatibus choleræ conſuetis exceptis convulſionibus; ægra mali cauſam in pulverem ſumptum conjiciens, remedia huic oppoſita, neſcio quæ, aſſumit, parum ſublevatur, exercetur vomitu & alvi dejectionibus fœtidiſſimis in alterum uſque diem, dato tandem, ſed ſerius convenienti choleræ remedio, levamen aliquod ſentit, ſed per 35. horas evacuationibus ſumme debilitata, moritur placide. Aperto cadavere ventriculus tenuis & flaccidus reperitur, nullibi tamen arroſus, in ſuperna vero ejus parte macula quædam obſcure rubicunda, ſugillationem referens, ſimileſque, minores in colo hinc inde apparuerunt.

§. XXI.

Ova barbæ piſcis hoc nomine, quod choleram excitent, male audire, notum eſt. Vidi ab iſtis duas virgines cholera correptas fuiſſe, alteram immani plane & quam maxime torminoſa, ſyncopali quoque, alteram mitiori, quæ cauſam mali ſororis curati cognoſcens altero die experiundi ergo parum de ovis iſtis per 24. horas in aceto ſervatis deguſtaverat, idemque inde fatum experta, ipſo facto noxiam ovorum qualitatem teſtabatur.

§. XXII.

Fœmina duos ante menſes fœtum enixa, Auguſto prioris anni menſe à meridie torminoſa corripitur diarrhoea, ſub veſperam pro cœna *lactucam* adparat, & comedit, ſub noctem vehementiſſimo corripitur vomitu, ac diarrhoea, magis quam ante torminoſa, cum ſyncope ſæpius repetita ſucceſſive ingraveſcente ſemper, adeo, ut redeunte licet reſpiratione libera, mens tamen laborare videretur, cum immemor ſui ac inſenſilis, corpus hinc inde jactando, caput ſæpe tanta vi allideret, ut fractum crederes; vocatur ſummo mane Medicus ad ægram morti proximam, frigido ſudore madidam, emaciatam quaſi ſub habitu corporis & faciei hippocraticæ contracto, denique agentem quaſi animam; ægre revocatam loquela deſtituit, redit tamen per remedia, ſed ſubmiſſiſſima voce, quam vix inaudires; aſſumto remedio, cuncta fiunt per 4. horas leviora, poſtmodum redit anxietas, ſyncope, ſudor frigidus, ἀναισθησία, nihil evomit, alvus tamen inſciæ fluit; citius redit ad ſe quidem, ſed exceſſum e vita ſentit, de parentum adventu proximo monita, ad hunc

uſque

uſque vitæ prorogationem optat, rogat, impetrat, (remedio an deſiderio dubites) quiete ſatis expectatum ſuorum adventum læta & reviviſcens quaſi excipit, mox, ultimo vale dicto, convulſa moritur ſub veſperam, ubi mirari convenit in tanta morbi vehementia inducias morbo datas.

§. XXIII.

Puella 12. & quod excurrit annorum, temp. Mel-Chol. debile corpuſculum alens, ſæpiuſque per vitam torminibus ventris vexata, autumno ſuperiore, tum juſculum cœnitat, improviſi *tonitru terrore* vehementiſſime concutitur, cœnulam tamen conficit, quieſcit per noctem, mane ſurgens vertiginoſa ac tremula, ventris dolore cruciatur, mox animo linquitur, pallet, friget, extenuatur, aquis apoplecticis refocillata, vomitu auſteram bilem reddit & amariſſimam, alvumque deponit, ſemel, bis, ter, eodem modo, hinc juſculo vinoſo, nuce moſchata largiter aromatiſato aſſumto, ceſſat vomitus, alvus deponitur ſolum modo aliquoties, ſiſtitur & hæc, nauſeat tamen, ac vehementiſſime æſtuat, ſpaſmiſque artuum convulſivis intercurſitantibus tandem fere continuis tenetur; Medicus de citiori quam par erat, & incongrua evacuationis ſuppreſſione monitus, pulverem porrigit convenientem, addito præſagio, ægram facto uno alteroque vomitu, hinc ſudore leni tolerato, cum ſanitate cito in gratiam redituram; vomit illa inſignem bilis acrioris copiam, denuo pulvere ſumto ſudat ſuaviter per horam, ſanaque ſurgit, per octo horas in lecto detenta.

§. XXIV.

Mentionem ſupra fecimus *virginis*, cui cholericum quid accidit *à tartaro emet.* ſub conſueta quidem doſi ſed *intempeſtive adhibito*, nec adeo bene præparato. Erat iſta 28. annos nata, temp. ſangu. chol. vitæ ſedentariæ ac ærumnarum plenæ, *menſes* ob V. S. olim inſtantibus iſtis imprudenter in brachio factam, diu remorati, tandemque revocati fluebant parciſſime ac inordinate, inde multis hyſterico-hypochondriacis malis vexata per annos aliquot, hiſce remedium quærit in pharmacopolio, datur tartarus emet. ad gr. tria pro vomitu, ne ſine univerſalibus ſuſciperetur cura ſcilicet, ſumto iſto per integrum diem noctemque ἄνω καὶ κάτω purgatur vehementiſſime inter cruciatus anxios & torminoſos, impetrat ab eodem pharmacopœo remedium ſedativum, ceſſat vomitus & alvi fluxus, perdurat anxietas; altero, tertio, & ſequentibus diebus, octo circiter, ante & poſt meridiem, refrigeratur ſubito, nauſeat, vomiturit, ventre dolet, animo linquitur ad horulæ quartam, ter, quater quovis paroxyſmo quaſi, rigent interim artus, ut flecti ne-

quirent, rediens ad ſe vomit, bis, ter, totieſque alvum deponit, eadem tragœdia luditur a meridie, quinto die, poſt editum mali proſcenium, fortiſſima ſyncope deficit per bihorium, membraque adeo contrahuntur ut loco moveri flectique nulla vi poſſent, fruſtra quæſito ex officina mali remedio, in ferro chirurgico ſpes collocatur, venaque pertunditur, quam conſuetam ſecari neglexerat ægra, fluit ſanguis citra levamen, quin & paulo poſt denuo linquitur animo, donec vomitu alvique fluxu factis, interſpirandi locus concederetur, accurritur ad medicum, perſcribuntur antiſpaſmodica ſine inſigni levamine, examinatur tartar. emet. pro vomitu datus, qui infidæ præparationis notas aliquas edit, tentantur hinc alcalica, quibus butyri antimonialis virus cicuretur, tentamen ſuccedit optime, adeo ut ſolis iſtis in convenienti vehiculo datis priſtinæ, quamvis ut olim, cauſariæ valetudini reſtitueretur ægra.

CAPUT II.

De Pathologia Choleræ.

§. I.

Pathologia, cauſarum, morbi, & ſymptomatum rationem explicat; videamus igitur juxta (α) *cauſas* (1) *agendi potentias* & modos, ex quibus (2) *differentiæ* cauſarum per claſſes deſumuntur; juxta (β) *morbum* vero 3. τὸ *materiale*, ſeu læſiones a cauſis vel intentatas, vel inductas, vel denique ex his metuendas; porro (4) τὸ *formale*, ſ. rationem morbi formalem, ubi tum quæſtioni *cur*, tum *quomodo* fiat morbus ſatisfaciendum eſt; juxta (γ) *ſymptomata* morbi eſſentialia notandum eſt, *quid* ex materiali læſione ad formalem morbi rationem pro finali cauſa per juſtam conſequentiam *accidat* morbo, ut dein univerſa indoles felicius erui queat.

§. II.

Quod ad *cauſarum potentias*, quibus pollent ad choleram excitandam, attinet, *aliæ* quidem tantarum ſunt virium, ut *ſolæ ſufficiant*, quales ſunt *venena* ac *venenoſa* ſuperius recenſita; *alia* vero, *in ſe minus potentes*, cum aliis concurrentes efficaciam iſtam demum acquirunt. *Intervenientes* hujuſmodi cauſæ *materiales* ſunt α *cacochymia* Maſſæ humorum bilioſa, putredinoſa aliæque β *cruditates* primarum viarum, bilioſa, acida, nidoroſa, γ *partium internarum*, quæ primarum viarum nomine veniunt,

præ-

præcipue ventriculi ac duodeni, *corroſiones inflammationes*, ſ. phlogoſes, *tumoreſque calidi* veteribus dicti, ab infarctu vel ſtagnatione ſanguinis menſtrui & hæmorrhoidalis circa ventriculum; & ſi quæ ſunt aliæ hujuſmodi, quibus præſentibus aliæ minoris efficaciæ, facilius morbum noſtrum impetuoſiſſimum producere valent. *Cauſa virtualis ſeu intentionalis* eſt *motus naturæ criticus* quaſi, ſeu *eccriticus* certe, ad humores pravos evacuandos ſponte ſuaque virtute ſufficienti ſuſceptus. Reliquæ cauſæ mediatæ vel per modum *augendi cacochymiam & cruditates* agunt, vel per modum *exagitandi* ſub fermentatione cruditatum ac bilis præcipue cum cibis fermentantibus, vel per modum *ſtimuli* lenioris, aut acuti magis, naturæ vel primis viis additi, ſicque occaſionem choleræ præbent; cauſæ vero per ſe potentes ſolæque ſibi ad morbum hunc excludendum ſufficientes per *corroſionem*, colliquativam denique, ſolidis, & per *fermentationem putredinoſam* humoribus inductam, potiſſimum agere conſtat inter omnes, qui naturam venenorum penitius norunt. vid. *Magnifici & Excell. D. D. Stahlii Theoria med. vera Tom. II. Membr. ultima. de venenis.*

§. III.

Ab his igitur cauſis vario iſto modo agentibus inſignes corporis læſiones imminent; in genere, humorum putredo & ſolidarum ſtimulatio & putrilago ultimate, niſi removeantur illæ pro circumſtantiis rerum ocyus tardiuſve. *Putredinem* humorum tandem evenientem promovent; quæcunque cacochymiam, i. e. partes excrementitias ſeroſas accumulant, aut quæ excretionem earundem impediunt, aut quæ præcipitem humoribus adferunt fermentationem putredinoſam, qua mixtura illorum celerrime deſtruitur. Partibus *excrementitiis* referta ſunt *alimenta* non ſolum *dyſchyma*, ſed & laudabilia, *varietate* atque *condituris noxia*, quo reſpectu *Hippocrates* convivia inter cauſas choleræ retulit. *Excretiones ſeroſas* impediunt, *triſtitia* v. g. *mœror & vita ſedentaria*, ſub quibus motus tonicus & voluntarius, quin & reſpiratio, languet præ tædio quaſi; his vero ſanguinis fluxilitas inprimis conſervatur ſecretioneſque debitæ vigent. Celerius autem nocent evacuationes ſeroſæ ſuppreſſæ per *frigus externum*; per adſtringentia intempeſtiva, per conſolidationem fonticuli &c. humores enim excerni conſuetos aut excretioni jamjam deſtinatos, & repreſſos vel inhibitos diu non tolerat, ſed per alias vias mature evacuat. Celerrimam & intime reſolutoriam *fermentationem putredinoſam* humorum quidem *venenoſa* quædam; ſolidarum corroſionem ſeptic͏am veneno rum aliqua, & utramque afferunt, quod ex effectu cognoſcitur in illis, qui iſtis extincti ſunt.

§. IV.

§. IV.

Namque ſolidis partibus triplex noxa inducitur a cauſis choleram inducentibus pleriſque, nempe *acris vellicatio* & *inflammatio*, & *corroſio*; utraque poſteriorum tandem in *ſphacelum* abit. *Vellicant* fibras ventriculi (vix tamen ſine intentionali cauſa) quæcunque inſigni & manifeſta acrimonia pollent, tum aſſumta, tum in corpore genita, *corroſiva & cauſtico acida*, quæ vel diuturnitate temporis talia evaſerunt, (ſub concurſu, plerumque cauſæ occaſionalis) vel ſubito eandem induerunt per fermentationem acrem, aut inter ſe mutuo evenientem, aut cum vel in cruditatibus, (bile potiſſimum ſub ira copioſius cibis affuſa) excitatam per dulcia, corruptibilia, fœculenta fermenteſcentia, acria cum aliis cibis copioſe ſumta, pertinet huc ira, bilem copioſam & exagitatam cibis in fermento conſtitutis affundens, acerrimæ fermentationi pro more oleoſorum tenuium inducendæ, aptam.

§. V.

Dependet ab acri tali fermentatione *inflammatio*, inſinuantibus ſe in poros tunicarum ventriculi ac duodeni potiſſimum particulis acerrimis ex fermentatione ejuſmodi acerrima provenientibus, quod febris cholerica, bilioſa veterum abunde confirmat, vid. *Magnifici Excell. D. D. Stahlii* diſput. de eadem. Inflammationem inducere quoque poſſunt aſſumta ſpirituoſa acria, calidiſſima copioſius hauſta, quin & e contrario frigida actu talia, humoribus in fervore conſtitutis largiter ſuperingeſta. Inflammationem prævaleſcentem, preſſo pede, inſequitur ſuperficialis *arroſio* tandem & *ſphacelus*. Activiſſima enim eſt, & vires acquirit eundo; hanc *venena* quoque & *venenoſa* aſſumta immediate ac celerrime inducunt partibus. Notandum præterea eſt, ipſum naturæ remedium, humores nempe pro eluenda inflammatione abſtergendaque ulceratione affuſos, ubi & ipſi acriores fuerint, augere malum. Et hæc quidem hactenus de cauſis & effectibus choleræ, pergimus ad rationem morbi formalem.

§. VI.

Choleram conſiſtere in excretione per os & anum impetuoſiſſima, notum eſt omnibus; iſtæ vero an ex ſola vellicatione & irritatione acri fibrarum dependeant, an vero *certum in finem* ſuſcipiantur, quamvis dubitetur, obſcurum tamen non erit illis, quibus vitalitatis negotium intimius perſpectum eſt. Si quid, ſonticum ac funeſtum malum, hæreat in corpore, quod etiam aut certam ejus deſtructionem vel inferre poteſt, vel

vel jam molitur, pro hoc amovendo ejiciendoque, & pro noxa antevertenda inſurgit natura omnibus viribus, & pro re nata, ſummo cum impetu, uti in cholera; contra has cauſas, ex quibus vitæ periculum impendet, ſi retineantur, tales nempe, quæ humoribus certam citamque putredinem, ſolidis roſionem, inflammationem ulcerationem ſepticam ſ. ſphaceloſam, inducere poſſunt; tales, inquam, naturæ quandoque ſpontaneo *motu critico* teſte *Hippocrate in coac. prænot.* & *Galeno l. 7. meth. med.* ſæpius ſtimulo quodam per aſſumta accedente magno conatu ſurſum ac deorſum eluit, diluit & evacuat, quem in *finem* humores quoquoverſum ad inteſtina congerit per ſtricturas totius habitus corporis.

§. VII.

Hoc enim *modo* eluitoriæ hujuſmodi evacuationes contingunt in cholera; *affunduntur* ſcilicet humores *pro evacuatione* ſui ſolummodo in cholera critica, pro *eluitione* particularum activiſſimarum in ſubſtantiam viſceris ſe inſinuantium; proque *diluitione* contentorum, ut ſub vehiculo humoroſo felicius ejiciantur, in ſymptomatica nobis dicta cholera. Suſceptis enim partium remotarum conſtrictionibus tonicis vehementiſſimis, proximarum vero, inteſtinorum, jam relaxationibus, ut per poros aut vaſa magis patula humores copioſius affundi queant, jam ſpaſticis & convulſivis motibus, ut aſſumta, affuſa elutaque protrudantur foras. Sub iſtis remotarum partium ſtricturis humores in illis nidulantes excluduntur ac derivantur alioſum per pulſum. Ideo enim in cholera parcius fluit urina, quæ cum aliquo ardore ad vias urinarias rediens inter ceſſantis morbi ſigna refertur. Contrarium quis collegerit ex *ſudore frigido* ſub cholera erumpente; ſed ipſum frigus ſudoris in facie, madoriſque in reliquo corpore ſatis evincit, ſanguinem libere per partes cuti ſubjectas minime diſpenſari, ſolumque ſerum tenue exprimi ſub ſtricturis illis ſpaſticis, roridum & in guttas condenſatum in fronte, quia vaſa non adeo ibi ſtringuntur ac in reliquo corporis habitu a muſculis ſubjacentibus, unde mador ſolum frigidus exprimitur.

§. VIII.

Modus activitatis, qua peragitur eluitoria evacuatio, vel *ſufficiens* eſt pro rerum indigentia, vel *nimius*, vel *deficiens* tandem. *Nimia*, & majori quam pro cauſis vitiiſque avertendis requirebatur, activitate ſuſcipiuntur motus dicti (α) per *errorem* quendam anxiæ *naturæ*, non generalem ſed ſpecialem de præſenti; (β) dein & inſignis *humorum dyſcraſia* & *acrimonia* ipſum naturæ remedium in perniciem vertit, dum læſis jam abunde partibus affuſi iſti labem affrictam reddunt deteriorem, hinc enim ſcorbutici & hypochondriaci, quibus diuturnitate mali corrumpun-

tur & vappeſcunt humores, gravius laborant ex cholera, niſi cito congrua medicina paretur.

§. IX.

Ex quibus hactenus deductis ſatis, ni fallor, apparet tum morbi genius, tum graviſſimorum ſymptomatum ratio: *Eſt* enim *cholera evacuatio ſecretoria humorum bilioſo-ſeroſorum ex maſſa ſanguinea*; *&* cruditatum *bilioſo-acidorum* aliorumque, *quin &* aſſumtorum, *impetuoſiſſima per alvi fluxum vomitumque ſuſcepta*, *pro cauſis vitiiſque*, *deletoriam humoribus*, *ventriculo & inteſtinis*, *corruptionem minitantibus aut inducentibus*, *ſecernendis*, *eluendis*, *diluendis ejiciendiſque*, vegete *ſuccedens ſub ſpaſmis congeſtoriis excretoriiſque*, tergiverſanter *autem ſub nauſea primo*, *ſub lipothymia intercurrente*, *& incuria deſperabunda finali*; *indeque graviſſimis* ſymptomatibus *ſtipato*. Graviſſimus *in ſe*, ratione cauſarum effectuum ac impetus, eſt affectus, finaliter tamen ſ. intentionaliter non niſi bonus ac ſalutaris, quippe ad conſervationem corporis unice tendens, quamvis effective dictis de cauſis periculi plenus ac lethalis, niſi opportune ac decenter laboranti naturæ ſuccurratur, idque propter ſymptomatum aut effectuum morboſorum vehementiam.

§. X.

Graviſſima *ſymptomatum*, & maxime terrifica ſunt convulſiones, lipothymia, & ſubita virium proſtratio. *Convulſiones* ſpaſmis debentur congeſtoriis ad evacuationem neceſſariis quidem & utiliſſimis, ſed, ob ſenſibilitatem, cauſarumque ac vitiorum inductorum atrocitatem, eo uſque invaleſcentibus; ſub gravioribus enim malis & periculis maximo niſu evacuationem molitur natura, hujuſque tenerior ſenſibilitas facillime excedit modum, quod mitiorum quoque purgantium enormis effectus ſub iſta teſtatur, accedit, ubi illud naturæ remedium, humorum jam depravatorum affuſio, malum exaſperat, effectus longe periculoſiſſimus. *Lipothymia* ingentis terroris & periculi plena, ſub nauſea, inſtante evacuatione obrepens, de anxia, timida, tergiverſante, deſperabunda animi paſſione & actione, teſtatur ſonticam & deletoriam partium labem imminuentem aut inductum ex parte, itemque ob dolores graviſſimos ſenſibiliora ventriculi orificia prehendentes, ubi cardialgica dici conſuevit. Quandoque & ex actuali virium defectu, ſupervenit. *Dejiciunt* enim *vires* vel in toto, vel in parte; in toto poſt toleratos labores graviſſimos & poſt evacuationes copioſiſſimas factas; in parte autem ſtatim ab initio ſurrepente inſigni languore ex metu periculi, & impotentia ad motum corporis, ob ſpaſticas muſculoſarum partium contractiones motuumque

vita-

vitalium ataxias enormes; quibus tandem omnibus male cedentibus *mors*, ultima linea rerum, ſuccedit.

CAPUT III.

De Therapia Choleræ.

§. I.

HÆc pro diverſitate cauſarum, ſymptomatum, effectuum, temporumque morbi, quibus ingraveſcunt mala, variat; *Cauſæ materiales* ſui *immutationem* ſi quæ locum habet, indicant, & *evacuationem*; *humores* ultra menſuram reique neceſſitatem affuſi *derivationem* ſui aliorſum & *præcluſionem* ad primas vias, poſtulant. *Effectus* 1. *ſtimulationis* & *roſionis* blandam *demulcentiam*, *inflammationis*, *refrigerationem* cautam, 2. *corruptionis* ulceroſæ ſuperficiariæ, balſamicam *defenſionem* & *conſolidationem* (utinam poſſibilem!) præcipue vero iſtorum *opportunitatem* urgent. *Symptomata* graviora *ſpaſtico-torminoſa* & *convulſiva* blandam *ἀνοδύνην ſedationem* deſiderant; *defectiva*, ſyncoptica & atonica virium & roboris, *ſolamen* ac *reſtaurationem* cardiaco nervinam exigunt. Sunt hæ indicationes, quas conſtituere poſſumus & ſolemus, non male ad methodum, ſi rite obſervantur, & indicata reſpondeant.

§. II.

Materias morbiferas correctione adhibita in ſolidum immutare, res eſt multis promiſſionibus jactata, omnique voto expetenda, ſed inventu difficillima, rariſſima; non omnino nunquam dari, ipſa cholera certis caſibus documento eſt, cujus non omnes, aliquæ tamen cauſæ materiales, correctionem admittunt, ut morbus in prima, quod dicunt, herba ſuffocari queat, quando nempe *acidum cauſticum*, illudque inprimis peccat, quod ex fermentatione bilis per iram copioſius affuſæ cum cibis provenit, cujus acrimonia *præcipitantibus*, tempeſtive adhibitis infringi poteſt, immutari, & corrigi adeo, ut noxiam qualitatem deponat, nec quicquam mali ſolidis partibus inferat; quod ſi enim hiſce labes jam affricta fuerit, licet utilia ſint abſorbentia, ad progreſſum illius à cauſa tali pendentium infringendum, non tamen omnem morbi impetum retundere valent, ubi inflammatio ſuborta per jugem humorum affuſionem eluenda venit. Sunt autem talia inprimis *oſtracodermata* ut mat. perlar. lap. & chelæ cancr. *terreaque*, ex quorum genere cryſtallus mont. nullis impu-

ritatibus metallicis inquinata, *Joh. Langii*, *Mercati* aliorumque commendatione tantum non ſpecifica, reliquis præfertur.

§. III.

Evacuatio vegete procedens non ſtimulo ſed *vehiculo* ſaltim commodo, *temperante* nempe *calido*, indiget; pro quo veteres non ſine ratione & effectu decoctis hordei ſimplicibus aut cum alexipharmacis ſuis lenioribus, v. g rad. ſcorzoner. C. C. medicatis utebantur, quorum loco alii *Trincavell. Fortis Sydenh.* juſcula carnium, pulli præcipue gallinacei adhibuerunt. Sunt qui lac chalybeatum (ut magis defendat partes ab eroſione propter oleoſitatem, roboretque propter martem,) aut ſerum lactis, pro aliqua refrigeratione, elegerunt. hoc dictus jam *Fortis* commendat, illud *Zacutus Luſit. Pr. Med. Mirab. l.* 2. *obſ.* 1. laudat, *cholera*, ait, *admiranda lactis chalybeati & ſyrup de meſpilis ſæpius de die ebibiti ope ſanata* eſt. Notandum autem, lac non principio, ubi ſcatent adhuc acido copioſe primæ viæ, ſed facta ſufficienti ſaburræ acidæ evacuatione convenire, ad demulcendam roſionem vel eroſionem ſuperficialem, quæ ab acido cauſtico inducitur partibus, poſt inflammationem potiſſimum. Solent enim & citra hanc, hypochondriaci ſæpe acerrimos humores, fauces in tranſitu arrodentes vomere, quos corroſiva virtute ad arſenicalem naturam tendere in dyſenteria v. g. ſcribit *Excell. Wedelius in Pathol.* Probant id clariſſime faſciæ infantum, fæces, colore odoreque æruginoſas, excipientes, & ſi aliquandiu iſtas retineant, adeo inde corroſæ, ut lintei pro fomite uſtulati ad inſtar diſcerpi queant, quin & podicem excoriare ſolent fæces ejuſmodi; par ratio humorum eſt, qui in cholera excernuntur: ſolantur igitur demulcentia talia roſionem internam, atque lac ſub dicta cautione datum in cholera vera æque convenit, ac ſi venenoſa corroſivaque alia fuerint aſſumta, quod certis de cauſis notanter dicere volui, ne quis putet, ſolis venenis deberi talia.

§. IV.

Evacuationem, ſub vomitu inani & anxio, ſegniter procedentem, *promovere* jubent autores cum ratione, per leniores ſtimulos, vel ob ſolam copiam & teporem ac lubricitatem nauſeoſam, vel ob virtutem leniter purgativam evacuationes proritantia. Tuta ſunt iſta, ob oleoſitatem vel lubricitatem ac teporem, nauſeoſa, ac indemnia; circa purgantia, licet leniora fuerint antiquorum iſta, cautione tamen opus eſt, ne vel exſtimulemus nimium humores ad excretionem paratos, ad quos lenior quoque ſtimulus de nimietate ſuſpectus eſt, neve dulcibus fermentationem exacuemus, utroque reſpectu tutiſſimæ ſunt *Magnif. & Excell.* D. D. *Stahlii*

Stahlii pilulæ balſamico-confortativæ, uti alias ſæpiſſime, ita in vomitu, diarrhœa ac dyſenteria multoties, & his in cholera ſegni ac tergiverſante, mihi expertæ, ad excretionem debitam facilitandam; quarum loco veteribus in uſu familiari fuerunt ſyrup. roſar-pallid. ſolutiv. ſyr. viol. de cichor. c. rhabarb. ipſam quoque rhabar. in ſubſtantia quamvis hoc multis ob ſtimulum, ita ob dulcedinem ſuſpecta habeantur, ſub perita tamen ac tempeſtiva adminiſtratione locum inveniunt. Item *clyſteres* non adeo ſtimulantes.

§. V.

Facta correctione poſſibili, & evacuatione ſufficienti efferatus excernendi *impetus refrenandus* ac pro re nata *ſiſtendus* omnino eſt, cum vel ſola evacuatio repentino copioſa admodum ſit damnoſa, quem in finem *humores*, ſub impetu excretionis ſemel ſuſcepto, copioſius affuſi aliorſum *derivandi* ſunt, eſtque illorum *effluxus* inhibendus, & *præcludendus*. *Derivamus humores* vel ſola invitatione ad alias partes vel evacuatione in aliis partibus inſtituta. Cum enim humores ad inteſtina confluant, propter ſpaſmos remotarum partium hinc excluſi, hi ſpaſmis ſedatis, partibuſque ita reſeratis ſpatium inveniunt divertendi ac ſecedendi in alia loca.

§. VI.

Pro *diverſione evacuatoria* ſuadent aliqui (1) V. Snem; hanc medicos Pariſienſes ſuo tempore avara manu admiſiſſe dicit *Riolanus in enchirid. anat. p.* 131. ad avertendum gangrænæ periculum in cholera, quam cum inflammatione interna conjunctam ſemper crediderunt. Diſſentit Riolanus ab illis, qui in ipſo inſultu V. S. adhibent, ſatiuſque eſſe dicit, humorum impetum primum cohibere, mox pacatis ſymptomatibus ad V. S. confugere, quæ ſedato inſultu ſanguinem illum torridum & æſtuantem revellat & maxime contemperet, eaque ſemel, bis, ter erit reiteranda, *ſi vires* a prima evacuatione nullo modo *debilitatæ*, *ſed recreatæ potius appareant*, pro novo ſcilicet inſultu anticipando, *ſymptomata enim*, (ſedata) *poſt unum alterumque quietis ac intermiſſionis diem*, *fortiora ac vehementiora reſurgunt*, *& ægrum*, *a priori inſultu valde debilitatum*, *de medio tollunt.* Nos nec commendamus eandem, nec rejicimus ſemper ſi ad mentem Riolani caute, præſervative magis inſtituenda fuerit. 2. Pro eadem ſupra indigitata diverſione dein *ſudorifera*, humores a centro ad circumferentiam, uti loquuntur, pellentia ſ. æquabilitatem circuli reſtituentia recenſentur, mitioraque laudem merentur v. g. eſſ. theriacal. ſcordiique c. eſſ. milleſ. miſt. ſimpl. non adeo camphorata, ſed caute danda, nec niſi poſt factam ſufficientem evacuationem, aut poſt fermentationem acrem correctam alias pulveris magis diaphor. c. abſorbentibus ſeligantur potius.

M 3 3. *Diu-*

3. *Diuretica* non omnino nihil hoc nomine conferre antiqua illa teſtaretur obſervatio, de copioſo urinæ profluvio cum ardore in cholera ſalutari, ac inter ſigna ceſſantis morbi relato. Seligenda autem ſunt hoc nomine talia, quæ cauſas & partem affectam ſimul reſpiciant.

§. VII.

Pro *diverſione* humorum *invitatoria* ac *inhibitoria* adhibentur quæ vel affluxum eorum remorantur & intercipiunt, vel quæ evacuationes violentas cohibent; hoc fine ſolebant veteres *cucurbitulam* magnam umbilico cum multa flamma applicare, ut *Celſus*, *Aretæus*, *Trallianus*. Pro affluxu autem intercipiendo *ligaturæ* fortes (quin & uſtiones) in brachiis & circa femora inſtituebant iidem, ut compreſſis vaſis detinerentur in partibus humores. Dein, ut ſpaſmis externarum partium relaxatis liberum ſecedendi ſpatium habeant humores, pro diverſione invitatoria ſine excretione, adplicarunt 1. *calefacientia* tum ſicca tum humida ſimul emollientia, hoc nomine *Rhazes* commendat balneum aquæ dulcis, & Fortis idem cum malv. chamæm. melilot. alth. alteratum, ſub hac cautione, ut non niſi viribus conſtantibus in uſum vocetur. *Pediluvia* calida quid poſſint, intelligi poteſt ex refrigerio pedum diarrhœas ipſamque choleram provocante. *Inunctiones* ſpinæ dorſi cum ol. amygd. d. lumbr. terr. pingu. caſtor. laudat idem *Fortis*, quibus oleoſis *Aretæus* pro calore ſimul revocando attrahentia veteribus dicta, euphorb. ſinapi, addit, recentiores vero horum loco aquas apoplect. adhibent. Ad ſicca calefacientia pertinent *lagenæ aqua calida plenæ* pedibus applicatæ, *frictioneſque* membrorum cum pannis aſperis calefactis inſtitutæ. 2. Dein *antiſpaſmodica* interna hoc quoque nomine utilia eſſe facile apparet, de quibus infra.

§. VIII.

Dum hæc fiunt, factaque partim ſunt, humoribus ad inteſtina relaxata aditus præcludendus eſt, per *ſubadſtringentia* & *nervina* interna externaque; *interna nervina* ſunt vinum calid. aromatibus pro re nata conditum, pitiſſandum. Olea mac. cinam. caryoph. in parca doſi cum eſſent. carminat. milleſ. theriacali, ſpiritu maſtichis mixta, ſique inflammatio aut eroſio talia prohibeat, temperatiora ſeliguntur v. g. maſtix Nux Moſch. cum aliis, mentha, cujus ſyrupum *Alex. Benedictus* ſuccum *Frid. Hoffmannus Pater* decoctum *Rolfinckius* ſpecifica fere laude commendant. pulv. cumini *Foreſtus*. *Externa* talia ſunt ol. nuc. moſch. expreſſ. hujus & aneth. aniſi chamæm. menth. carvi caryoph. deſtillata. Emplaſtr. de cruſta panis c. theriaca iſtiſque oleis. taceo ſacculos paregoricos & nervinos. *Adſtringentia* ſunt v. g. croc. mart. Paracelſi, quo nullum præſtantius remedium eſſe di-

dicit *Franciſc. Joël.* pulveres ſtypticos ſuos laudat *Excell. Wedelius.* lap. hæmat. *Panarolus* in cholera ſanguine ſibi expertum, ſuccus gran. cydon. horumque caro. ſyrup. de meſpil. corall. rubr. terræ ſigill. variæ, terra vitrioli dulcis a variis, cortex caſtan. gemm. ceraſorum c. vino datæ a peculiari in cholera virtute, laudantur, chin. chin. expertus eſt *Dolæus.*

§. IX.

Inflammationi ſubortæ veteres oppoſuerunt (1) herbas nitroſa virtute frigidas, ut ſempervivum & lactuca, *Vid. Vidius* ſerum lactis; certiora autem ſunt ipſa nitroſa, ut nitr. purum, regeneratum, arc. duplicat. parca manu c. abſorbent. datum. 2. actu frigida, ut aquam frigidam hauſtam Galenus Ætius aliique laudant; hodie magis arrident aquæ deſtill. c. emulſivis, in ſpecie c. ſem. card. mariæ ex commendatione pro internis inflammationibus *Excell. D. D. Stahlii* in *diſp. de febre bilioſa.* 3. ipſa quoque acidulata, diluta tamen, ad calidam materim alterandam proponit *Sennertus de cholera*, ſucc. v. g. & ſyrup. herb. ribium citri. cautione tamen in his opus eſt.

§. X.

Arroſionem (1) *demulcent* temperantia oleoſo-mucilaginoſa, lubricantia, oleoſa pinguia aquoſis diſtemperata, ut vehiculi vices ſubire queant ſimul. v. g. juſc. avenac. hordeat. pullorum lac. chalybeat. ſem. emulſiva amygdal. dulc. cujus & oleum datur, ubi corroſiva aſſumta mali cauſam dederint. Sumuntur talia per os, anoque clyſtere injiciuntur. (2) *Defendunt arroſas partes* ab ulceratione ſeptica, aut ſaltim hoc nomine præſcribuntur, & conſolidationem præſtare dicuntur, balſamica v. g. eſſ. myrrh. ſuccin. & balſ. peruv. quæ in ſuppuratione ventriculi ejecto pure ex uſu fuiſſe ipſe expertus ſum, commendantur præterea balſ. Locatell. Meibomii, aliaque.

§. XI.

Pro *ſpaſmis doloroſis* & convulſivis interne locum inveniunt *anodyna*, inprimis talia, quæ ſimul roborant partes, ac diſcutiunt humores. Præferuntur reliquis opiata, quæ poſt Hippocratem uno ore comprobarunt medici, dubito tamen, an remedia *Hippocratis* παύοντα τὴν ὀδύνην, opiata fuerint talia, quibus recentiores utuntur, ſcribit *Hippocr. libr. de affect. t. 28. nr. 8. Bilis fluxi* τῇ χολέρῃ *conducit ſi dolor adſit, dare, quæ in pharmacis ſcripta ſunt, ſedantia dolorem - - ad veſperam vero dato & huic ea quæ dari ſolent ei, qui pharmacum bibit.* commendat autem *libr. de loc. in homine t. 45. nr. 1. contra* hypercatharſin ſuperne & inferne fientem, *ut vinum ſorbeat; pri-*

mum

mum quidem dilutum, *deinde meracum frequenter*, *& ſanabitur*, inquit, æger. Sed num Hippocratem feliciter imitentur, qui opium adhibent, in dubio res eſt, conſtat enim ex *Galeno*, vetuſtiſſimos medicinæ Patres opium nunquam adhibuiſſe, niſi, quod de *Galeno* teſtatur *Montanus*, cum timuerunt mortem, quo caſu ad philonium acceſſit in doloribus, extra hanc neceſſitatem ad theriacam novam & diaſpermaton neque unquam uſus eſt opio. Ipſe Galenus l. 2. de compoſ. medic. non debere exhiberi opium niſi in doloribus, in quibus vel mortem, vel ſyncopen expectamus, quam ſyncopen ſequitur mors, ſubintelligit vero non ipſum opium per ſe, ſed cum aliis calidis roborantibus mixtum aut correctum, inque doſi exigua. Avicenna provocaturus ſomnum, non tranſibat papaver album teſte *Montano*. *Rhaſes* propoſuit quidem opium, at *præſtat* inquit idem, *eum non ſequi*, *ſed Galenum imitari*, *qui nec externe opium ſine calidis additis adhibuit*. Galenici igitur veteres opiatis iſtis raro uſi fuerunt. *Foreſtus* in cholera ſomnum utiliſſimum externis potius oleis conciliare ſuadet; urgente neceſſitate, diacodium, quod excludit opium & ob. papav. capita hypnoticum eſt, concedit, aut clyſteribus capita papav. adjicit. *Joh. Raym. Fortis* theriacam parum fidens nepenthem Quercetani commendat; *Riverius* tamen laudanum opiatum ad gr. tria, vel ii porrigit, quem potius, quam Hippocratem imitati recentiores, temeritatem opii miſcuerunt prodigalitate præbii adeo, ut ad illud tanquam ad ſacram anchoram ſuam confugiant fere omnes, *Sydenhamius* parum abeſt, quin ſolo laudano liquido totam veræ choleræ medelam conficiat, cum tamen non niſi ad impetum enormem nimiumque refrænandum concedi debeat, cauſis materialibus vel correctis vel ſufficienter evacuatis: *Cum enim*, verba ſunt *Excell. D. D. Stahlii in diſp. de impoſt. opii.* §. 38. *harum partium* (ventriculi & inteſtinorum) *plerique affectus*, *potius* materiarum *efficaciæ innitantur*, *aut paſſim etiam in talibus* motibus *fundentur*, *qui omnino certam* materiam *pro objecto habent*: *quo utroque intuitu irritum omnino eſt*, motus *aut* ſenſus *obnubilare vel ſiſtere*, materiis, a *quibus aut* propter *quas illi fiunt*, *interim neglectis.* adde §. 39. ſub quo ſalutari monitu obſervato concedimus correctiora opiata, doſique minori ad ſolum impetum non amplius neceſſarium compeſcendum, theriacam v. g. aut eſſentiam theriacalem cum eſſ. millefol. & anodyna parca manu addita, itemque M. P. de cynogloſſ. vel hujus eſſentiam, cum aliis. Ad *externa*, ſpaſmos reſolventia, pertinent *fotus & linimenta*, muſculis contractis cum ſpongia aut panno applicata, vel illita ex lacte tepido vel decocto herbarum emollientium pro fotu, pro linimento vero olea liliac. violac. irin. lumbr. terreſtr. axung. caſtor. addito ipſo caſtoreo, de quibus videantur Autores.

§. XII.

§. XII.

Superſunt *ſymptomata* defectiva & atonica intercurrentia. Ad *Virium Lapſum* ipſamque *Syncopem vinum* multis expertum eſt, pitiſſatum, *rhenanum* præ ceteris, jam per ſe, jam *aqua fractum*, jam aromatibus gratioribus *roboratum*; de quo *Trallianus multi*, inquit, *ſola vini potione præter ſpem periculum mortis evaſerunt:* qui magis appropriatum expetunt, puniceum, cydoniatum aliaque commendata habent, huc refertur aqua cinam. cydoniat. & bugloſſata. *Excitandi* ſcopo externe laudantur *ſpirituoſa*, aqua apoplect. v. g. & balſ. vit. Excell. D. Hoffmanni, acidaque ut acet. rutac. bezoard. rub. id. quin & urinoſa fœtidis maritata pro ren ata.

§. XIII.

Multa hucuſque adduximus remedia choleræ, ex quibus pauciora ſufficere poterunt perito practico, ſeligendaque inprimis ea ſunt, quæ pluribus indicationibus ſatisfaciunt. Omnium vero legitimum adhibendi modum, juxta veram medendi methodum, ſuademus & ſingulorum tempeſtivum ac opportunum uſum. Sub quo experientia veritatem Celſi illius moniti, quod *nulli morbo minori momento ſuccurratur*, atque veræ choleræ, confirmabit.

FINIS.

LXXVII.

JOAN. KÆMPF,

DE

INFARCTU VASORUM VENTRICULI

Baſileæ 12. Octobris 1751.

N 2

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

PROOEMIUM.

Nihil magis artis noſtræ ſalutaris incremento velificari, nec expeditiorem patere viam ex labyrintho tot diſſidentium opinionum & hypotheſium emergendi, quam per genuinas & accurate adornatas obſervationes, res eſt extra dubium poſita & celeberrimorum practicorum conſenſu confirmata, præprimis vero auctoritate ill. Fr. Hoffmanni, in præſamine diſſert. de modo morbos conſignandi hunc in modum diſſerentis: mancam profecto, quin imo ſterilem eſſe illam pathologiam, quæ ex limpidis hiſce obſervationum fontibus, ſuos non deducit rationum rivulos, & paucis interſparſis: ſe unam de certo morbo accurate conſignatam & cum omnibus circumſtantiis notatam hiſtoriam plus æſtimare, quam mille laudana, arcana, & ſplendidiſſimas medicamentorum compoſitiones. Eidem opinioni ſuum quoque calculum adjecit ſolertiſſimus ille obſervator Georg. Baglivus, ſedulo in præfat. oper. inculcans: nullam prorſus & nobiliſſimæ ſcientiæ exornandæ & curandis hominibus ulteriorem operam navari poſſe, quam ſi præſtantiſſimæ artis ſtudioſi immenſo retro jam factas a majoribus noſtris obſervationes attenderent, novaſque indies animadverterent & notarent.

Hiſce inductus rationibus conſilium cepimus ſolida ſterilibus & inanibus ſpeculationibus anteponendo ejuſmodi thema pro inaugurali ut vocant diſſertatione ſeligendi, unde aliquid redundaret emolumenti. Quo quidem intuitu ſeſe obtulit affectus ille frequens, aſt parum cognitus, infarctus ſcilicet vaſorum ventriculi, de quo ſermonem inſtituere, vel ideo nulli dubitavimus, cum dudum ſub parentis in praxi medica caneſcentis ad Aſclepiadeum exercitium manuductione, omnes hujus morbi circumſtantias, ejuſdem prælucente experientia, autopſia nobis adnotare licuerit.

Ea igitur ſolummodo, quæ ſenſibus percepimus, ubique canonem illum cl. Baconis de Verulam. non fingendum aut excogitandum, quid natura ferat aut faciat, ſed inveniendum, ſecuti, eadem tantum indicavimus medicamenta, quæ experientia noſtro affectui proficua comprobavit, adjectis ſimul obſervationibus, quas tam in vivis corporibus, quam hocce morbo defunctis inſtituimus. Annuat Divina clementia noſtris conatibus, quo feliciter cedant, ac rei medicæ provehendæ inſerviant, illiſque, quos maxime ſpectant, qualemcunque adferant utilitatem!

Tu vero benevole Lector, ut hoc quidquid eſt opellæ calamo minus docto, ac ſtilo forſan inconcinno conſcriptæ, ſerena fronte perlegas, enixe rogamus, idque cum tua nobis benevolentia ultro ſpondeat, eam doctiori tuæ diſquiſitioni ſubmittentes, te inſuper obteſtamur, ut ſi quæ emendanda, emendes; ſi quæ omiſſa, ſuppleas atque tuis obſervationibus ac meditatio-

nibus ea, ad quæ a nobis via panditur, ulterius proſequaris; quod ſi feceris, erit, de quo nobis gratulemur, tibique gratias perſolvamus.

---

§. I.

ANtequam ad ipſam morbi noſtri pertractationem noſmet accingimus, a ſcopo noſtro alienum non erit, pauca de infarctuum generatione præmittere. Corpus noſtrum machinam eſſe, ex innumera tubulorum congerie, & diverſis per illos tranſmeantibus liquoribus, fluida continentibus, & fluidis in ſolidis contentis concinnatam, neminem latet. Arctiſſimam vero eſſe fluidis cum ſolidis, ad eundem finem conſpirantibus conſanguinitatem, nec minus arctius ac animam inter & corpus intercedere vinculum ex effectu patet; uno enim male affecto alterum preſſo pede afficitur. Solida quæ ad motus ſuſpiciendos & exſerendos deſtinata ſunt, motricibus & elaſticis fibris inſtructa, motu dilatationis & conſtrictionis fluida in orbem agitando, eorum utiles partes in uſum ſequeſtrando: inutiles vero & excrementitias per congrua emunctoria eliminando, illa in æquabili & proportionata mixtione conſervant, excedente vero aut deficiente motu tonico fluida a debita temperie deſciſcent, & vitioſa conditione delinquentes, vice verſa ſolidis, quorum vigor & motus ab illis dependet, qualitatem a naturali ſua indole deflectentem imprimënt. Tali modo æquilibrio inter contenta & continentia ſublato, largus viſcerum oppilationum fons patet.

§. II.

Ut vero propius ad rem accedamus, ſpecialius quæ ad geneſin infarctuum concurrunt, adnotabimus. Eam hiſce imprimis niti fundamentis, humorum nempe ſpiſſitudine, intemperie & vaſorum atonia aut criſpatura, jam ſupra breviter attigimus. Cum ſanguinis conſtitutio ad ſpiſſitudinem adeo inclinet, facile globuli ejus rubicundi adunnatur, pluribus punctis ſe tangunt, coaleſcunt, & vaſorum minimorum eos tranſmiſſurorum capacitate majores venientes, in illis minus expedite circulantes & hærentes, infarctus & obſtructiones contrahunt. Cum inſuper multæ, quæ ad ſpiſſitudinem contribuunt, exiſtant cauſæ, tanto citius idem affectus prolicitur. Harum ex claſſe abundantia ſanguinis, ſi nimia mole obruit corpus, vaſa ſupra modum diducuntur, cohæſio fibrarum debilitatur & cum ita m. ſanguinis reſiſtentia vaſorum reactionem ſuperet; liber & æquabilis progreſſivus motus intercipitur, ſanguis nec debite miſcetur, nec a ſordibus depuratur, ſed moras nectere coactus lentus & impurus, corpus ſimul cacochymicum efficit.

Pur

Purpureus hic latex ceu fons omnium ſecernendorum humorum, ſi labem accipit, omnibus reliquis humoribus, ipſam adſpergit. Ita temperato blando ſucco viduatus, partibus nutriendis ſufficiens genuinum pabulum denegat.

Cum particulæ ejus perenni & jugi motu effœtæ & excretæ, gelatinoſa balſamica lympha non reſarciuntur, nec non ob depreſſam laudabilem ſpirituaſcentiam roſcido illo, & defœcatiſſimo nervorum liquore contaminato, fibris elaſticis vigor derogatur, ſyſtalticus & diaſtalticus motus, cujus beneficio maſſa ſanguinis conquaſſari, atteri, depurari, & fluida conſervari debet, ſufflaminatur; cum hinc venulæ viribus fractis fluidum craſſum propellere nequeunt, ſtagnationes ſuſcitantur.

§. III.

Porro purpura noſtra vitalis acri ſucco, naturæ infeſto ſcaturiens membranoſo-nervoſas partes vellicando criſpaturas aut ſpaſmos proritat, qui vaſa anguſtantes ſanguinem cum impetu protrudunt, aliiſque in locis ejus accumulationem & ſtagnationem cauſantur. Inſimul vero ſecundum legem illam microcoſmicam, quod atonia ſpaſmorum comes ſit indivulſus, tonum debilitatum poſt ſe relinquunt, qui una cum ſpaſmis & ſequentibus ſuos debet natales. Quando nempe fibris muſcularibus, ob largiores hæmorrhagias, aut graviores morbos perpeſſos, innatus elater ſubtrahitur, aut fluidum nervorum per v. g. animi pathemata in irregularem abripitur motum, & hiſce fibris motum detrahendo, aliis nimis intenſum, vel rigiditatem conciliat, vel materia cauſtica, lancinans hauſta ſive a peripheria intra corpus retropreſſa, id quod in cutis defœdationibus & efflorefcentiis &c. ſolemne eſt; nervos vaſa circumligantes ſtimulando ad ſpaſmodicam contractionem invitat.

Denique ſpaſmi, dum renum, hepatis, cutis tubulos conſtringunt, excrementa craſſa, bilioſa, tartarea, ſulphureo-ſalina retinent, & ita ſibi ipſis novum ſemper pabulum ſuggerunt.

§. IV.

Cum affectus hi, toni nempe alterationes & fluidi depravatio valde inter ſeſe ſororientur, unuſque ex altero fluat §. I. junctis viribus tanto promptius morbum huncce lentum accerſunt. Uti vero affectus hi infarctus procreant, ita & hi vice verſa illos non ſolum largius proferunt, ſed tyrannidem etiam exercent diriorem, & novos ingignunt infarctus, qui ulterius ſemper agentes radices, morborum fiunt feraciſſimi, quia vias maſſæ ſanguinis obſtruendo, ejus motui progreſſivo æquabili obicem ponunt, & ut noſtra quidem fert opinio, ſæpius aliquid materiæ infarcientis, malæ indolis, quandoque fermenteſcibilis ſanguini

guini immiſcetur, vaſa etiam ob nimiam in ipſis incarceratam, corruptam, viſcidam colluviem non debite irrigantur, verum exſiccantur, & ad vitia modo dicta procliviora evadunt.

§. V.

Pro differenti obſtruentis genio, pro differenti ſubjecti natura, pro differentibus partibus obſtructis, & infarctuum effectus differunt. Sanguinem ſtagnantem extra motum poſitum peregrinam induere naturam, & pro requietis gradu, aut varia, qua antea gaudebat indole, magnopere conſiſtentia variari, ſatis ſuperque conſtat; ſæpius enim fluidis exhalantibus, & a viſcidis craſſis ſecedentibus in filamentoſo polypoſum abit concrementum, quandoque in tenax glutinoſum tophaceum conglutinatur, quod nobis non ſolum inſpectione cadaverum compertum eſt, ſed etiam ægrotis malo hypochondriaco, hæmorrhoidibus, calculo & arthritide laborantibus, ſi radicali ſubauſcultaverunt curæ, talibus concretionibus carnem referentibus, & gypſea materia, immo calculis formatis permultis ſine quidem abſceſſu aut dolore in hypochondrio peculiari, qui calculorum felleorum excretionem comitatur, per anum ejectis, ſanitati reſtituti ſunt; vide caſ. 1. 2, 3, 4. Quæ phænomena, me certum fecerunt, arthritici morbi & calculorum mineram plerumque in infimi ventris vaſis deliteſcere, ex quibus præterlabentes humores hujus cenſus moleculas abripiunt, eas verſus renes prædiſpoſitos transferentes, eorum tubulis impingunt, & calculum formant, aut vaſculis & glandulis articulorum lævigationi inſervientibus inſinuantes arthritidem provocant. Hæc ſententia & inde corroboratur, quia hi morbi ſemper fere cum hæmorrhoidum malo nupti ſunt, & quia facillime nephritis in arthritidem, & hæc in illam transformatur, urina quoque arthriticorum poſt moram ſabulum deponit, & tophacea concrementa circa ligamenta membrorum generantur. Hiſce vero non excludimus alios calculorum generationis modos ab ill. *Fr. Hoffm. in diſſertatione obſerv. & cautel. practic. in curat. calculi* exhibente, deſcriptos: ex ſanguine nempe plerumque, uti credimus, ob impeditum circulum in ſyſtemate venæ portarum, in renum vaſculis congeſto & ſtagnante, eorum tonum debilitari, & hocce ideo fieri, ut ſecretione difficilius procedente, mucidæ, terreſtres, ſalinæ particulæ coëant, ſive ob renum ſubſtantiam, ab apoſtemate vel ulcere læſam, calculis materiam ſuppeditari. Et ſequentem obſervationem noſtram huc pertinere arbitramur; quod illis, quibus infarctus ex ſcabie retropulſa inferuntur, plerumque ſingulari nervorum debilitati obnoxii ſint.

Cum juxta illud Hippocratis dictum, corpus a corpore, natura a natura; temperamentum a temperamento differat; mutationes in ipſis con-

contingentes varie modificentur, neceſſe eſt. Tali modo eadem cauſa morbifica pro diverſitate ſexus, ætatis, temperamenti, vitæ generis, & conſuetudinis perquam diſſidentia exſerit ſymptomata. Quæ quidem unico illuſtrare exemplo liceat. Ex crebriori & certa obſervatione nobis innotuit, illos qui calidioris ſunt naturæ, corporis naturam ſtrictam, & fibras tenſas poſſident, temperamentum nempe cholerico-melancholicum & melancholico-cholericum, ſæpius magnæ molis infarctus in abdomine abſcondere, pauca inde perſentientes incommoda; hoc vero malum, ſi ſemel excitatur, illos eo citius, quo promtiores ſunt ejuſmodi temperamenti actiones, miſere apoplexia &c. jugulari.

Non aliter ſe res habet cum diverſitate partium infarctu affectarum, quæ pro variis, quibus dicatæ ſunt functionibus; pro vario ſitu, & cum aliis viſceribus nexu, varios cauſantur effectus.

§. VI.

Infarctus primariam ſibi fulciunt ſedem in ſyſtemate venæ portæ ob rationes a cl. viris *Stahlio* & *Frid. Hoffmanno* egregie traditas, quia nimirum ob defectum valvularum, & poſt tot perpetratas ſecretiones ſanguinis ſpiſſi, in hac vena tardior eſt progreſſus, & hac ratione vel leviſſimis cauſis accedentibus, illa hunc morbum concipere poteſt. Ejuſdem proſapiæ vaſa, ventriculi & inteſtinorum membranas perreptantia, iiſdem fatis potiſſimum obnoxia ſunt, quia hoc volumen præ aliis viſceribus ſuſcipiendo irregulares motus, ſpaſmos, laxitatem, ratione ingeſtorum, & ſingularis cum cute & aliis partibus conſenſus, quem *cl. Baglivius* perſpicue demonſtrat in *Tract. de fibra motrice cap.* 9. & 10. ſubjectum eſt. Vaſa inteſtinum rectum decurrentia, ſub nomine hæmorrhoidalium venientia, præcipuum in fovendis infarctibus ſibi vindicant locum, tam ob hujus inteſtini molliorem ſtructuram, quam ob vaſorum perpendicularem aſcenſum, & a corde remotiorem diſtantiam, quo etiam fit, ut cum tam facile in iis nidulentur infarctus, plerumque aliis partibus ad hoc malum præbeant fundamentum. Eodemque jure uteri tortuoſa vaſa ad claſſem hanc pertinent.

§. VII.

His omnibus poſitis, in aprico erit ratio, nec amplis indigebit documentis, quod totus fere morborum apparatus ex infarctibus incunabula trahere poſſit, & provido medico incumbat, imprimis in chronicorum curatione ſemper has quandoque abditas cauſas reſpicere, niſi morbum palliative aggredi velit. Enimvero ſæpius morbi cauſa in abdomine latet, quæ vero Tragœdiam in remotis partibus, capite, pectore ludit, & variis ſcenis, cephalalgia, adfectibus ſoporoſis, apoplexia, epi-

lepſia, aſthmate, ſcorbuto, nervorum adfectibus, febribus intermittentibus apparet, quæ non ceſſabunt, niſi vera tollatur cauſa, id eſt, niſi obſtructiones curſui ſanguinis viam præcludentes reſerentur & ita impediatur, quo minus ſanguis ſpiſſus acri materia refertus verſus diſſitas etiam partes regurgitet, aut urgeatur. Perſæpe enim experientia edoctus, quod omnes enarrati morbi vel efficaciſſimis remediis non ceſſerint, infarctuum vero minera mirando modo per alvum & urinam excreta, plenarie propulſati ſint. Quando cum aliis morbis complicati ſunt, eorum nutritioni novum ſemper fomitem ſuggerendo, illos perquam rebelles reddunt; hac ratione luem veneream vel præſtantiſſimis in hujus generis morbis remediis & dexterrima manu, aſt in caſſum propinatis, non niſi infarctibus eradicatis exſtirpatam fuiſſe vidi.

§. VIII.

Generalioribus de infarctibus prælibatis ad ſpecialiorem, infarctus ſcilicet, qui vaſa ventriculi occupat, pertractationem devolvimur.

Eſt autem ille coacervatio ſanguinis plus minuſve ſpiſſi in vaſis ventriculi, aut a diſſitis partibus congeſti, aut ab aliis ipſi ibidem moram & ſtagnationem inducentibus cauſis dependens, & ſæpius vomitu cruento ſe determinans.

§. IX.

Hoc affectu detenti tenſiones, preſſiones & dolorem gravativum in ventriculo ſentiunt, ac ſi pondus moleſtum illum oneraret, uti una cum duritie, quæ & digitis ibi palpari poteſt, nonnunquam œſophagus conſtringitur, hinc difficulter deglutiunt, & bolus faucibus hæret, frequenter ſingultus pertinaces, & ſodæ per intervalla recurrentes affligunt, ſubinde palpitationes cordis & anxietates præcordia occupant, & cardialgia periodum ſervans, ægrum miſere excruciat, vertiginoſæ perturbationes & dolores obtuſi caput aggravant, admodum familiares ſunt conatus irriti ad vomendum, aut vomitiones actuales crebriores cum rejectione muci tenacis, ſtriis & grumis ſanguinis intermixti, quandoque ſeri limpidi, imprimis tempore matutino contingentes, nonnunquam fauces ſpirant fœtorem ipſi ægroto admodum tædioſum, modo os eſt nimis ſiccum, modo ptyaliſmus periodicus infeſtat. Nunc appetitus dejectus & ciborum faſtidium, nunc nimis eſt auctus, ſemper fere alvus eſt adſtricta & urina incocta, tenuis, pallida mingitur, in viris ut plurimum molimina hæmorrhoidalia, in fœminis ataxia menſium alternatim concurrunt, per complures interdum annos hæ moleſtiæ affligunt, & plerumque hunc in modum terminantur: ex improviſo contrahitur corporis ſuperficies, extrema frigeſcunt, inferiora ſpaſticæ contracturæ exercent, &

al-

alvum firmiter conſtringunt, corripit anxia præcordiorum arctatio, hiſce accedit nauſea, conatus ad vomitum, & denique periſtalſi inverſa, ſanguis aut floridus aut piceus nigricans, grumoſus eructatur.

§. X.

Morbum noſtro optimo jure hypochondriacum appellari poſſe, tum ſitus circa hypochondria, tum ſymptomatum ejus, maximam partem cum illis, quæ hypochondriacis adſcribuntur, convenientia, ſufficienter comprobant; vulgo etiam ſupra recenſita hoc titulo inſigniuntur. Culpa vero in lienis, hepatis obdurationes rejicitur, & ventriculo ſolummodo atonia & acidum tribuitur; morbi vero noſtri decurſus & exitus, vomitus cruentus aut in ſalutem aut mortem tendens, ſymptomatum, quibus incedit perdilucida & definita intervalla ſervantium diritas, & contumacia, potiſſimum vero inſpectio cadaverum, hoc morbo defunctorum luculenter arguunt, & ventriculum æque ac alia viſcera infarctus ſuſceptibilem exiſtere. Equidem verum eſt, quod acidum aut ſaburra vitioſa in ventriculo ſtabulans, & mora cauſtica reddita, ſatis atrocia poſt ſe trahat ſymptomata, ſed hæc medicamentis corrigentibus & evacuantibus adhibitis, ad tempus ſaltem ceſſant; id quod in noſtro affectu longe aliter evenit, cum nihilominus eodem tenore perſeverent, & morbo in majori gradu conſtituto vel leniter ſtimulantibus evacuantibus ſemper potius exaſperentur, quam mitigentur; nec de acido inſuper ſuſpicari liceat, cum hujus indicia ructus acidi, dentium ſtupor & crebrioribus vomituritionibus rejecti muci odor & ſapor acidus, tantum non ſemper deficiant, aut ſi ſimul coincidat, aut ex morbo generetur, ſymptomata magis exacerbet.

§. XI.

Nulla eſt ætas, nullus ſexus, nullum temperamentum, nec ullum vitæ genus, in quod non ſæviat dirus iſte morbus. Notabilia enim nobis occurrerunt exempla de infantibus omnibus ſupra enumeratis moleſtiis cruciatis, qui vero alio morbo ſuperveniente plerumque mortui ſunt. Unicum tantum adponere caſum liceat. Infans circiter 6. annorum, crebrius ardore ventriculi, cardialgia vomituritione & reliquis indicatis vexatus ſymptomatibus, variolis corripiebatur benignis, quibus apparentibus ſymptomata multum in modum exacerbabantur, tandem ſexto & ſeptimo die variolis retrogreſſis dolores morte finivit; aperto cadavere vaſa ventriculi imprimis pylorica atro glutinoſo polypoſo ſanguine admodum repleta diſtenta ſeſe manifeſtarunt, una cum ſcirrhoſis obdurationibus & ſtigmatibus inflammatoriis.

Sexus ſequior, ad infarctus ventriculi ſuſcipiendos magis accommo-

dus exiſtit, ob menſium negotium ex leviſſima cauſa interturbatum; quod deinde reſtrictionibus verſus ſuperiora & infarctui ventriculi anſam dat, nec non ob ejus ſenſibiliorem & debiliorem corporis habitum.

Nulli temperamento noſtrum morbum parcere & experientia & ratione nobis conſtat; de quolibet enim temperamento hocce morbo affecti ad nos venerunt.

Temperamentum melancholicum quidem ad obſtructiones viſcerum ingignendas præ aliis primo ſtatim intuitu inclinare videtur ob ejus ſanguinis ſpiſſiorem conſtitutionem; quando vero ſimul vaſa capaciora, habitus corporis ſtrictior, fibrarum denſarum, ſiccarum tenſio conſiderantur, pateſcet, quod vaſa, cum non tam facile a tono ſuo dejiciantur, renitentia ſua firmius ſanguini majori mole irruenti reſiſtere poſſint.

Non minus plegmatici corporis laxior & mollior ſtructura ob languidum inde procedentem ſanguinis circulum ad lentorem humorum contrahendum, proniſſima eſſet, niſi torpidi temperamenti hujus animus tranquillus ad neutram partem propendens æquipollentia ſua præter omnes in æquilibrio in corpore conſervando excelleret, & ſanguis aquoſa portione ſatis dilutus coagulum impediret.

Aliter ſe res habet cum cholericis, qui partes ſolidas quam maxime ſtrictas, tenſas, ſenſibiles & fluidas calidiores poſſidentes, hanc ob cauſam ſanguinis progreſſum vegetiorem, & ſecretiones & excretiones promptiores experiuntur; animi vero pathematibus, quibus nihil eſt aptius ad ſtagnationes concipiendas, dediti ſunt.

Temperamentum ſanguineum, quod medium quaſi inter cetera ſervat, texturam habet moderate ſtrictam, vaſa & nervos exiles, & mediocriter tenſos & ſenſibiles, ſanguinem floridum & fluxilem, omnes functiones in corpore placide abſolvit, animus autem ad viciſſitudinem & voluptatem proclivis prompte varios errores corpori noxam inferentes committit; ſimul etiam ſtructura ejus minus firma, relaxationi, ſpaſmis, circulo ſanguinis inæquali, & ita morbo noſtro obnoxia exiſtit.

Etiamſi nullum temperamentum ſit, quod non ad infarctus generandos indiſcriminatim fere aptum ſit, nihilominus multum inter ſe diſſidentia ſymptomata proferunt, & pro varia machinæ ſtructura effectus vario modo modificantur, §. 5. robuſti, qui victui duro adſueti ſunt, & corpus laboribus exercent, minus; illi vero, qui vitam ſedentariam otioſam tranſigunt, nimiis lucubrationibus incurvato corpore vacant, & legibus diæteticis nimis ſtrictis ſeſe anxie adſtringunt, & victu tenero fruuntur, huic affectui magis ſubjecti ſunt.

Quid mirum, cum corporis noſtri ſtructura ita ſit comparata, ut motui vix ſuperſedere poſſit, prima etiam lex de pane in ſudore faciei veſcendo, quæ nobis impoſita eſt, eo ſpectet? Cibis vero eupeptis, ventriculus ſegnis & debilis efficiatur, inſuper infarctu ventriculi laborantes illos, qui compactæ ſunt ſubſtantiæ melius ferant? *Hipp. libro de*

de victu mutationem lecti de duro in molle, ex malis in bona, noxium, & eos, qui cibis concoctu facilibus utuntur, brevioris vitæ autumat.

§. XII.

Cauſam proximam infarctus vaſorum ventriculi conſtituit ſanguinis magis aut minus ſpiſſeſcentis & peregrina qualitate imbuti, per ventriculi vaſa tardior progreſſus & ſtagnatio, cujus mole vaſa ventriculi magis quam par eſt, dilatantur, nervi vicini premuntur, vellicantur, & ſpaſtice contrahuntur, fibræ muſculares ad motus irregulares concitantur, unde motus periſtalticus pervertitur, nauſeæ, vomituritiones, & vomitus excitantur, gula conſtringitur, & ex illa lympha & mucus eliditur, nervorum villis, aut contractione aut diſtenſione ulterius tenſis & irritatis, dolores varii, ſodæ, cardialgiæ excitantur. Quando ſimul ad conſenſum, quem ventriculus cum diaphragmatis, cordis, capitis &c. nervis habet attenditur, reliqua ſymptomata, palpitationes cordis, ructuum exploſio, vertigo, alvi obſtructio pertinax, urina pallida explicatu haud difficillima erunt.

Nec minus in cenſum hic venit liquor gaſtricus, qui ex ſanguine impuro emulſus, & temperatam ſuam diatheſin exuens, enarratas moleſtias concomitanter producere aut exaſperare poteſt. Si tandem vaſa non ſolum ſupra ſphæram elaſticitatis diſtenduntur, ſed etiam liquido nerveo ad copioſiorem adfluxum invitato & ſanguine acriore exitum affectante, convulſo & inverſo ventriculo ſanguis ſtagnans evomitur. Accumulatio iſta & incarceratio ſanguinis in vaſis ventriculi potiſſimum a menſium ataxia & hæmorrhoidum fluxu aut nimis imminuto, aut plenarie ſuppreſſo propullulat; in horum enim alveolis ſi ſanguinis circulus præpeditur & ſtagnat, alia verſus viſcera & quidem illa, quæ minimam reſiſtentiam habent, dirigitur; & ſi hanc in ventriculo invenit, in ipſius vaſis moram nectit. Sanguini hæmorrhoidali, ad vaſa ventriculi tanto magis iter eſt patulum, quanto arctiorem conſpirationem amborum vaſa fovent: vena enim hæmorrhoidalis aut ex ſplenica provenit, aut ex meſaraica magna vel earum bifurcatione naſcitur; ſplenica coronariam & gaſtricam dextram ventriculo largitur; inſuper venæ hæmorrhoidalis ramus, ſecundum Winsl. haud obſcure cum ramificationibus venæ gaſtro-epiploicæ ſiniſtræ & meſaraicæ magnæ ramo communicat.

§. XIII.

Inde liquet ſanguini hæmorrhoidali breviorem illuc patere viam, quam per vaſa brevia, per quæ ſanguis, poſtquam per ſplenicam venam lienem intravit, & infarſit, in cavum ventriculi protrudi & vomitu cruento rejici perhibetur. Ut vero taceam obſtacula, quibus hic modus in-

tricatus eſt, hæc tantum pro ſententia mea ſtabilienda adducam, quod nempe aperto corpore hocce morbo defuncto, quandoque lien ſanus & illibatus deprehendatur, & enumeratæ moleſtiæ vomitum cruentum antecedentes, per ſat longum tempus antea in regione epigaſtrica perſentiantur, nec tum durities nec tumor, qui tamen liene oppilato apparet, detegitur. Circulum illum magnum, quem ſanguis hæmorrhoidalis per lienem circumſcribere debet, dubium reddunt *Diemerbrockius*, *Bohnius*, *Bartholinus* & *Lowerus*. Et per vaſa gaſtrica vomitum cruentum celebrari, contendunt *Theodorus Craanen* & *Blanckardus*.

Hiſce vero non negamus, meatui ſanguinis per lienem obice poſito, illum ſymbolum ſuum ad noſtrum affectum conferre; præcipuæ turbis venæ portæ inferioris ſimul concurrentibus, non aliter ac vaſis ventriculi obſtructis partes vicinæ, lien, hepar, pancreas &c. eadem fata ſortiri poſſunt. Cum hypogaſtrica vaſa, quæ arvum muliebre irrigant, proximam cum hæmorrhoidalibus habeant adfinitatem, illis obſtructis, horum canale facili negotio labes affluit.

Hoc adhuc de fluxu hæmorrhoidum tenendum, quod cum major pars hæmorrhoidariorum valetudinarii ſint, ipſos ab infarctu vaſorum ventriculi non immunes eſſe, rite etiam ſanguine ex ani venis profluente, ſiquidem uberior experientia nobis ſtitit ægrotos infarctu ventriculi laborantes, qui ſub fluxu hoc ut ut ordinato vomitum cruentum vel hæmoptyſin experti ſunt; nec ſymptomata ſemper fluxu quamvis copioſe contingente, mitigari probant *Hildesheim*, *ſpicileg. de morbis capitis*, *Claudin conſul.* 89. *Montani Conſil.* 264. In hæmorrhoidibus enim ut plurimum latere anguem ſub herba, & vel in ipſis quibuſdam venis hæmorrhoidalibus vel meſaraicis ramis delitеſcere obſtructiones, reliquæ maſſæ ſanguinis viam præpedientes, & ita ad exitum diſponentes experientia certi facti ſumus, cum ægroti, quibus hæmorrhoides, quamvis ordinate fluebant, nihilo ſecius diris vexabantur ſymptomatibus, remediis vero contra obſtructiones uſurpatis, & horum efficacia polymorphis concrementis per anum excretis, ſimul & hæmorrhoidum excretione & morbo liberati ſunt.

§. XIV.

Congeſtio & ſubſidentia ſanguinis eo certius & citius in vaſis ventriculi invenit locum, quo magis eorum vis motrix ſyſtaltica fracta eſt, debilitato enim vaſorum tono, facilius appulſui ſanguinis & dilatationi cedunt, & inertiora ſufficienti tranſpreſſioni non ſatisfaciunt;

Multa ſunt, quæ ventriculo, ejuſque vaſis robur & vigorem derogant, ex horum cenſu ſe offerunt.

1. Cibi vel majori quantitate, vel vitioſa aut nimis diverſa qualitate, quam periſtalticus motus ſubigere poteſt, ingeſti, qui conſequenter

ter in amurcam fermenteſcibilem, pituitoſam, flatus reſoluti, canalem alimentarem hic ſupra metas expandentes, ibi conſtringentes nervos & vaſa prementes, diſtrahentes, & ipſis criſpaturam inferentes, non ſolum laxitatem, ſed etiam ſanguinem ubique tranſire neſcientem, aut ſubſiſtere, aut alia loca petere faciunt. Quam noxios enim effectus flatulentia in noſtro corpore ſuſcitare poſſit, cohors morborum, qui ipſi natales debet luculenter teſtatur.

2. Aquarum calidarum, mineralium, quæ egregia alias ad ſanguinem diluendum, ſi debita portione adhibentur, remedia ſunt, liberalior ingurgitatio. Hoc enim fit, ut ventriculus cum inteſtinis diſtendatur, debilitetur & flatus generentur, ſimul liquor gaſtricus, ad ſanguinem fluxilem conſervandum, aptiſſima lympha perpetuo diluvio abripiatur, & corpori detrahatur, & quandoque limus præcipitatus relinquatur. *confer Bagl. differt.* 1. *de morbis ſolidorum p.* 416.

Laxantia repetitis vicibus propinata eoſdem, immo graviores exſerunt effectus, pernicioſiſſime vero lædunt purgantia & vomitoria incaute ſumta, quæ primas vias non ſolum vehementer concutiunt, vires atterunt, exhauriunt, ſed etiam littus arrodendo lympham profuſius eliciunt, ſanguinem ea orbant, ſpiſſioremque reddunt, & hunc in modum morbo noſtro proximum aditum præbent. Teſtem habeo *cl. Hoffm. in cap.* 3. *de morbis infantum* ita diſſerentem: „ Sæpiſſime quoque fit, ut „ crebrior laxantium multoque magis incautus purgantium uſus commodam huic malo occaſionem ſuppeditet, idque non tantum in infantibus, ſed etiam adultis obſervare licet, quippe qui, ſi quid gravativi „ ſentientes purgantibus fuerunt tractati, non modo intolerabiles ventris dolores, verum etiam abdomen tumidum & inſtar tympaniticorum inflatum ſæpe obtinuerunt, ut poſtea ſenſibilis alimentorum canalis in ſtatum naturalem difficillime potuerit reſtitui „.

Egregie quoque hæc confirmat & illuſtrat *cl. Boerhaavius in prælectionibus academicis ab ill. Hallero editis vol.* 1. §. 69. *hiſce verbis:* „ Ignari medici ſæpe lætantur muco expreſſo vi acrium purgantium, facinore patrato, quod ſalutarem artem non decet „.

4. Abſorbentia terrea, quando largius contra acidum porriguntur in magma craſſum abeunt motui minus parens, cujus onere ventriculus gravatur & elater labefactatur.

5. Nauſea concepta præprimis ſuperingeſtis alimentis, qua nihil citius motum periſtalticum invertit.

§. XV.

Porro inter ea, quæ morbum noſtrum provocant, admodum efficax deprehenditur corticis peruv. uſus præpoſterus, quo ſopita febre, ſæpius ſanguinem ſpiſſum & in ventriculo ſtagnantem pro primaria cauſa agnoſcente,

cente, fomes febrilis ſub motibus præternaturalibus magis exaltatus intus retinetur, obſtructiones pertinaciores redduntur, & adſtringente, qua pollet virtute hic cortex, ſanguis craſſus in vaſis ventriculi includitur; fuſius hoc teſtatur *cl. Hoffmann in med. conſultator.* tom. 3. caſu 9. huncce de hoc remedio ſermonem faciens: ,, Habent equidem ,, id omnia febribus pellendis peculiariter deſtinata, ut impetuoſis illis ,, partium ſolidarum commotionibus moram injiciant, ſpaſmoſque com-,, peſcendo, febriles paroxyſmos prompte & efficaciter ſuſpendant. Dum ,, vero id agunt minime pro ſanitate ſunt, neque illam præſtant, inte-,, gram, quia cauſam morbi effectricem, & materiam, quæ in vitio eſt, ,, non deſtruunt: neque eam foras e corpore amoliuntur, adſtringente ,, enim, quam habent facultate, tubulos viſcerum jam per ſe male af-,, fectos anguſtiores, ſtrictioreſque efficiunt, quorum coarctatio impedi-,, mento eſt, quo minus corruptus humor a ſinceri ſanguinis commer-,, cio dimovendus commodam exeundi viam inveniat ,,

Quamvis Mars pro alexipharmaco hypochondriacorum & panacea cachexiarum venditetur, nihilominus & generationi & confirmationi morbi noſtri admodum lenocinatur. Niſi enim ſuſpenſa manu & ſanguine ſpiſſo nondum firmius in viſceribus impacto propinatur, ſtiptica limoſa, quam cuſtodit, terra & qua etiam ejus præparationes turgent, ventriculum aggravando, vaſcula conſtringendo, magis exſiccando, ſpaſmos augendo, ſanguinem ſimul incraſſando, tantum abeſt ut infarctus tollat, ut potius eos adeo confirmet, ut vix reſerari poſſint. De ambiguo hujus effectu legi meretur *D. D. Juncker in conſpectu therap. gener. tab.* 9. §. 12. *n.* 7-8. *& Panarol. pentec. obſ.* 32. Eadem, imo pejora præſtant ſaturnina conſtringente, & incraſſante, & exſiccante ſua indole.

Huc etiam pertinent opiata, narcotica, quæ tetro vaporoſo principio, liquido nerveo infenſo, elaterem partium imminuunt, craſin humorum deſtruunt, & ſtagnationes præcipue in ventriculo provocant. Hoc confirmat cl. *Hoffm. in cap.* 7. *de venenis ſoporiferis:* ,, Agunt ma-,, xime ſulphure vaporoſo & graveolente in nervoſas ventriculi & in-,, teſtinorum membranas. Sicut enim omnium remediorum vim & effi-,, caciam ſuam primo & proxime ventriculus cum inteſtinis experitur, ,, ita eo magis id circa validiora, & quæ penetrantioris ſunt naturæ ,, medicamenta, obtinet ,,.

Spiritus vini nimia quantitate ſumptus, & potus frigidus, corpore calente ingeſtus, nec non ictus regioni ventriculi inflicti, uti quandoque ſtaſin inflammatoriam inferunt; ita ſæpius ſanguinem in vaſis ſuſpendendo, ipſi coagulum inducendo, criſpaturam & ſubſequentem relaxationem inducendo, chronicum malum ventriculo accerſunt. Idem fere præſtant alexipharmaca ac ſudorifera, quæ orgaſmum, congeſtiones in-

inducunt, & fluido diſſlato, denſos globulos, contactuum ratione aucta, in mutuam cohæſionem ruere faciunt.

§. XVI.

Tandem ſilentio non eſt prætereunda obſtructio glandularum meſaraicarum, ſive ſic dicta atrophia, quæ etiamſi infantibus ſolum adſcribatur, nihilominus experientia ſuffragante manifeſta veſtigia relinquens, adultis non raro clandeſtinas inſidias ſtruit, & fœcunda morborum intricatorum mater exiſtit. Glandulis enim meſenterii in magnos tumores excreſcentibus, vaſa vicina comprimuntur, & quod primarium eſt, fabrica chyli ceu ſanguinis ſcaturigine deſtructa, chylus minus defæcatus, incompletus elaboratur, inde ſanguinis perennes conſumptiones non reſarciuntur, ſecretiones & excretiones vacillant, & humores ſpiſſi impuri vaſis ingenerantur, & ſimul variis tumultibus, ſpaſmis, relaxationibus, flatibus & vermibus, qui utplurimum atrophiæ aſſociati ſunt, concurrentibus, eo promptius ad infarctum ventriculi via ſtruitur. Pluribus hæc proſequeremur; ſed fuſius de hac materia & morbis ex atrophia oriundis, hac ipſa in cathedra forſan ſuo tempore diſceptabitur.

§. XVII.

Prognoſis ex diverſorum graduum, quibus noſter adfectus incedit, deſcriptione, formatu facilior erit.

Primum gradum conſtituit ſimplex ſanguinis floridi congeſtio verſus ventriculum, cumprimis utero gerentibus contingens, & quæ aut ſponte aut vomitu cruento feliciter peracto mox evaneſcit, aut vena in pede inciſa derivatur. De hocce varia proſtant exempla apud *Ettmullerum* tom. 2. p. m 95. *Bartholin.* hiſtor. anat. c. 1. obſ. 19. a. n. c. decur. 1. anno 9. 10. obſervatione 6-20.

Secundum gradum ſiſtit ſanguis ſpiſſus per vaſa ventriculi debilitata tardius circulans, qui medicamentis convenientibus attenuatus & heterogeneis particulis per urinam, alvum & cutem excretis, nec non cauſa primaria, ſicubi in infimo ventre hæret, remota, brevi temporis ſpatio tollitur, & raro ad vomitum cruentum pervenit.

Tertius gradus exhibet ſanguinem ſtagnantem, vellicante materia imbutum, & vaſa magis expandentem. In hoc gradu dolores magis ſunt exaſperati, perpetuus fere ad vomitum adeſt conatus & crebrior cardialgiæ cum ſpaſmis reditus, & vix aliter, quam vomitu cruento terminatur, qui vero ſub uſu medicamentorum convenientium cum euphoria abſolvitur. *Confer. Hœchſtetter Decur.* 2. *caſu V.* A præcedentibus in eo diſcrepat, quod qui in hoc gradu ſunt conſtituti, vix ac ne vix

quidem ſalina, gummata, multo minus acriora, niſi cum ſummis angoribus perferre valeant. Facile in hydropem, hecticam abit.

Quartum gradum abſolvit diuturnior ſanguinis ſtagnatio, ejus ad putredinem proclivitas, ipſa corruptio putredinoſa, nec non vaſorum plenaria a tono remiſſio, & viſcerum ſtatus ſcirrhoſus. Optime dijudicatur hic gradus ex prægreſſis crebrioribus evacuationibus materiæ nigro piceæ, fœtidæ, præſentibus vomitibus enormibus, doloribus ſatis acutis, virium languore, & ructibus fœtidis, brevi plerumque vitæ imponit finem.

§. XVIII.

Hiſce addendum

1. Fæminas viris citius, menſium fluxu revocato, hocce morbo liberari. Confer *Hippocr. ſect.* 5. *aphor.* 32. *Celſ. l.* 2. *cap.* 8.

2. Infantes, quocunque alio morbo accedente, eidem, prægreſſo vomitu cruento, plerumque ſuccumbere.

3. Ventriculum tali modo affectum, ſi alius morbus concurrit, facillime inflammationem funeſtam ſuſcipere.

4. Ægrotos hoc malo detentos, ſi in febrem inciderint intermittentem, adhibitis remediis ſimul infarctus infimi ventris reſpicientibus, ſublevari quidem, ſed non prius ab illis liberari, quam ſi excretio materiæ cruentæ ἄνω & κάτω contigerit; quod vero fauſto omine evenit.

5. Eoſdem omnia remedia febribus alias oppoſita, ac præprimis pulverulenta ægre ferre. Denique notabile eſt, ſemper ſub paroxyſmo febrili cardialgia vehementiori divexari.

§. XIX.

Supereſt ut adhuc practicam adnectamus pertractationem; in limine vero monendum eſt; omnia validiora, quemadmodum morbo noſtro materiam ſuppeditant, & ſenſibilis hic affectus iis plenarie repugnat, illi nullum conciliare levamen, quin potius maximum inferre damnum, atque periculum; hinc angue pejus fugienda eſſe. Ita etiam male ipſi conſulitur, quando ventriculus farragine medicamentorum obruitur. Alia ergo incedendum erit via, eamque medendi viam calcandam eſſe cenſeo, quam firma & provida experientia indigitat, id eſt ſecundum præceptum *Hipp. de locis in homine* §. 55. medicamenta fortiora a natura in debilibus morbis dare non opportere, &c. & aphor. 51. §. 11. omne nimium naturæ contrarium eſſe, remediis ſecuris mitioribus, probatis, iiſque perpaucis morbo ſuccurrendum eſſe, ſimulque circumſtantiarum & temperamentorum rationem habendam.

§. XX.

§. XX.

Methodus medendi pro diverſis gradibus, in quibus morbus noſter collocatus eſt diverſimode eſt adornanda. In primo gradu, ubi nulla adeſt ſuſpicio de viſcerum obſtructione, venæ ſectio omne fere punctum curationis abſolvit. In principio ſecundi gradus, ſi manifeſta plethoræ adſunt ſigna, & revulſorio ſcopo cum aliis locum invenit, in reliquo vero morbi ſtatu, ubi infarctus ſtabilem ſedem habent, cacochymici quid ſubeſt, & atonia major cum ſpaſmis præſto eſt, niſi ſanguinis detractionibus adſuetis & ad ſymptomata ferocia mitiganda, plus nocet phlebotomia, quam juvat. Si enim infarctus vaſis firmiter inſident, aut in coagulum polypoſum, lapideſcens abierunt, venæ ſectione curatorie inſtituta, certe e loco non dimoventur, ſed fluxili portione ſubtracta & fibris impetum facientibus, motus & toni principio amplius ſpoliatis, propultrix vis magis ſuffuratur, ſpiſſum hærens ulterius ſpiſſum redditur, & infarctus ſimul confirmantur & augentur, quid quod cum ſanguine largius e vena emiſſo ſemper digeſtio ob tonum ventriculi dejectum lædatur. Venæ ſectionem in corpore cacochymico adminiſtrandam non eſſe *cl. Hoffm. in differt. de medico ſui ipſius* §. 17. hiſce confirmat. „Si vero abundantia ſuccorum impurorum ex intemperie alimentorum „nata ſubjecta imbecillia onerat, & morbos tales, quos cacochymia „parat, minatur, conſultius erit venæ ſectionem omittere; & potius „minuere & emendare peccantem materiam opportet, per evacuantia bal- „ſamicæ naturæ amara, & majorem motum moventia." Si illa parcius celebratur, ſpaſmi, indivulſi morbi noſtri comites, uti cuilibet medico practico notum eſt corroborantur. Largius ſanguine educto, ſpaſmi quidem contractili potentia fracta remittuntur, quo vero major eſt ſanguinis profuſio & jactura, tanto majora incrementa capit morbus noſter. Illo enim diutius corpus occupante, ventriculo male adfecto, alimenta non debite triturantur, ſolvuntur, digeruntur, perexigua quantitas laudabilis chyli elicitur, & hinc abundantia ſanguinis non reformidanda; Et poſito nos de ejus præſentia certos eſſe, noſtro affectui magis conveniet, uti experientia nos docuit; ſi in recenſita ejus conſtitutione Eraſiſtrati principio inſiſtentes, plethoram abſtinentia & corporis exercitatione imminuimus. Motus enim ut cl. *Hoffmanni* verba mea faciam, ejus eſt indolis, ut humores ſubſiſtentes, eorumque ſtaſes & ſtagnationes e ſede ſua movere, reſolvere, in motum redigere, & obſtructiones vaſorum reſerare poſſit; is quoque denſos, craſſos, ac immobiles humores fluxiles reddit; is denique valde idoneus eſt ad copia delinquentes humores vel ſanguinem per congrua loca evacuandum, neque minus excrementitios, ſeroſos, ſalſos, humores per diverſi generis emunctoria proſcribendos, bilioſos & viſcidos per alvum, ſalſos, aquoſos, per uri-

nam, ſubtiliores per univerſale illud cutis emunctorium excernendos. De abſtinentiæ efficacia in imminuenda plethora confer ejuſdem *diſſert. de inedia multorum morborum remedio* §. 5. In ipſo vomitus cruenti paroxyſmo venæ ſectionem infidam eſſe, & ratio monet & experientia. Nam hocce imminente & urgente inferiora arctiſſime criſpantur, §. 9. Vena igitur in pede inciſa, & columna ſanguinis ulteriori contractioni retinente extenuata, vaſorum fibræ magis ſui juris factæ conſtringuntur, & congeſtio augeſcit. In brachio vero ſi illa inſtituitur ſanguis ſuperiora verſus invitatur.

§. XXI.

Reliqua, quam curatio noſtri morbi poſtulat, methodus, in eo continetur, ut humores viſcidi, ſpiſſi, intemperati, vaſa obſidentes, mobiles reddantur, corrigantur, excutiantur, & per congrua excernicula alvum, urinæ vias, & cutem e corpore eliminentur. Hac ratione ſanguinis motus expeditus, placidus per vaſa procuretur, ſimul vero ſymptomatum, ſpaſmorum mitigatio reſpiciatur, id quod obtinetur remediis attenuantibus, reſolventibus, fibris robur adfundentibus, quo tanto majori vigore in lentos ſuccos agere poſſint, diluentibus & leniſſimis evacuantibus. In horum cenſum veniunt ſalia media, tartarus vitriolatus, liquor terræ foliatæ tartari, ſplenet Schrœd. tincturæ antimoniales, radix juniperi, pimpinellæ albæ, gentianæ rubræ, taraxac. caryophyllatæ &c. herba hederæ terreſtris, betonicæ, ſcolopendrii, trifolii fibr. centaurii minoris, millefolii, flor. paralyſ. tiliæ &c. ex ipſis elicita extracta, & eſſentiæ, elixiria, balſam. ſtomachic. Hoffm. maſſa pill. balſamica genuina Stahlii. Ex radicibus & herbis paramus decocta, potus theiformes, optima diluentia & vinum medicatum, immediate ante prandium ſumendum, de quo, quia præ reliquis præparationibus egregio uſu ſe commendat, cum ſimul appetitum langueſcentem efficaciter excitat, digeſtionem vacillantem erigit, & cum chylo dulciori facto eo copioſius maſſam ſanguineam intrat; formulam nobis uſualem adjiciam.

℞. Radix. cichor. taraxac. caryophyllat. gentian. rubr. ana ℥iß. aron. rub. tinctor. ana. ʒiß. herbæ trifol. fibr. ſive fumar. meliſſ. aa. Mß. cortic. ☉rant. citri vel caſcarill. aa. ʒij. & tartari ſolub. ℥ß. inciſ. contuſ. dividantur in duas partes æquales, quarum altera cum menſura ſem. vini albi, frigide infundatur, & immediate ante prandium circiter ℥iij. iv. ſumatur. Ex extractis MPill. & eſſentiis cum ſale medio, liquore anodyn. min. Hoffm. affuſis aqu. meliſſæ, cera ſor. nigror. &c. conſtituimus elixiria guttatim, cum potu theiformi matutino & veſpertino tempore ſorbillanda. MPill. etiam cum ⊖le medio in commodo vehiculo diſſolutam, ſordes ex primis viis leniter educendi ſcopo reliquis interponimus.

Hæc vero mentio hic injicienda eſt, quod in tertio & ſequenti gradu, loco

loco maſſæ pilularum, niſi aloe & myrrha bene cicurata, extract. rhab. aquoſum eadem intentione porrigendum ſit, & quod ibidem nec ſalia, eorum loco autem extract. caſcarill. aquoſ. croci. lumbricor. terreſt. eſſent. millefolii, corticis aurantior. &c. compoſitiones ingrediantur.

§. XXII.

Externe vitiis ventriculi omnis conditionis obviam itur, ſacculis, qui rad. caryophyll. pimp. alb. ſpeciebus nervinis, mica panis implentur, ſpirituoſis irrigantur, epigaſtricæ regioni imponuntur. Non minus bene ſe gerunt ungta ex oleo lilior. arbor. capp. ſucco rad. bryon. apii &c. & unguento altheæ paratum, cui ſap. chymic. dippel. & ſpir. vini camph. croc. immiſcemus, quibus etiam exorbitantes ſucculſus ſub vomitu cruento infringuntur, & ventriculo imminens inflammatio præcavetur.

§. XXIII.

Omnibus vero compoſitionibus palmam præripiunt enemata ex radicibus & herbis aptis v. g. rad. chin. cichor. herb. cent. min. c. b. tanacet. Verbaſc. cum florib. & florib. chamomill. &c. & pro re nata maſſæ pillul. molecula & furfur. tritici vel ſiliginis, ſine ſalis vel olei additione præparata, & quotidie ab ℔ß. matutino tempore poſt alvi dejectionem, ſive fæcibus clyſmatis portione eductis, tepide applicata, & ad conſumtionem retenta. Quæ omni gradui quadrant; & non ſolum radices morbi potenter eradicant, ſed etiam ſymptomatibus ſolatium afferunt; ingredientia enim ejuſmodi ſunt naturæ, ut omnibus indicationibus ſatisfaciant, cum decoctum hocce furfurum mucilagine demulſiva, abſterſiva & reliquorum ingredientium virtute tonica, aperiente antiſpaſmodica ſaturatum, aut vaſculis bibulis inhalatum, aut per vaſa lactea 4ti generis Winslovii ad maſſam ſanguineam translatum, forſan etiam per parietes transſudans vid. *Bagl. diſſertat. var. argumenti c. 2. p. m.* 585. obſtructiones vaſorum probe colliquat, aut ad exitum diſponit, ſpicula irritantia obtundit, fibrarum poris ſe inſinuans, eas ſiccas, rigidas irrigat, earum erethiſmum ſedat, pariter elaſticitatem, oſcillationem proportionatam ſufflaminatam reſuſcitat, quibus porro fit, ut ſanguis verſus ventriculum inclinans derivetur, & ita vices venæ ſectionis ſecurius impleantur, flatus in coli curvaturis incarcerati depulſentur, colon vero ventriculo circumfuſum, ipſum tepido eoque grato vapore perpetuo afflet, ſordium ventilatio & excuſſio procuretur, nec non turgeſcentia, quæ quandoque particulis, recenſita medicamenti conſtituentibus agilioribus excitari poterit, omnimodo præſcindatur. *Baglivius in diſſert. de anatome & de morbis ſolidorum pag.* 451. „ au-

„ tumat ejuſmodi remedia, quibus balnea, fotus annumerat, quæ in „ humano corpore, elaterem cum rotis, & rotas cum elatere mollia, „ laxa, & facile flexibilia conſervare valent, ad vitam longam, & re- „ vera ſeſſe, & talia dici debere." Enematum enim decocto, in vaporem ingredientium virtute armatum, reſoluto, nihil eſt efficacius ad vaporem in fabrica celluloſa ſpiſſeſcentem & ſtagnantem mobilem, ipſi per vaſa inhalantia obſtructa viam expeditam reddendam, & ita rigiditatem & coaleſcentiam impediendam. Apprime huc faciunt, quæ *ill. Hallerus in primis lineis phyſiologiæ* §. 253-254. & ſequentib. egregie de hac materia delineavit. Confer. etiam *Hoffm. therap. gen. cap. de clyſteribus.* Singularis quoque eſt uſus, quem fœnerant & peculiaris efficacia, qua eminent. Medicamenta enim per os ſuperius ſumta, poſt tot mutationes ſæpius colluvie vitioſa, acida, liquore gaſtrico, & bile corruptis, ipſis contingentes, & poſt tot ſecretiones & excretiones perpeſſas, denique infarctus infimi ventris, mali noſtri ſcaturiginem attingentia, primarium ſolummodo hoſtis agmen imbecilliter quidem carpunt, clyſteres vero immediate portam malorum pulſant, contumaces obſtructiones ex omnibus in circuitu partibus aggrediuntur, & clauſtra eorum eo fortius perrumpunt.

§. XXIV.

Porro planum facit experimentum illud, quod *acta Anglicana* tradunt, quo minor portio ſpiritus vini per alvum injecta plus inebriavit, quam conſueto itinere ingeſta portio major. Certum eſt, quod in coagmentationibus illis filamentoſo-fibroſis hic loci nidulantibus, eliminandis, omnia alia remedia incertos præſtent effectus, & in concretionibus illis gypſeis ſine clyſmate lapis minime moveatur. Laudes hæ omnimode effectui reſpondent; haud enim pauci caſus nobis obtigerunt, ubi enematum uſu quotidiano ejuſmodi concrementa polypoſa, pondere ſæpius ℔j. & longitudine ulnam adæquantia, & formam vaſorum retinentia; adeo ut tyronibus impoſuerint, putantibus ſe videre partes ſolidas, nec non conglobationes ſteatomatoſas, ovi gallinacei magnitudine, & magnam copiam calculorum duriſſimorum per anum, vel ſubſtantiæ ſtagnantis quid magis reſolutum, per cutis poros, ſudore fœtidum ſpirante odorem, aut per renum tubulos, urina materia mucoſa filamentoſa referta, & arenoſa turbulenta apparente, ſumma cum euphoria evacuata ſunt.

§. XXV.

Error eſt, quaſi epidemicus, alvum crebriori uſu enematum in conſuetudinem adduci, ut in poſterum ſuo officio rite defungi non poſſit, niſi eorum admonitu. Ratio enim & experientia contrarium probat, cum

cum clyſteres noſtra methodo concinnati glandularum ductulos, inteſtina craſſa lubricantem, & ſcybala indurata diluentem ſuccum plorantes aperiendo, conſtrictiones relaxando, &c. alvi functiones in ægris, qui quotidie duos treſve ſumpſerunt, potius in ſtabilem ordinem redegerint.

§. XXVI.

Ea vero clyſmata, quæ oleoſa, poros occludentia & ſalina exſiccantia, ſtimulantia ingrediuntur, nec non purgantia & copioſa laxantia, alvum ſollicitandi ſcopo data, pleniori jure hujus criminis accuſanda ſunt. Id quod ſequentia teſtantur. Quidam ex ſordibus in primis viis hærentibus variis moleſtiis afflictus, repetitis vicibus purgantibus tractatus fuit, nihilominus rebellis iſte hoſpes heroicis hiſce inſultibus fortiter renitebatur, immo obſtinatior redditus, tandem enematum viribus mitioribus, ſenſim ſenſimque operantibus, hinc magis homogeneis victoriam conceſſit. Hæ enim poros intimius ſubeuntes, copulas tenaces validius disjungentes, brevi temporis ſpatio mucum viſcidum attenuatum per vomitum & diarrhœam magna in copia feliciter exterminaverunt. Parimodo enemata ex amaris &c. conſtantia oleum, antea clyſteribus quotidie injectum & parietibus agglutinatum ſaponaceo ſuo principio abſterſum, mirabili modo eduxerunt. Multo minus clyſteres laudati, corpus, uti vulgo eſt opinio, debilitant; cum complures, quibus aut gravi lapſu, aut aliis cauſis deglutitio fuit interdicta, mucilagine furfurum nutriverimus.

Foreſtus l. 16. *obſ.* 24. refert ſe non alio, quam enematum præſidio vomitus cruenti morbum profligaſſe.

§. XXVII.

In paroxyſmo vero enemata ex oleo lin. ℥x. & vitell. ov. no. 3. parata, reliquis anteponenda ſunt, quæ cum pediluviis & frictionibus inferiorum, curationis caput maximam partem abſolvunt; quia fibræ hac occaſione admodum irritatæ, pulverulenta minus tolerare poſſunt. Nitrum etiam ſuſpectum eſt. Horum loco aquæ diapnoicæ temperantes, diluentia cum pauxillo extract. caſcarill. bellid. lumbr. nec non liquor anod. min. Hoffm. & eſſent. millefol. refracta doſi, externe recenſita ungta adhibenda. Poſt paroxyſmum ſanguis grumoſus in cavitatem ventriculi eructatus, extr. rhabarb. aquoſ. evacuandus, & fibræ dilatatæ iterum adducendæ ſunt. Quid ſimplex decocti radicis juniperi & enematum uſus in debellando noſtro morbo præſtare poſſit, caſus 8. ex praxi noſtra deſumtus, & jam pridem in diſſertatione quadam, ſiſtente *obſervationes practicas de radicis juniperi decocto* notatus, teſtari poteſt.

CASUS. I.

Casus I.

Nobilis quidam febre correptus fuit intermittente; hac vero per famigeratiſſimum illud febrifugum cohibita, aſt eo ipſo lentore humoribus inducto, poſtquam per ſeſquiennium bene ſe habuiſſet, triſtes curationis fructus prodiere. Per tres enim continuos annos cardialgia, horridiſque & ad deſperationem accedentibus anxietatibus, ac mirificis admodum pectoris, colli, linguæ & oculorum ſpaſmis detinebatur; ſæpius oculi rigebant cum viſus abolitione; lingua erat immobilis; appetitus maxime ſub uſu ciborum teneriorum decreſcebat, alvus plerumque erat adſtricta. Hiſce miſeriis celeberrimi medici conſulebantur, tantæque pecuniæ ſummæ impendebantur, ut patiens pecunia pariter atque viribus fere fuerit exhauſtus. Ptiſanis & aquis mineralibus corpus quaſi inundabatur, venæ autem ſectionibus, ſanguiſugis, crebrioribuſque laxationibus laudabiles humores ita detrahebantur, ut ad reſolutionem impurorum vix ſufficerent, atque magis inde efficeretur, ut patiens ab uno ad alterum medicum devolveretur. Hinc cum nobis ſeſe ſanandum committeret, licet de nullis moleſtiis in abdomine conqueſtus ſit, nihilominus cauſſam omnium prædictorum malorum eo confidentius ibi quæſivimus, quo magis incocta, aquoſa pallida urina id confirmavit; cumque curam unice eo direxiſſemus, patienti ſub uſu duriorum ciborum adpetitus rediit una cum viribus. Tandem etiam mira excretio eſt ſecuta. Per alvum enim quotidie ter vel quater non modo mucus ſub varia forma abſque aliis excrementis, ſed etiam polypoſa concrementa modo avellanæ magnitudine, modo teretia & ulnæ longitudine excernebantur. Atque ita patiens malo hactenus incurabili liberatus, ſanitatique reſtitutus eſt.

Casus II.

Mulier quædam paupera, multorum liberorum mater, cui per totam vitam decocta panis & cartoffeln (uti vocant) alimento erant, ex concrementis in utero ac ſanguinis ſtagnatione in uteri, anique vaſis per multos annos ingentes cruciatus perpeſſa erat, quos autem non delicate nec medice vivens, per totum illud temporis intervallum vicit. Tandem etiam infarctus, ſcirrhi lienis & pulmonum ſupervenerunt. Hinc cum mœrore obruta, tempeſtate pluvioſa montem aſcendere vellet, mortua concidit, poſtquam 60. circiter annos adimpleviſſet, Corpore Magiſtratus juſſu diſſecto, ſeſe manifeſtabat, apoplexiam cauſſam mortis fuiſſe. Præterea inteſtinum rectum penitus petrefactum, & collum uteri præter naturam protenſum, & ſeſquipollicum longitudine totum oſſeum ſeſe nobis

nobis obtulit. In cavitate uteri, ejuſque vaſis multa concrementa, vaſaque abdominis eadem ratione comparata invenimus. Id quod non ſolum ſeniores & juniores medici, ſed & illuſtriſſimi ordinis homines magna admiratione viderunt & manibus contrectarunt.

Casus III.

Juvenis quidam temperamenti melancholico-ſanguinei febre intermittente china chinæ curabatur. Poſt tres vero annos curationis hujus effectus ſeſe exſeruerunt, ita ut per undecim annos preſſionibus hypochondriacis, flatulentia, melancholia, ſub variis ſcenis excruciatus fuerit. Quod maxime in hoc patiente mirandum, omnemque fere captum ſuperabat, erat, quod conſtante nihilominus adpetitu, tribus ſeptimanis vix ſemel alvum exoneraverit. In hoc phænomeno admirationem adhuc magis auxit illud, quod alvo nimirum utut obſtipata, abdomen tamen minus intumuerit, atque alvo laxata excrementa non indurata nec copioſa, ſed fluida prodierint. Hiſce accedit, quod patiens nullum perceptibilem ſudorem ſit expertus, nec eo ſecius induſia longe citius, quam ſanus quiſquam conſpurcaverit. Variis remediis, præcipue vero laxantibus contra inſolitum huncce affectum, aſt nullo cum effectu uſurpatis, patiens a medicis, ſub prætextu, inteſtinum rctum nimis amplum eſſe, deſertus, noſtrum flagitabat conſilium. Nos vero perſuaſi, infarctum vaſorum ventriculi & inteſtinorum cauſſam hujus mali eſſe, convenientem ipſi curam præſcripſimus. De qua hic notandum, quod tot enematibus ipſi injectis, ne unicum quidem per anum ſeceſſerit, nec alvus ante tertiam ſeptimanam ſucceſſerit, donec poſt quadrimeſtrem remediorum uſum patiens largos ſudores habere cœperit; quibus poſt octiduum impuritatum ſatis nunc præparatarum, humorumque corruptorum ſub forma nigri atque fœtidiſſimi ſanguinis excretio ad 3-4. menſuras ſine ſenſibili quadam moleſtia una nocte inſecuta eſt. Hinc cum patiens hac excretione debilitatus vires recuperaſſet, per vomitum quoque nigrum ſanguinem rejecit, atque ita valetudinem integram & alvinam excretionem ultro quotidie ordinatam obtinuit.

Casus IV.

Mulier Ruſſica ſanguineo-cholerici temperamenti, per aliquot puerperia lochiis non rite ſuccedentibus, mira quædam concrementa, aut ſi mavis molas enixa, & poſtea aliquoties etiam hæmorrhagias uteri perpeſſa eſt, ac cohorti morborum, eo magis erat obnoxia, quo citius menſium fluxus jam 35. ætatis anno ſubſiſtens ceſſaverat, contrarias etiam medicorum curas mira admodum ſymptomata ſecuta erant. 54. ætatis

anno nos conſulebat, quo tempore variis adhuc laboravit anxiis ſpaſticiſque pathematibus, œdemate pedum, intumeſcentia abdominis, nauſea, atque vomitu, unde ſibi perſuadebat lumbricos latos, (qui morbus nationibus ſeptentrionalibus endemius eſt) cauſſam omnium, quibus vexabatur, malorum eſſe, & murmura illa, quæ in abdomine percipiebat, edere, quam quidem opinionem illud confirmabat, quod nempe ſuperiori anno vermes tales 15. ulnas longitudine æquantes, per anum ejecit. Nos vero impuritates uteri, & infarctus vaſorum ventriculi & inteſtinorum, & inde vitiatam chyloſin omnibus ipſius pathematibus, ſimulque lumbricis natales dediſſe, ipſi demonſtravimus, curaque cauſſis hiſce oppoſita ſimul prædiximus, eam inter alia etiam calculoſam materiam excreturam; quod & evenit. Ex utero enim non ſolum polypoſa concrementa, ſed & per alvum præterea incredibilem copiam calculorum ejecit. Celeberrimus quidam medicus, qui hocce phænomenon vix credebat, ideoque per complures horas ad omne dubium evitandum patienti etiam tunc temporis, cum alvum dejiceret, adſtabat, tandem vero miræ hujus excretionis convincebatur, & ſeſquiunciam calculorum horum aſſervavit. Licet patiens poſtea maximam partem bene ſeſe haberet, tamen vomitu rejectio ſanguinis vaſa ventriculi infarcientis ſubſecuta, atque ita patiens firmam valetudinem nacta eſt

Casus V.

Alia, eademque auguſtiſſima per 8. annos vomitu crebriori, nauſea, ardore ventriculi, anxietatibus præcordiorum, intenſo ad venerem ſtimulo, tantoque oris fœtore vexata, ut ſæpius omnia ingeſta fœcum alvinarum ſaporem ipſi exhibuerint; ab archiatro per totum illud tempus fortuito, (ipſam enim morbi cauſſam non perſpexit) bene quidem curabatur. Novo autem morbi inſultu archiatro, neſcio an fato, vel politica quadam de cauſſa in ſuſpicionem adacto) ægra ab aliis medicis per opiata tam interne, quam externe adhibita, eo quidem cum effectu tractabatur, ut eo magis acceleratæ mortis cauſſam oculis cernere licuerit. Diſſecto enim cadavere omnia ventriculi vaſa nigro atque ſphaceloſo ſanguine incredibilem in modum diſtenta, ovarium vero, vaſa, glandulæque uteri cum rene ſiniſtro petrefacta reperiebantur.

Casus VI.

Alia anomalia menſium, difficultate deglutiendi, & reliquis ſignis infarctus vaſorum ventriculi, præcipue vomitu crebriori laborans, adhibitis draſticis purgantibus, venaque crebrius ſecta, copiam ſanguinis nigri fœtidi evomebat, ſubſequentibus convulſionibus & aliqualibus hemiplexiæ ſignis, os continuo ſanguine fœtido ſcatebat, cum ſumma deglu-

glutiendi difficultate. Medicis ordinariis, in diverſum abeuntibus, alius nimis ſero in conſilium vocatus inſtantem mortem praenuntiavit, ſummiſque de hacce aegra ſollicitis perſonis ſimul indicavit, obſtructionem vaſorum ventriculi cauſſam & originem pathematum, & brevi ſubſecuturae mortis eſſe. Haec ſententia, quamvis ludibriis excepta, tamen ſatis ſectione aegrotae, paullo poſt defunctae, confirmata eſt. Aperto enim abdomine omnia ventriculi & oeſophagi vaſa ſanguine diſtenta & diſrupta liene incolumi reperiebantur.

CASUS VII.

Senex ſexageſimum ſextum annum agens, qui aliquot annos antea ventriculo male affecto detentus fuit, incidit in febrem tertianam, cui medicus quidam purgantia, ſudorifera & tandem chinata, infauſto conamine oppoſuit. Haec enim motus febriles mitigarunt quidem, aſt virium proſtrationem, agrypniam, alvi obſtructionem, & cephalalgiam ferociſſimam &c. provocarunt. Hoc pacto patiens in haud leve vitae diſcrimen adductus, noſtrum flagitavit conſilium. Quod quidem eo rediit, ut corpus ſudoriferis, purgantibus exſiccatum, emaciatum, ante omnia clyſteribus humectaretur, vigor ſuffuratus reſuſcitaretur, & ventriculus ſanguine corrupto, cortice peruviano magis incarcerato, ſupra indicata medendi ratione liberaretur. Tali modo cura inſtituta, ſub motibus febris jam redeuntis auctis, excretio placida, tamen copioſa ſanguinis nigri, putridi, foetidi, per vomitum & alvum contigit, cujus felici ſucceſſu tam febris, quam praegreſſarum moleſtiarum cauſa radicitus exſtirpata, aegrotus optime convaluit.

CASUS VIII.

Vir 35. annorum, in febribus intermittentibus, quotidiana, tertiana & quartana febrifugis conſuetis ad ultima fere redactus, ſuppreſſis haemorrhoidibus, regurgitationem in regionem ventriculi, cum innumeris moleſtiis conjunctam, expertus eſt. Preſſiones praecipue in hypochondrio dextro, anguſtiae, virium & adpetitus proſtratio &c. accedentibus praeterea febre lenta & rejectionibus quotidianis per vomitum, materiae cruento mucoſae, id efficiebant, ut nihil viro ad ſummum miſeriarum complementum deeſſe videretur. Hoc malo multos per annos, inter acerrimos dolores agitatus, acidulis aliquoties ac plurimis aliis remediis fruſtra adhibitis, ad decoctum juniperinum & enemata quotidiana, noſtro ſuaſu confugit, quibus auxiliis poſt aliquot hebdomadas vomitus ceſſarunt, & morbus plenarie profligatus eſt.

Casus IX.

Demum ſubnectere mihi liceat caſum notatu digniſſimum ex aliena licet experientia deſumtum. Is quidem refertur in *the appendix to the London magazine* 1750. & ad ſcopum noſtrum apprime quadrat, quæque a nobis dicta ſunt egregie illuſtrat atque confirmat:

Chirurgus quidam nomine Smith, vir 36. annorum, ab aliquot retro annis de moleſtiis ventriculi conqueſtus, continuo fere rejecit alimenta, poſtquam eadem vix unam alteramve horam aſſumſiſſet, cum exquiſitis circa ſcrobiculum cordis doloribus. Neque ullum levamen ſentiebat niſi ab opiatis, ac liquoribus ſpirituoſis, idque per exiguum tantum temporis intervallum, unde & eadem peſſimo licet effectu copioſius identidem devorabat. Idem per duas treſve ſedes duas circiter uncias materiæ purulentæ excernebat. Aliquot ante mortem ſeptimanis dolores penitus, vomitus vero ſubinde tantum ceſſabant. Quod quidem quotieſcunque accidit, toties quicquid aſſumſerat, ſine ulla mora inteſtina permeabat. Totum morbi decurſum dejectiones bilioſæ comitabantur, tandem diu ſatis langueſcens accedente œdemate pedum finiit vitam. Cadavere diſſectione aperto tunicæ ventriculi mutatæ erant in ſubſtantiam uniformem, albam, minus elaſticam, & tantum non cartilaginoſam, cujus quidem craſſities $\frac{4}{10}$ pollicis æquabat. Præterea ventriculus adeo erat contractus, ut ultra 5. vel 6. uncias haud caperet. Superficies ejus interna illita erat materia vario colore diſtincta: reliqua viſcera illæſa videbantur, excepto tantum omento, quod ut omnibus corporibus tabidis ſolenne eſt, maximam partem erat conſumtum: unde & ventriculo eouſque conſtricto, non potuit non ſurſum trahi. Addit caſus hujus perrari obſervator ἐπίκρισιν ſuam hiſce verbis: vero ſimillimum eſt, morbum hunc primam originem duxiſſe ab obſtructione glandularum, humorem iſtum ſecernentium, qui tunicam villoſam ab acrimonia tuetur, atque impedit, quo minus alimenta digeſtionis tempore ventriculum ſtimulent.

Plures adhuc obſervationes ad ea, quæ indicavimus confirmanda adferri poſſent; ſed ne limites præſcriptos migremus, huicce diſſertationi imponimus

FINEM.

GOTHOFREDI

LXXVIII.

GOTHOFREDI SAND

ET

GEORGII ALBERTI STOLZ,

RARUS VENTRICULI ABSCESSUS.

Regiomonti 19 Maii 1701.

J. N. J.

INter alias accidentales, quibus à morbo morbus diſtinguitur differentias, non rejicienda eſt etiam ea, qua raro & non raro ſeu crebro alius obtingere dicitur; quamvis enim hoc & ſimilia *ipſi morborum eſſentiæ nihil, ſi adſint, addant; ſi abſint, demant;* attentum tamen reddere medicum, atque vel ſatis exercitatum etiam, exercere valent. Quodſi namque teſte experientia, juxta effatum Hippocratis, 2. *aph.* 49. & 50. *Conſueti ſolitos labores ferre, etſi fuerint invalidi aut ſenes, non conſuetis, quamvis robuſtis & juvenibus, facilius ferant; & conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta ſoleant eſſe*: quis non intelligit affectum quemcunque, quo contingit rarius, eo periculum, quando contingit, intendi magis, majorique cum animi intentione & circumſpectione, curam ejus eſſe aggrediendam: ejuſmodi affectibus raro evenientibus vero, ventriculi etiam abſceſſus ſuppurabiles, apoſtemata dictos, annumerandos eſſe, dubitaverit nemo qui perpenderit, Scriptores medicos, quotieſcunque in mentionem affectus hujus incidunt, rarum eum eſſe, uno quaſi ore fateri omnes: quare, cum non adeo multo elapſo ab hinc tempore, curationem morbo huic adhibere mihi obtigerit, quid circa eum obſervatum, quæ item inſtituta cura fuerit, has in paginas ſi conjicerem, non alienum me facturum, fui arbitratus; ſequenti vero hæ ſe habuerunt modo:

Die 11 Julii ſt. n. anni æræ Chriſtianæ, ſupra milleſimum ſexcenteſimum, nonageſimi quinti, vocatus ad Plurimum Reverendum Dominum Georgium Roſchey, Eccleſiæ apud Regiomontanos cathedralis Archi-Diaconum bene meritum, acceſſi; agebat vir iſte ætatis annum quadrageſimum quartum, habitus natura erat macilentus, capilli nigri, oculi concavi, color fuſcus, ſtatura mediocris, ipſe inſuper manſuetus, laborioſus, ſolitudinem amans, ab ineunte ſtatim ætate, aſperam fortunæ ſortem in paupertate expertus, quam tamen ſemper æque tulit, ſtudia ſua, comite licet egeſtate, induſtrie excoluit & abſolvit, donec trigeſimo primo ætatis anno, cathedrali quæ apud nos eſt Eccleſiæ, concionator præficeretur, cujus officii functionibus atque muniis, quoad valetudo concedebat, ex omni parte ſatisfecit: Novennium & quinque menſes, ex quo cœlibem mutavit vitam, non ſine variis calamitatibus vixit; ex obitu enim duarum conjugum, unicæque nondum trimulæ filiolæ, acerbo luctu atque mœrore affectus fuit; totumque tempus illud demtis tantum annis tribus, in viduitate tranſegit: cumque ſuperioris anni ſeptimo Septembri, tertiam vitæ ſociam accepiſſet, jam tum ex tot prægreſſis difficultatibus, viribus fractus, nihilominus pro indefeſſo labore ſuo

Offi-

Officii ſui partes, inter præſentiſſimas virium debilitates, imo deliquia, explevit, donec anno hoc ineunte, ingraveſcente in dies morbo, lecto affigeretur, de hinc ſæviſſimis (ut rumor ferebat) alvi torminibus, pertinacibuſque adſtrictionibus, ultra dimidium annum fuit excruciatus, & quamvis ſanitatem, aliquo modo recuperare videretur, dum aliquot ante ſeptimanas (infirmus licet adhuc) ter ad audiendas confeſſiones in templum abiret, adeo tamen invaleſcebat malum, ut denuo lecto teneretur, ex medicamentorum autem uſu opis nihil, morbum vero quotidie ingraveſcere, ex virium decremento ſentiebat. Vocatus ego ad eum acceſſi, aderat ibi ſua Domina Conjux, ejuſque frater germanus, Dominus Caſparus Meyer, Pharmacopœus Electoralis privilegiatus, ut & Dominus Johannes Godſched, Med. Licent. & P. P. Collega meus honorandus, ad curam mecum ſimul ſuſcipiendam eo vocatus: contemplatus ego Dominum ægrotum, colore ſubpallidum & cadaveroſum, atque manibus pedibuſque præprimis vero facie adeo tumidum, ut etiam oculi exinde profundi apparerent, eum inveni; quærenti mihi ex eo, doleretne parte aliqua, cibum an appeteret & alvus in excernendo, ſuum faceret officium, ſomnum num caperet, & ſimilia; reſpondit voce quidem firma ac clara, appetitum eſſe proſtratum, nec ſe rebus aliis, niſi pulmentis atque in exigua quantitate veſci poſſe, alvum vero in dejiciendo eſſe promptam, fæceſque conſiſtentiæ debitæ, ad ſomnum ſe eſſe propenſum, atque dormire plus ſatis; cæterum acutis doloribus ab aure ſiniſtra in ſiniſtrum Hypochondrium, ad inſtar ſagittæ delabentibus, ſæpius infeſtari, ibi quoque ſub coſtis tumorem, cum exiguo tamen dolore, ſentire. Tactu malum exploraturus ego, latum digitum circiter ab umbilico, hypochondrium ſiniſtrum verſus, deprehendi tumorem durum pugni magnitudine, quem compreſſi quantum poteram (renitebatur enim) interrogans, num doleret; ad quod reſpondit; ſe compreſſionem quidem ſentire, facile tamen ferre, taleſque dolores (ſi dolores dicendi) parvi pendere, cum vehementia longe non accedant, ad immanes iſtos quos ante hac eſſet perpeſſus imo vel decuplo (ut loquebatur) iſtis ſint minores. Cum hæc mecum reputo, ventriculum male ſe habere, atque ex apoſtemate eum laborare aſſerebam; nolebat aſſentire Dominus patiens ſed referebat, ſe bene jam antea intellexiſſe, ventriculum hic non laborare, ſed malum omne in hepate ſitum eſſe, huic etiam omnem curationem antea adhibitam fuiſſe, quam porro etiam continuandum putabat: regerebam ego, me quidem, quo morbo ante hac tentatus fuerit, non noſſe, nec opinioni meæ contrariari, ſi tempore præterito hepar male affectum fuerit, in præſenti vero ſtatu nihil obvenire, quod hepar ægrotare monſtret; ſive enim ad ſitum partium internarum ſive alia hic conſideranda attendam, affectum ventriculo non adſcribere, aut à concepta ſemel opinione decedere, me non poſſe; neque citra neceſſitatem ſtatum naturalem linquendum, & ad præternaturalem tranſeundum eſſe.

Suf-

Suffragantem mihi hic habebam Excell. Domin. Johannem Godſched, Collegam meum honorandum, qui ſe mecum in eadem ſtare ſententia, ultro declarabat, nec hujus affectus ſubjectum aliud, niſi ventriculum cognoſcere, neque antea cognoviſſe, hanc ſuam ſententiam, jam tum quoque aliis explicuiſſe, qui tamen hac de re cum eo conſentire noluerint, ſed potius pro refellenda ſententia hac, in diſſectione cadaverum, in præternaturali præſertim ſtatu, aliquoties hepar eouſque deſcendiſſe, obſervatum fuiſſe protulerint: inquiebam ego ad hæc, me quidem de monſtroſa ejuſmodi hepatis excreſcentia nunquam aliquid aut legiſſe aut inaudiviſſe, nec adhuc ullam percipere rationem, quæ à concepta ſemel opinione me dimovere poſſit; quare, meo judicio, omni cogitatione curaque in id incumbendum nobis eſſe, quo abſceſſus ante omnia ad maturationem perducatur, poſtmodum vero conſolidetur. Et cum caſus ſit inſolitus, qualem perraro obſervari obtingat, atque diligentem mereatur meditationem, me hanc rem mecum ulterius perpenſurum ajebam; idem quoque Dominus Licent. Godſched non tantum ſe etiam ſedulo acturum, & per omnia ſententiam meam, jam tum comprobare, affirmabat. Attamen priuſquam diſcederemus, ſtomachicum in formula ſequenti præſcripſimus. ℞. Elix. vitrioli mynſicht. Sp. aperitiv. Penot. a. ʒj. Sp. theriacal. ſ. camphor. eſſent. cent. min. cal. aromatic. a. ʒß. M. D. S. *Magen und Leber* Eſſentz, *davon* 50 *Tropffen des Tages* 3 *mahl in gewöhnlichen Getränck zu nehmen.* Poſtera die, cum iterum Dominum ægrum viſitaremus, audiebamus, præſcripto medicamento eum aliquoties fuiſſe uſum, aliquid etiam levaminis exinde percepiſſe, quapropter uſum ejus quoque continuare vellet: circa noctem mediam vero vomitu ejeciſſe materiam liquidam, & quidem in ſatis larga quantitate, quæ, ut ex ſpurcatis ea, & denigratis lecti linteis videre erat, colore nigro, atramento non abſimilis fuerat: ejectam materiam arbitrabar, nihil aliud niſi bilem aut corrupta in ventriculo aſſumpta fuiſſe; bilem vero fuiſſe, quantitas inprimis magna, ſapor item fere inſipidus & quaſi ferreus negabant, reſtabat igitur pro ſaburra, ſive re aliqua in ventriculo corrupta alia habendam eam eſſe: porro iterabam pridie à me dicta, repetens, me hanc rem mecum bene reputaſſe, quoſdam etiam circa hanc materiam Autores evolviſſe, inter quos citabam Valeſcum de Tharanta, qui *capitulo de apoſtemate ventriculi*, *Philonii* ſui, non ſolum graphice affectum hunc deſcripſerit, ſed & ſymptoma iſtud, de quo maxime conqueſtus erat Dominus ægrotus, defluxionem nempe à capite, accurate pertractaverit (mirabatur Dn. Licent. Godſched exquiſitam obſoleti hujus Autoris curioſitatem, cum ex allato libro legeret ipſius verba) addebam autem, quod, quanto magis mecum cogitaverim, quoque plures evolverim Autores, eo magis in ſententia mea priſtina, fuerim confirmatus. Nunc adhuc, nigrorum vomitum accedere, certo indicio ventriculi tonum vitiatum eſſe. Parte itaque affecta

jam cognita, de convenientibus ſolum medicamentis, iiſque talibus, quæ immediate in eam agere quirent proſpiciendum eſſe, via videlicet in propatulo exiſtente, œſophago nempe, quo natura ad aſſumta demittenda utatur. Ad medicationem conveniens & à natura indicatum videbatur nobis Emeticum, quod tamen exhibere & proſtratæ vires vetabant, & accipere Dominus patiens. renuebat, qui noſtros ſermones animadvertens aſſeverabat, ſi ad accipiendum id cogeretur, ſe cum vomitorio ſimul & animam redditurum. Datum ergo eſt ſequens: ℞. Sacchar. finiſſ. ℥ß. Balſam. Vit. gr. iij. M. f. l. a. Eleoſaccharum. S. *Eroffnender Krafft-Zucker auf* 1 *mahl.* Et injunctum, ut de eſſentia antea præſcripta ſimul caperet. Inter abeundum converſus ad amicos, dicebam, mihi videri non levem putredinis vel morticinii ſuſpicionem colorem hunc nigrum injicere; veniebat enim mihi in mentem, ſimilis fere à me annis abhinc undeviginti obſervati caſus, quando eo tempore à venerando Domino noſtro Seniore D. Woſeginio, tunc aliis occupationibus præpedito, ad Generoſam Matronam Regiomonto ſeptem milliaribus ruri decumbentem, ut in faciendo ei medicinam illius vice fungerer, miſſus eram, utero gerebat ægra hæc, ſimilibus inſuper correpta ſymptomatis ſæpe etiam materiam nigram huic per omnia ſimilem evomebat; nunciatum mihi deinde eſt, eam triduo poſtquam illinc diſceſſeram, vita fuiſſe defunctam, & in eviſceratione, à chirurgo ejus viciniæ, oppidi nempe Bartenſteinenſis, facta, ventriculum ſphacelo ſideratum & atratum, fuiſſe extractum. Die tertia & ſequentibus uſque ad decimam, quæ Domino ægroto emortualis erat, Menſis vero dicti vigeſima, eadem & reverterunt, & exacerbata fuerunt ſymptomata, qua propter & eorundem medicaminum uſus fuit continuatus, uti hujus Menſis 13tia die, Stomachicum, prima die præſcriptum, fuit iteratum Die 14ta, 16ta & 17ma, ſicque tribus vicibus Eleoſaccharum fuit repetitum, 14ta quoque ſequens fuit exhibitum. ℞. Balſam. Peruvian. nigr. ℈ß. f. c. ſ. q. Sacchar. Canarienſ. Eleoſaccharum. D. S. *Eröffnender und heilender zucker auf* 1 *mahl.* 15ta. Ventriculi regioni imponendum emplaſtrum ſequens dabatur: ℞. Empl. diachyl. c. gumm. de ammoniac. oxycroc. a. q. ſ. malax Sp. terebinth. ol. menth. ſtillat gt. vij. f. l. a. Emplaſtrum ſtomachale, figura uſitata. S. *zertheilendes und ſtärckendes Magen-Pflaſter zum äuſſerlichen Gebrauch.* Decima ſeptima in locum eſſentiæ jam bis exhauſtæ, ſequentem ſuffecimus. ℞. Miſt. ſimpl. Tinct. Bezoardic. Michael ♂ liquid. eſſent. fumar. a. ℥j. M. D. S. *Magen und Leber* - Eſſentz, *davon* 50 *biß* 60 *Tropffen in gewöhnlichen Trincken zu nehmen.* Quoniam etiam Dominus ægrotus in Potiunculæ forma ſtomachicum poſtulabat, ipſi ſequens præſcripſimus quod ℞. Elix. Vit. Matthiol. ſ. Moſch. ☉ rantiar. Citr. ▽ Cinam. ſimpl. a. ℥. M. D. S. *Stärckendes Magen* - Elixier, *davon nach Belieben* 1 *paar Leffel voll zu nehmen.* Elixiris hujus duo cochlearia, aliquoties de die accepit, non

tamen

tamen neglecto aliorum medicamentorum uſu: denuo quoque hoc ipſum 19na præparatum fuit. Die 18va utile viſum eſt, clyſmate, & tali quidem, quod nullo tinctum eſſet colore, inteſtina eluere non quidem obſtructione alvi id requirente, (cum hæc quotidie ſuum faceret officium) ſed tantummodo, ut in excretis obſervare liceret, num materia ejuſmodi nigra, in inteſtinis quoque ſtabularetur, quamobrem injici ſequens juſſimus, Rec. Herb. IV. Emollient. a. m. j. Coqv. in ▽ ſimpl. q. ſ. Colatur. Rec. ℥x. add. ♉ ʒß. Fuit hoc injectum poſt meridiem, atque in craſtinum uſque meridiem retentum, & cum ejiceretur, in vaſe ceſali ſuppoſito, nihil præterquam aqua atrata, repertum fuit. Pro refocillandis viribus, quibus inſigniter defici deprehendebatur, Analepticum exhibuimus, quod Rec. ▽ Rub. id. ceraſ. nigr. ex typh C. C. cinam ſ. a. ℥j. Conf. alkerm. ſ. m. & ambr. ʒj. Eleoſacchar. Citr. ʒij. M. D. S. *kräfftig Stärckungs-Waſſer, nach Belieben dazon zu nehmen.* Moſchus & Ambra tum in hoc, tum in Elixirio ante exhibito, quia Dn. æger nos monebat ſe ea averſari, conſulto fuerunt omiſſa. Binis vero vicibus, 19na ſcilicet & 20ma, quæ dies erat ultima, hujus medicamenti præparatio fuit iterata. Ipſa hac emortuali die, tribus circiter poſt obitum horis, ut exenterationi perficiendæ intereſſemus, vocati fuimus, quomodo ea inſtituta ſit, quæ item notatu digna circa eam occurrerint, ſtatim diligenter à nobis, germanice quamvis, perſcripta fuerunt, ea verbo ad verbum latine reddere, hicque ſubnectere, non incongruum viſum fuit, quæ ſic ſe habent:

Anno 1695. die 20 Julii ſt. n. hora prima poſt meridiana, nos infra ſcripti medici petitu Dominæ viduæ & cognatorum beati Domini Roſcheyi, hactenus Archi-Diaconi Eccleſiæ noſtræ cathedralis, in ædibus ejus comparuimus, ut Exenterationi in pie defuncto Domino, à Domino Chriſtiano Hammel, Reip. Kniphofianæ chirurgo ordinario perficiendæ intereſſemus, & ſi quid circa eam notandum occurreret, in id curatius inquireremus. Quoad ſpeciem itaque corporis externam, purum id, & intaminatum invenimus, quamvis valde collapſum & emaciatum; facie, manibus pedibuſque exceptis, quæ partes magnam partem tumentes fuerunt & turgidæ, ac ita quidem, & ubi digito premerentur, ſcrobiculi ſeu veſtigia impreſſa remanerent. Deinceps, poſtquam cutis cum ſubjacente pauca, eaque flaveſcente pinguedine, inciſione, à claviculis ſub collo ſuper ſternum & abdomen (ventrem infimum) per peritonæum ad inguina uſque per crucem facta, ſeparata eſſet, ſternum una cum coſtis ſpuriis, à coſtis veris, deſectione cartilaginearum productionum ſolutum atque ſurſum reclinatum fuit, ubi ſitum, figuram & colorem viſcerum contentorum, ſive partium internarum, tam medii, quam infimi ventris conſideravimus, cunctaque perfecte bona, præter ventriculum, in quo inania ſiniſtra (ſiniſtrum hypochondrium) verſus, ingens tuberoſus atque cerebro non abſimilis gibber abſceſſus, ſeu potius apoſtema; & hepar,

quod colore ex rubro flaveſcente, crepidine ſua ſive parte tenui, concava antica (qua, latus ſiniſtrum verſus ventriculo incumbit) vix pennam communem ſcriptoriam craſſum, ipſa etiam ea parte, ventriculo adnatum, inventa fuerunt. Quo autem commodius cuncta, quæ de re eſſe videbantur, inveſtigare poſſemus, diaphragma à coſtis & dorſi ſpina circum circa ſolutum, tum & œſophagus una cum trachea (qua pharyngem & laryngem) ſupra, inteſtinum rectum (longanon) vero infra, duabus his extremitatibus duplici ligatura injecta, abſciſſa, ſicque viſcera, ſeu partes internæ, cor ſcilicet, pulmones, ventriculus, hepar, inteſtina, cum vaſis & ligamentis ſuis exempta fuerunt. Poſtea, partem unamquamque ſingulatim examinavimus perquiſivimuſque, à ventriculo, quia hic omnium vitioſiſſimus apparebat, initio facto. Hic, qua colorem, conſiſtentiam, figuram & magnitudinem alias inculpabilis fuit, prætrquam quod ad & ſuper eum admodum rarus abſceſſus ſeu apoſtema adfuerit, qui ad finem œſophagi, id eſt orificii ventriculi ſiniſtri, vulgo ſuperioris ſeu majoris dicti, latus dextrum, ab anteriore parte incipiendo, lævorſum, per totam partem gibbam ad fundum uſque, in orbem exporrectus erat; hepar, qua partem ſuam ſimam ſeu tenuem & concavam qua ventriculo incumbit, apoſtemati adnatum erat, quapropter apoſtema hoc quibuſdam ex hepate enatum videbatur, aſt hepar una cum tunica, ſive membranula ſua, illæſum ſe ſeparari, & digitis quidem tantum, citra ſectionem, patiebatur, circa quam divulſionem aliqualis ſtridor, acſi conglutinatus dropax aut veſica divelleretur perſentiebatur; cum apoſtema hoc deſuper incideretur, inciſio ad cavitatem ventriculi penetrabat, qui alias nihil, niſi materiam atram, terræ vel tincturæ aqua dilutæ nigræ, non abſimilem, quantitate minimum duas menſuras noſtrates, (vulgo, Stoff, dictas) libras medicinales octo plus minus adimplentem, in ſe continebat: materia hac, in paropſidem peculiarem immiſſa, ſectio per apoſtema & ſanam ventriculi partem perficiebatur, ubi in interiore ventriculi parte, apoſtema qua ſubſtantiam ſuam perſimile veteri ſevo aut lardo rancido) qualiter in apoſtematibus ad purulentiam ſeu maturitatem tendentibus plerumque comparatum eſſe ſolet) colore vero, tam extrinſecus quam intrinſecus, penituſque ſubflavum reperiebatur, palmum circiter latum, treſque tranſverſos digitos, plus minus craſſum, in conſpectum apoſtema hoc veniebat, notandum etiam hic eſt, quod per totum hoc apoſtema nihil de ventriculi tunicis, hoc eſt, membranis ſuis naturalibus, ſeu ſubſtantia, deprehendi potuerit: unde non ad ventriculum id adnatum, ſed totam ventriculi ſubſtantiam in apoſtema hoc converſam fuiſſe, perſpicue elucet; intus, & infra quidem, ad fundum ventriculi, in fine apoſtematis, ad perfectam jam illud pervenerat maturitatem, ruptumque erat, quare, perfectum concoctum pus, digito diverſis vicibus exemptum fuit: erat apertio rotunda, duos præter propter tranſverſos digitos longa, totidemque lata. Præter hæc, tam in rugis

rugis ſeu plicis, quam ambobus ventriculi orificiis, nihil vitioſi inventum fuit.

In hepatis examinatione ſimiliter intra extraque nec induratio ſeu ſc'rrhus, nec tumor, aut pus, aut aliud quicquam, reperiri potuit, præter colorem, qui aliquando pallidior naturali, qui in ſanis corporibus eſſe ſolet, apparuit; præterea ſima ſeu anguſta hepatis pars, qua ventriculo hoc viſcus incumbit, vix pennæ vulgaris ſcriptoriæ craſſitudine, ipſa porro hæc pars, nihil tamen ultra ſterni cuſpidem, mucronata cartilago dictam, exporrecta, ventriculo adnata fuit inventa, prout ſupra jam relatum fuit. In poro bilario & fellis veſicula, nulla etiam obſtructio, nec aliud quid obſervatum fuit. Ipſa bilis in veſica bilaria, in modica quantitate, & colore praſina, cæterum vero conſiſtentia tenuis, reperta fuit. Ductus item Cholidochus ſeu meatus communis & ductus, in & per quem bilis, tam ex veſica bilaria, quam poro bilario ad inteſtina (inteſtinum duodenum) fluit, ſine omni menda inventus, ipſa etiam bilis, compreſſa fellea veſica non impedita, ad tenue inteſtinum delata fuit.

Inteſtinum totum, tam tenue quam magnum (craſſum) plene ſanum atque ſine minima etiam menda, ut & interius omni materia vacuum & purum, ac quaſi elutum, fuit repertum: niſi quod ex humore quodam nigro intrinſecus hinc inde, leviſſime tamen, affixo, rem talem nigricantem illud permeaſſe, colligi potuerit.

In ventre medio, ſimiliter cuncta bene conſtituta atque integra fuerunt: in pulmone & circa eundem quoque, minime quicquam notari potuit, ſed colore ſuo, lobis item atque interiori ſua ſpongioſa ſubſtantia &c. adeo bonus, uti vel ullo modo deſiderari potuiſſet, fuit repertus. Pariter quod ad cor attinet, nihil ſingulare obſervari potuit; aperto nempe pericardio, involucro iſto membranoſo, quo cor cingitur, humor in eo contentus, ſeu liquor ejus naturalis, quantitate mediocri, ſubalbidus deprehenſus fuit; corde deinde extracto, dexter prius ſeu major, ac poſtmodum ſiniſter ſeu minor ejus ventriculus, una cum auriculis appoſitis, diſſecti fuerunt, ubi proba cuncta venere in conſpectum. In ipſis ventriculis cordis, ſeu cordis ſinibus, ſpeciatim vero ſiniſtro, cum vena pulmonaria & arteria aorta, penitus atque penitus rubra aderat materia, ut intuitu ipſo, polypi præſentes crederentur, nulla tamen materia iſta prædita erat duritie, ſed mollis, perquam facile digitis conteri poterat, quapropter eam, ſanguinem grumoſum, qualis demortuorum corporum communiter eſſe ſolet, nos eſſe exiſtimavimus.

Hoc inſuper notandum, quod per totum apertum corpus, licet vaſa ſanguifera majora fuerint diſſecta, ſanguis perpaucus, vix quartarium, vel libram medicinalem faciens, contentus fuerit.

Pariter, ſimulac corpus aperiebatur, & partes (viſcera) tractabantur, odor acetum acerrimum obolens fuit perceptus.

Gothofredus *Sand*, Ph. & Med. D. P. P. (L. S.). Johannes Gottſched, Med. Lic. & P. P. (L. S.). Chriſtian Hammel, Chirurg.

§. I.

Recenſitum modo caſum, medice conſideraturi nos, non ab re fore judicamus inquirere, *quo morbo pie defunctus hic æger laboraverit; & an contra verum morbum inſtituta fuerit curatio;* quod quæſtionis hujus primum, cognitionem ſcilicet affectus concernit, cum via alia nulla, niſi diligenti ſignorum perpenſatione, ad eam devenire liceat, huic viæ & nos ſemper inſtitimus, memores iſtius Hippocratis, quod habet *lib. de Art. XX.* 4. inquiens: *Medicus ſiquidem ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficiet etiam ad ſanandum;* ſufficere vero ad cognoſcendum medicus qui poterit, niſi ſignorum notitiam probe ſibi comparatam habuerit?

§. II.

Licet vero non ignoremus, ſigna certa infallibilia ac demonſtrativa; pro cognoſcendis morbis non dari, ut propterea etiam, eam quorundam Doctorum Doctrinam, qua inter σημεῖον & τεκμήριον *inter ſignum & indicium ita diſtinguunt, aut ſignum plerumque quidem ſignificet, quia veri ſimile eſt; non ſemper tamen, quia neceſſarium, non eſt: indicium contra unum perpetuo deſignet, minimeque fallax ſit, cum Joh. Antonid. van der Linden Meletem. Medic. Hippocrat. pag.* 309. inutilem eſſe judicemus, cum *conſtet Hippocrati promiſcuum utriuſque vocis uſum eſſe.* ibid.

§. III.

Non tamen propterea empiricam, non paucorum approbamus methodum, qua ſuſque deque habita ſignorum conſideratione; uniuſmodi medicamentis, quoſvis curare morbos non verentur; ſed ut docet *Galenus Comm. III. in Prognoſt. Hipp.* 31. Ἀεὶ χρὴ πάντα θεάσασθαι τὰ σημεῖα, καὶ μὴ πιστεύειν ἑνί. *Semper oportet omnia perpendere ſigna, & non fidere uni tantum:* Sic enim *quiſquis advertit, notitiam ſibi comparat ex comparatione rei ſignificantis, cum ſignificata. Protinus enim comparatione per diſcurſum, & concluſione per Syllogiſmum facta, intellectus ſigna, ceu rerum veſtigia ſecutus, invenit & apprehendit, quod quærebat - ut deſinas mirari mentem ratiocinando veſtigare, ſive per ſignorum veſtigia contendere ad cognitionem ejus, quod latet. Non enim aliter ignoti notitiam aſſequi, quam ex noti datur.* Vid. Lind. c. l.

§. IV.

§. IV.

Quoniam autem eum, *quiſquis ſibi morbi notitiam ex pleno comparare ſatagit, inquirere de illo bis bina oportet, ſiquidem eorum quæ inquirenda ſunt, duo exiſtentiam morbi an* ſcilicet & *ubi, duo eſſentiam: Quis* videlicet *& qualis morbus ſit ſpectant:* Ita & hic ex obſervatis ſymptomatis ſingula erunt manifeſta; dicitur enim de noſtro Dn. ægroto, quod *colore ſub pallidus & cadaveroſus, manibus pedibuſque, præprimis vero facie adeo tumidus, ut etiam oculi exinde profundi apparuerint, conſpiciendus fuerit; quod item appetitus fuerit proſtratus, nec niſi pulmentis quibuſdam, iiſque in exigua quantitate fuerit paſtus, alvus in dejiciendo ſuum fecerit officium, ipſe porro æger in ſomnum propenſus, dolores acutos ex aure ſiniſtra in hypochondrium ejus lateris delabentes, ut & tumorem ibidem deprehenderit.*

§. V.

Quodſi allata hæc vel leviter ſaltem trutinentur, non tantum Dn. ægrotum in ſtatu p. n. conſtitutum & quidem non leviter affectum, ſed & partem primario affectam, affectum etiam ipſum, luculenter demonſtrabunt. Via vero meliori nulla, cuncta hæc nos inventuros ſcimus, quam ſi ad functiones partium proprias ſeu naturales, reſpiciamus, de harum enim aliqua læſa, *veriſſimum arguere, neceſſario eam partem læſam, cujus eſt.* Ut habet *Anton. van der Linden Meletem. Medic. Hippocratic. p.* 351. Si itaque & in hoc ægro idem hoc conſideremus, partem, præter ventriculum, hic nullam aliam, primario affectam fuiſſe cognoſcemus. Et quoniam Medico Practico non ſufficit ſcire, quæ pars laboret, ſed etiam quo ea modo laboret, cognoſcere eum oporteat, niſi *ſermone tantum ſed & opere medicus haberi voluerit, juxta Hipp. Leg. III.* 4. idem & hic *tumor durus latum digitum circiter ab umbilico, hypochondrium ſiniſtrum verſus deprehenſus*, prodit. Antequam autem de parte affecta, ipſoque affectu propius inquiramus, neceſſarium cenſemus, de naturali ventriculi conſtitutione, atque functionibus ejus, quædam præmittere; neque enim affectum in ſubjecto perſpicere quis poterit, niſi cognitionem habeat ſubjecti integri & adhuc ſani, ſicque rectum norma ſit & ſui & obliqui. Conf. *Galen.* 4. *Method. med.* 2.

§. VI.

Ventriculum autem natura fabricavit, ut ſit promptuarium quoddam omnium particularum commune, in medio animali poſitum &c. Scribit Galenus *lib.* 4. *de uſu Part. cap.* I. Medium hoc animalis eſt in infimi ventris parte ſuperiore, ſive epigaſtrio, proxime ſub diaphragmate, inter primas

mas lumborum vertebras & cartilaginem mucronatam, lienem à ſiniſtris habet, à dextris & anterius hepar, cui cedens, ſiniſtra rotundiore ac majore ſui parte verſus ſiniſtrum latus propendet; dextra vero minore, magis attenuatus, inteſtino jungitur duodeno, quod cum reliquo inteſtino & omento inferius, ſuperius vero ſeptum, ſeu diaphragma & dextro ſuo lateri, ſive anguſtæ & attenuatæ parti, partem hepatis, interiorem & inferiorem, cavam ſeu ſimam dictam, incumbentem habet: poſterius denique reperitur pancreas, quod latiore ſua parte hepatis confinia accedens circa primam lumborum vertebram, ei ſubſternitur, meatumque bilarium ac portæ truncum includens, duodeno inteſtino jungitur.

§. VII.

Figuram obtinet oblongam, non abſimilem utriculo, partem, ſiniſtram verſus, majorem gibboſam, dextram vero, tenuiorem & minorem ſeu attenuatam, ſecundum quas duas partes in fundum ſeu cavitatem, & duo orificia diſtinguitur: fundus maxima pars eſt totius, & inferior, potiſſima ſua amplitudine ad ſiniſtrum latus inclinans, in qua prima coctio peragitur: orificia quamvis ambo in ſuprema ventriculi regione ſint, alterum tamen eorum, quod ſiniſtrum eſt, vulgo *ſuperius*, alias os ventriculi ſimpliciter dicitur, hoc alterum magnitudine, craſſitie & amplitudine ſuperans, ut cibum quoque durum, aut etiam ſemimanſum admittat, propter amplitudinem proprio nomine ſtomachus appellatur, multis fibris orbicularibus, ac nervis a ſexto pari pertexitur, unde exquiſitiſſimo pollet ſenſu, atque cor per conſenſum condolet, & affectus ejus, animi deliquia, aliaque cardiacis ſimilia ſymptomata gignunt, quamobrem veteribus cor ſeu corculum appellatur, continuum eſt œſophago ac diaphragmati, e regione cartilaginis mucronatæ ſeu enſiformis, hinc Epigaſtrii ſuperior pars cutis, quæ cartilaginem hanc tegit, cordis fovea & ſcrobiculus, Germanis *die Hertz-Grube*, communiter appellatur. Dextrum vulgo *inferius* dictum, altero anguſtius, non nihil reflexum, ac fibris tranſverſis, nec non circulo craſſiore, muſculi orbicularis forma præditum; quo hic exitus ventriculi melius claudatur, donec cibus concoctus in cremorem liquidum mutatus ſit, proprie Pylorus ſeu Janitor nominatur; inteſtino duodeno continuum, alimenta concocta ad inteſtina dimittit, quæ tamen non effluunt, ſed per aſcenſum, vi motus periſtaltici, expelluntur.

§. VIII.

Magnitudo variat, pro ſexus, ætatis, & corporum varietate, tanta tamen cuique eſt, ut ſufficiat penui diario, tunicaceus interim, ut contrahi poſſit aut laxari, pro menſura aſſumptorum; bene hic notandum,

tu-

tunicaceam hanc ventriculi ſubſtantiam, non ſimplici, ſed triplici conſtare membrana: exterior communis eſt, à peritonæo nata, & craſſiſſima inter eas, quæ à peritonæo oriuntur: media carnoſior, in qua ut & intima, quæ nervoſa ac rugoſa exiſtit, imprimis conſpicua eſt, fibrarum varietas, in orbem, obliquum & rectum, exporrectarum, ad viſceris robur, facilemque retentionem & expulſionem. Intima, quæ cruſta mucilaginoſa, (carneam dicunt alii) obducta eſt, ut à ſuccorum acrium injuriis, illæſa ſervetur, œſophago & oris partibus communis eſſe, vulgo traditur, cum tamen longe melius continuam eſſe eam, dicetur, nam longe alterius eſt naturæ & ſtructuræ, ac ratione ſuæ temperiei, ac conformationis, mirabilem fermentativam qualitatem, qua œſophagi oriſque tunica deſtituitur, in ſe continet, atque hinc peculiarem humorem ſermentaceum in ſe generat & recondit, quo bene ſe habente, coctiones ventriculi felicius procedunt.

§. IX.

Nervos, uti §. 7. jam dictum, recipit à ſexti ſeu vagi paris truncis, juxta œſophagi latera deſcendentibus, qui ſub œſophago per ſeptum (Diaphragma) tranſientes, ramos ſtomachicos, inferiorem ſcilicet & ſuperiorem conſtituunt, ita ut *inferior*, qui ex paris vagi ramis, utriuſque lateris œſophagi, internis, ſimul unitis, conflatur, ventriculi fundum obducens, propagines in toto tractu quaqua verſum diſpergat; *ſuperior* contra, ex ramis ejuſdem paris vagi, utriuſque lateris œſophagi externis ſimul unitis conſtans, viſceris ſummitatem, atque orificium ejus ſiniſtrum imprimis, multis propaginibus perreptet. Longe vero plures nervi hoc ſiniſtrum adeunt orificium, quam quidem alterum ſeu dextrum, atque illud ita involvunt, acſi ex ſolis nervis compoſitum eſſet: per hos nervos copioſi ſpiritus animales in ventriculum deferuntur, acutum ei ſenſum conferentes, qui propter majorem nervulorum copiam ſtomacho inſertam, ſuperiore parte acutior eſt, quam inferiore, cujus ratione fames illic imprimis oriri creditur, quemadmodum partem eam contrahi & quaſi corrugari ſentiunt valde eſurientes. Per hos nervos, ventriculi fibris quoque infunditur vis ſeſe naturaliter contrahendi, in quacunque contentorum excretione: per eoſdem etiam magnus ventriculi conſenſus eſt cum cerebro, ut mirum non ſit percuſſo & affecto cerebro, ventriculum turbari, & vomitiones fieri, maxime in hemicrania, atque viciſſim, ventriculo male affecto, animalem quoque facultatem languere.

§. X.

Vaſa etiam recipit plurima : & arterias quidem a cœliacæ ramo dextro, parte quidem elatiore *Gaſtricam dextram*, quæ Pylorum accedit, atque hic *Pylorica* Spigelio appellatur, humiliore vero *Gaſtroepiploidem dextram*, ad fundum & medium annexam : a ramo ſiniſtro autem ſeu *Splenico* dicto, parte ſuperiore *Gaſtricam* habet *Majorem*, quæ poſtquam ſurculum tribuit elatiori ac mediæ ventriculi ſedi, duas propagines peculiaribus nominibus inſignitas, ad ventriculum projicit : 1°. nempe *Coronariam ſtomachicam*, quæ orificium ſuperius coronæ inſtar cingit, & corpori ipſius ventriculi varios ramulos tribuit, & 2°. *Gaſtricam ſiniſtram*, quæ dextrorſum in ventriculi ſuperiora, & ad Pylorum transfertur. Præterea ramus hic cœliacæ ſplenicus, antequam lienem ingrediatur, ſuperiore parte emittit *vas breve arterioſum*, ad fundi ventriculi ſiniſtrum latus, & *Gaſtro Epiploidem ſiniſtram*, quæ ſuperiore omento ſuffulta, ſiniſtram fundi ventriculi ſedem perreptat, anteriori & poſteriori ejus parti, nec non omento, ramulos tribuens : de quibus videatur *Diemerbrœck Anatom. lib. 6. c. 5. pag. mi.* 815. Officium harum arteriarum eſt, ventriculo advehere alimentarium ſanguinem quo nutritur.

§. XI.

Venarum exilium plurimas quoque habet ramificationes, inter tunicas ejus latentes, quarum variæ hic illic concurrentes ac coëuntes, tandem quatuor efformant venas inſigniores, ad portæ venam tranſmittendas : ſcilicet *Gaſtricam* (hæc reliquis major eſt) *Gaſtro Epiploidem ſiniſtram*, *dextramque*, *& ramum pyloricum :* item aliam inſuper venam inſignem, *vas venoſum breve* appellatum. (hæc modo uno, modo duobus, tribus, pluribuſve ramis, a ventriculo egreditur) *ramo ſplenico* inſerendam. Per has, ſanguis à ventriculi nutritione reſiduus, verſus hepar defertur. Quod enim antehac medici tradiderunt, per vas hoc venoſum breve, à liene acidum quendam ſuccum aut ſanguinem, aſcendere in ventriculum, ad ejus nutritionem, & ſimul ad cibi appetentiam, ſeu famem in ventriculo excitandam, id Neotericorum curioſior Anatome, omnino peſſum dedit: in ſectionibus enim vivorum animalium, injecta, vaſi brevi venoſo, ligatura, intumeſcentia inter ventriculum & ligaturam, detumeſcentia vero inter ligaturam & ramum ſplenicum, mox apparet, certo indicio, nihil à liene ad ventriculum, ſed continue ſanguinem à ventriculo ad ramum ſplenicum defluere, eumque non ingredi lienem, cum vaſis hujus ingreſſus, in ramum ſplenicum, non nihil plerumque diſtet à liene, ſed per ramum hunc recta deferri ad portam.

§. XII.

§. XII.

Ex inſigni hac viſceris hujus ſtructura, de officii ſeu functionis ejus dignitate facile conſtare poteſt: officium ſcilicet eſt, ut ſit receptaculum aſſumptorum, & ſerviat naturæ pro cacabo ad coquendum pultem ſuam, vitæ conſervandæ cauſa: conſervatio hæc requirit alimentum, ſive materiam conſimilem & congenerem, *Lind. Meletem. p.* 18. quoniam autem ex triplici materia, fluida videlicet, ſolida & ſpirituoſa, corpus noſtrum conſtat, & quotidie plurima e corporibus diffluunt, neceſſe eſt, niſi in eorum, quæ effluxere, locum, alia ſubinde reſtituantur, brevi corpus concidat; propterea tale tantumque reponi oportet, quale & quantum deperiit, ſi in ſtatu corpus ſervare velimus, pro triplicis ergo hujus ſubſtantiæ diminutione, alimenti quoque triplicem eſſe differentiam, convenit, quod perſpicue ſatis docuit *Hipp. lib. de Flatib. IV.* 5. ſic ſcribens: Τὰ σώματα τῶν τε ἀνθρώπων καὶ τῶν ἄλλων ζώων, ἀπὸ τρισσέων τροφῶν τρέφονται. &c. *Corpora omnia, tum hominum tum reliquorum quoque animantium, à triplici nutrimento ſuſtentantur: horum autem nutrimentorum nomina hæc ſunt, cibus, potus, Spiritus, & Spiritus quidem qui in corporibus ſunt, flatus vocantur, qui vero extra corpora exiſtunt, aër. Qui ſane maximus in omnibus, quæ corpori accidunt, & autor & Dominus.* Hinc ſpirituoſo ſive *igni*, *aër nutrimentum præbet, quo ſi ignis privetur, vivere non poſſit Hipp. de Flatib. V.* 16. *de Aliment. XI.* 1. Conf. *de Corde III. 6. &* 13. Partibus fluidis & ſiccis vero, potus & cibus. Conf. *Hipp. de Aliment. I.* 3. *& VII.* 4.

§. XIII.

Non ſatis autem eſt, tantum corpori reponi alimenti, quantum deperiit, ſed requiritur ante omnia, ut & tale ſit, quale deperiit. *Nam conſervatio, quædam quaſi generationis perpetuatio eſt. Conſervatio requirit alimentum, ſive materiam conſimilem & congenerem. Materiam, ut ejus acceſſu fiat acceſſio corporis; conſimilem: quia ex facili ſimile ſimili coaptatur, cumque eo coaleſcit. Ex facili, inquam: quia ſimilia ſunt quaſi unum, eſt enim manifeſta in ipſis identitas qualitatis. Congenerem: ſi enim ſimile ſimili augetur; quanto commodius ac minore negotio ea coëunt, quæ ſunt ſecundum formam eadem. Ac ſane quod ſubſtantiæ congeneres facile coaleſcant, id cauſæ eſt, quod idem ſunt re. Pro materia datus eſt cibus. Is quidem eſt poteſtate corpus animalis; at non actu, ſolidus quippe; ſed productilis & transformabilis in alimentum actu*, ut loquitur *Joh. Antonid. van der Linden. Meletemat. Med. Hipp. pag.* 18.

§. XIV.

Idem jam ſuo tempore docuit Hippocrates *de Princip. & Carnib. XIII.* 4. inquiens : *Alimentum ubi acceſſerit unumquodque talem ſpeciem unicuique reddit, qualia ſane erant. Singula enim ab alimento irrigata, augmentum capiunt, calidum & frigidum, & glutinoſum & pingue, & dulce & amarum, & oſſa & alia univerſa quæ in homine inſunt.* Et *de Aliment. II.* 1. *Facultas alimenti pervenit & ad oſſa, & ad omnes partes, & in nervum, & in venam, & in arteriam, & in muſculum, & in pelliculam, & carnem, & pinguedinem, & ſanguinem, & pituitam, & medullam, & cerebrum, & medullam ſpinalem, & interanea, omneſque ipſorum partes, & ſane etiam in caliditatem, & ſpiritum & humiditatem.* Pergit porro, τροφῆς δὲ τὸ τρέφον τȣτο τροφὴ, καὶ οἷον τροφὴ, καὶ τὸ μέλλον τροφή. *Alimenti vero & id quod hoc nutrit, alimentum eſt, & quod velut nutrimentum eſt, & quod nutrimentum futurum eſt.* Conf. *Hipp. lib.* 4. *de Morb. XI. & XII. item Galen. lib.* 1. *de ſymptomat. Cauſ. cap.* 7.

§. XV.

Ut itaque alimentum conſimile & congener reddatur ei, quod corpori deceſſit, imprimis requiritur, ut ventriculus ſuum peragat officium dignitate primum ſive primarium : duplex videlicet viſceris hujus officium eſt, alterum alimenta appetere, alterum eadem concoquere; hoc uti dignitate primum eſt, ita illud ordine : de utroque aliquid hic proferre, materiæ propoſitæ poſtulat ratio :

§. XVI.

Quod ergo ad primarium, concoctionem attinet, concoquit ventriculus alimentum aſſumptum, dentium molitione prius præparatum ac per gulam demiſſum, ex eoque meliorem alimentariam partem diſſolvit, ac in chylum, id eſt, ſuccum albicantem, cremori ptiſanæ ſimilem convertit : quæ ventriculi actio autoribus coctio aut concoctio communiter dici ſuevit, & fit per modum fermentationis, ſicque alimenta aſſumpta liqueſcunt, ut Chylus ex iis educatur. Et quoniam fermentatio duplex eſt; una, qua miſti particulæ agitantur, incaleſcunt ac rarefiunt, & per ſalini vinculi diſſolutionem ita ſegregantur, ut ſpirituoſiores evadant, maximaque ſua parte, rurſus firmiter miſceantur & mixtæ permaneant: ſicut ſpirituoſæ partes vini per fermentationem ſuſcitatæ, ea peracta, aqueis permiſtæ manent : altera (multis effervescentia dicta) qua particulæ ſalis acidæ, magna parte cum aquea & tartarea aliqua materia effervescentes, per coagulationem concentrantur, adeoque ab aliis miſti particu-

ticulis ſeparantur, ut cum iis non redeant ad exactam unionem ſeu miſtionem; non hoc, ſed priori modo in chylificatione fit fermentatio.

§. XVII.

Servat tamen natura circa concoctionis modum, certum quendam ordinem: ita enim alimenta antequam deglutiantur, aliquam præparationem prius ſuſtinere opus habent, in ore videlicet primo manducantur, quod fit, quando dentibus anterioribus, *qui propterea inciſorii dicuntur*, inciduntur, ea autem quæ ab his, ob duritiem ſcindi nequeunt, *caninis* confringuntur. Manducationem excipit maſticatio, qua dentibus *molaribus*, alimenta præciſa non tantum conteruntur, & quaſi moluntur, ſed & ſimul ſaliva eis admiſcetur, qua ea emolliuntur, & farinæ inſtar in maſſam ſubiguntur, ut facilior deglutitio efficiatur, præterea & fermentativa qualitate perfunduntur, ſicque ad ventriculum deſcendunt, ut in eo omnium exactior diſſolutio promoveatur: accedunt potulenta, plerumque particulas acres ac ſpiritus fermentaceos in ſe continentia

§. XVIII.

Circa hæc alimenta ventriculus ope fibrarum ſuarum ſe conſtringit, iiſque fermentaceos ſuccos alios, tum in rugoſa ſeu interiori ſua tunica genitos, tum cum ſaliva affuſos commiſcet, qui in poros alimentorum illabentes, per convenientem & debitum calorem, eorum particulas pervadunt, agitant & eliquant, unde aſſumta omnia ſimul inter ſe confunduntur atque miſcentur, donec tenuiores & ſpirituoſæ particulæ ſe expandentes, à craſſioribus diſſolutis ſe expediant; ſicque craſſis cum tenuibus ſimul agitatis, motu iſto omnium fit miſtura, e qua tota, ſimulac aliquid excoctum eſt ſatis, continuo per pylorum, ſeu dextrum & inferius ventriculi orificium, effluit ad duodenum & inteſtina tenuia, in iis, per bilis & ſucci pancreatici admiſtionem, alio fermentationis modo, ab adhuc admixta craſſiore maſſa penitus ſeparandum, ſicque ad venas lacteas, & de hinc ulterius propellendum.

§. XIX.

Neque enim putandum eſt, ventriculum tam diu ſe ſervare conſtrictum, & clauſum manere, donec omnis aſſumptorum copia ſit concocta, atque in chylum converſa omnia, ſed ſciendum, quod ea, quæ in maſſa iſta, per fermentationem facta, excocta ſunt, ſtatim ut excocta ſunt, continuo, motu periſtaltico mediante, ad inteſtinum propellantur, reliquum vero, quod ob duritiem, reliquaſque cruditates digeri nondum potuit, diutius in ventriculo, ulterius coquendum, maneat ac ſubſiſtat.

S 3 Quip

Quippe varia alimenta, uno paſtu ingeſta, non ſimul aut æque cito digeruntur, ſed pro diverſitate ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, duritici &c. ſpirituoſiores ſeu tenuiores particulæ, in aliis citius, in aliis tardius concoquuntur, & in chylum tranſmutantur; quæ item prius coctæ ſunt, primæ per pylorum elabuntur, reliquis ad ulteriorem diſſolutionem, in ventriculo diutius remanentibus: patet rei hujus veritas, tum in ſectione canum, paucis poſt paſtum horis occiſorum, in quorum tenuibus inteſtinis, item vaſis chyliferis, tenuior ſive lacteus chylus ſemper invenitur, maxima alimentorum, duriorum imprimis, parte, in ventriculo adhuc inconcoctorum, reſtitante: tum ex refectione ſubita, paſtum ſubſequente, in qua vires, brevi aliquando reficiuntur, cum tamen cibi duriores, diu, quandoque etiam aliquot dies poſt, adhuc in ventriculo ſubſiſtere percipiantur, Conf. Hipp. d. Aliment. XI. 5. 6. quod ſane negotium nulli alii rei, præter tenuiſſimis alimentorum particulis, ſubito diſſolutis ac coctis, adſcribi poteſt, quæ ſi ad duriorum perfectam coctionem, in ventriculo ſubſtitiſſent, nimis, per nimiam illam moram, excoctæ, nidorem per aduſtionem iſtam contraxiſſent.

§. XX.

Liquet hinc error multorum medicorum, qui tam ſolicite docuerunt; certum in aſſumendis alimentis, ſervandum eſſe ordinem, ita ut quæ concoctu faciliora ſunt, primo, quæ difficiliora, ultimo loco ſint aſſumenda, ne ex præpoſtero aſſumendi ordine, cruditates generentur; idque nullam ob cauſam aliam, niſi quod putarint primo aſſumpta, primo quoque, ultimo vero ultimo e ventriculo elabi: de quo videri poterunt. *Galen. lib. 3. de ſymptomat. Cauſ. c. 1. Fernelius lib. 5. Patholog. c. 3. Mercurialis: 3. Prax. c. 12. Sennertus. Prax. lib. 3. part. 1. ſect. 2. cap. 9. & alii.*

§. XXI.

Peragit autem coctionem ſeu fermentationem hanc, acidum ventriculi dictum, ſive particulæ fermentaceæ acidæ vel ſubacidæ exiſtentes. Acidas eſſe particulas hac colligere licet vel exinde, quod acida modice accepta, non parum coctionem ventriculi adjuvent, quod præter experientiam quotidianam, quam quiſque in ſe ipſo experiri poterit, teſtantur ii, qui longis itineribus ad indos, aut alia loca remotiſſima, navigarunt, quando enim longo tempore duris ac craſſis cibis in navibus ſunt uſi, atque ex eorum uſu appetitum debilem & coctiones omnino languidas habent; ſcorbuticam etiam cachexiam contraxerunt, ubi tandem ad inſulas aut regiones, in quibus ipſis copia limonum fit, appulerunt, mox aciditate ſucci hujus fructus, appetitus coctionesque languentes in eis re-

ſuſ-

ſuſcitantur, ſicque celeriter priſtinam ſanitatem recuperant, in quem finem naucleri, ſive navibus præfecti, ad loca longe diſſita abituri, plerumque vaſa aliquot ſucci citri aut limonum ſecum ſolent aſſumere, quo languentibus nautis ne deficiant, eum exhibere, ſicque eos reficere poſſint.

§. XXII.

Quodſi aliquando, fermentum hoc acidum in ventriculo deficere contingat, chylificationem quoque ſeu concoctionem deficere eſt neceſſum; tuncque cibi aut crudi aut leviter cocti dejiciuntur, quem affectum medici lienteriam vocant; de quo vid. *van der Linden. pag.* 267. *it. Gerard. Blaſii Medicin Univerſ. pag.* 377. Si vero iterum in ventriculo ejus fiat inſtauratio, concoctiones quoque redeunt & reſtituuntur, quo collimare *Hippocrates 6. aph.* 1. *&* 2. *Epid. II.* 49. videtur, quando inquit: *In diuturnis inteſtinorum lævitatibus, ſi ructus acidus ſupervenіat, qui prius non extiterit, bonum eſt ſignum.* Unde non obſcure videre eſt, naturale hoc ventriculi acidum, fermentum illud proprie eſſe, quo concoctiones perficiantur.

§. XXIII.

Quamvis autem naturale hoc ventriculi acidum, cauſa concoctionis ſit proxima, non tamen hoc, ſe ſolo, concoctionem perficere poteſt, ſed debitus requiritur calor, ſive ignis, materiam diſponens, ut inde fermentum gignatur, exaltetur, atque in actum promoveatur: hic enim omnium quæ in corpore fiunt, & Author & dominus (*Conf. Hipp. de Princip. aut carnib.* 1. 2. *it.* 6. *Epid. VIII.* 25. *Foëſ. ad h. l.*) De calore hoc, alii quidem loquuntur aliter, in eo tamen inter ſe conveniunt omnes, ut per eum, ventriculi propriam & naturalem conſtitutionem, id eſt naturalem, ſeu cujuſcunque conſtitutioni convenientem calorem, intelligendum eſſe ſtatuant, nec quiſquam adeo erit abſurdus, ut cum ventriculo chylificationem adſcribi audiverit, nudas hic ventriculi membranas, & non potius ventriculum viventem & ſanum, proprioque ſuo ſpiritu ac calore inſtructum, intelligendas eſſe putet.

§. XXIV.

Quomodo autem calorem hunc, an ſpiritum, calidum innatum aut connatum, ignem vitalem, temperamentum, naturam, idioſyncraſiam, ventriculi tonum, inſitum operatorem, aut aliter nominare quis velit, perinde eſt, modo ſingula rite explicentur. Paracelſus Archæum cum ſuis mechanicis ſpiritibus chylificationem in ventriculo perficere ſcribit, ſuæque ſententiæ aſſeclas, medicorum non infimorum habet non paucos,

qui

qui per Archæum hunc, calidum innatum intelligendum eſſe volunt; de quo videri poterit Riolanus *in Not. ad Epiſtol. Walæi.* Verum quid per Archæum ſtomachi intelligi velit, ipſe exprimit, quando in *Annotat. cap.* 2. *Tract. Primi lib.* 1. *de urinar. ac pulſ. judic.* ſcribit: *Si urina eſt multa ac pallet* (*ſignum eſt*) *quod archeitas, id eſt propria natura ſtomachi deficit, & nimium ſumptum fuerit de nutrimento.* Sed uti modo dictum, res eodem recidit, atque conſentiunt omnes, quod alimentorum in chylum tranſmutatio neque à ſolis particulis fermentaceis, quæ ingeſtis alimentis admiſcentur, neque à moderato calore tantum fiat; uti enim illa faciunt ad alimentorum diſſolutionem, ſic hic ad coctionem promovendam, & latentem potentiam in actum producendam; quod vero ex illa diſſolutione & coctione chylus & non alius humor generetur, hoc à ſubſtantiæ ventriculi potiſſimum proprietate, cujus ratione calor, aliter in ventriculo, quam in alia quacunque parte operatur, in eoque aliter fermentum, quam in aliis partibus diſponit, dependet.

§. XXV.

Et ſicut ad actionem probe perficiendam tam fermentum, quam ipſum organum ſecundum proprietatem ſuam legitime diſpoſita eſſe convenit, ita quoque & calor ſit moderatus, eſt neceſſe; quemadmodum enim videmus maſſam farreaceam ab admiſto fermento in loco tepido bene, in frigido ægre, in ferventi, ut clibano, prorſus nihil fermentari: ſic etiam acidum hoc naturale, non niſi à ventriculi calore moderato excitatur, & in actum majorem ſuſcitatur, ab exiguo nimis, non producitur, à nimio contra diſcutitur, ipſique humores, ex quibus fermentum fieri debuiſſet, conſumuntur; hinc in ſenibus, aliiſque vel ventriculi, vel totius corporis intemperie frigida laborantibus, coctio quoque debilis exiſtit; in bilioſis, ſeu intemperie nimis calida affectis, tollitur: ut hinc non ſequatur, pro majore ventriculi calore, meliorem quoque eſſe coctionem; contrarium quippe in inflammationibus, aliiſque morbis ventriculi calidis liquet, in quibus coctionem plane ablatam deprehendere licet: convenit itaque ad chylificationis actum rite producendum, ut calor ſit moderatus, inſuper quoque in ventriculi membranis, humoribus, & ſpiritibus convenienter ſe habeat, ut & à calore circumjacentium partium, (quæ ſunt à ſiniſtris lien, à dextris & anterius hepar; poſterius Pancreas, inferius omentum & inteſtinum; ſuperius diaphragma;) debito modo foveatur, quibus ſic ſe ut decet habentibus, non poterit non ventriculus taliter inſtructus, in materiam ad chylificandum aptam, debite agere, ſicque liquorem albicantem & lacteum ex ea educere.

§. XXVI.

§. XXVI.

Colorem vero lacteum ſeu albicantem chylus accipit, propter particulas ſulphureas una cum ſalſis diſſolutas, & fermento acido ventriculi commiſtas: (lacteſcit etenim ilico quilibet 🜍re & ⊖e volatili, aut ⊖e probe diſſoluto impraegnatus liquor, ſi ei liquor acidus affundatur, ſicut videre eſt in praeparatione lactis 🜍ris, & extractorum vegetabilium reſinarum, in ſpiritibus item C. C. & fuliginis, qui liquori acido aut ▽æ ſimplici confuſi, ilico lacteſcunt:) augetur color hic chyli albicans, fitque albiſſimus, quando nempe bilis per ductum choledochum in inteſtinum duodenum delapſa, ibique cum ſucco Pancreatico per Wirſungianum ductum eodem defluente permiſta, alimentis in ventriculo coctis ad inteſtinum hoc protruſis admiſcetur, ea alio fermentationis modo effervеſcere facit, atque ſic partes in eis contentas teneriores à craſſioribus diſſolvit ac ſeparat, eaſque ita attenuat, ut in anguſta vaſorum lacteorum oſcula, lacteus in eis contentus ſuccus impelli commode poſſit, qui ſuccus, ob inſignem quam cum lacte, coloris & conſiſtentiae ratione, habet ſimilitudinem, vaſculis hiſce lacteorum nomen impertit. Succum hunc lacteum, per velut alimentum intelligit *Hippocrates lib. de Alimento. II. 6.* ſcribens: *Alimenti & id quod nutrit, alimentum eſt, & quod velut nutrimentum eſt, & quod nutrimentum futurum eſt*, neque enim totum aſſumptum, ſed praecipua ſaltem ſeu alimentaria ejus pars in chylum vertitur, reſiduum vero fermentaceae iſtius materiae, ſive foeculenta ſaburra ad craſſa inteſtina demiſſa, homerda fit, e corpore, utpote inutilis & aliena, eliminanda.

§. XXVII.

Colorem hunc chyli, non ſemper candidum ſeu lacteum eſſe, ſed ſaepe colorem ciborum ingeſtorum ſervare, quidam medicorum ſtatuerunt, inter quos etiam eſt *Vopiſcus Fortunat Plempius*, *qui lib. 2. de fundam. medicin. ſect. 5. cap. 8.* aſſertum hoc demonſtrare conatur ex eo, quod *in ventriculis boum, chylus ut herba vireat; item in hominibus, qui ſe nigrioribus alimentis & vino rubro implerunt, chylus nigricet*: ſed reſpondetur, allata haec nihil contra nos inferre; licet namque quotidiana experientia teſtetur in ventriculis ruminantium cornigerorum & altera maxilla dentatis, quae gramine herbiſve viridibus paſcuntur materiam viridem inveniri, materiae tamen huic chyli nomen convenire negamus: vel enim materia haec pabulum recens ingeſtum eſt, quod coctionem nondum ſuſtinuit, & ſic de chyli colore, utpote materia cruda & nondum immutata, indicium praebere nullum poterit: vel ſi aliquandiu jam in ventriculo delituit, atque fermentationem ſuſtinuit, partes pabuli fuerunt duriores & terreſtriores, coctioni ulteriori, in ventriculo, relictae, aut etiam indiſ-

ſolubiles, quæ fermentatione tali ſatis diſſolvi, & in chylum mutari nequeunt, ſed ad inteſtina dejectæ, feces conſtituunt, & neque ſic de earum colore ad chyli colorem argumentari licebit: obfuſcatur quoque interdum in ventriculo & inteſtinis color, quamdiu alimentorum craſſis varioque colore tinctis particulis adhuc involvitur, ab iis obfuſcatur, ita, ut & in inteſtinis, chylus colore cineritius inveniatur, de quo videri poterit *Joh. Walæi Epiſt. I. de motu chyli ad Thom. Bartholini. Anatom. hujus annexa*, *pag.* 535. verum ſimul ac acidulus ſuccus pancreaticus ei admiſtus eſt, nunquam alium, quam albicantem habet colorem, quod autopſia paſſim teſtatur, quodſi vero per ſe non ſemper albus eſſet, aliquando etiam in vaſis lacteis meſentericis & thoracicis, alterius cujuſdam, quam albi coloris deprehenſus eſſet, quod tamen hactenus a nemine novimus obſervatum, unde liquet, allatam contra album chyli colorem demonſtrationem infirmo maxime ſtare talo.

§. XXIX.

In qua vero parte ventriculi, hæc potiſſimum perficiatur functio, ſi quæratur, fundum eam abſolvere ſciendum eſt; quid autem per fundum intelligatur, dictum eſt. §. 8. maxima nempe pars totius, ſive globoſum illud, quod intra duo orificia continetur, potiſſima ſua amplitudine ad ſiniſtrum latus inclinans. Hinc eſt in propatulo, quid de ſententia iſta ſtatuendum ſit, qua docetur, dormituris conducere, primo dextro lateri incumbere, uſque ad coctionis abſolutionem, ut inter alia vult iſtud Georgii Victorii, de ſanit. tuend. method. cap. 16.

Ut pronus lædit ſomnus, ſic atque ſupinus:
In dextram facilis ſed bene proficitur.

Scilicet cum ſatis conſtet, in fundo, (ſeu cavitate) fieri coctionem, hic autem in ſiniſtro latere maximam partem ſitus ſit, proderit quoque huic lateri incumbere dormituris, quo cibus in eo diutius retineatur, nec ſubito abſque ulla remora in dextrum, ad pylorum tanquam exitui vicinior devolvatur.

§. XXX.

Atque hæc de primario ventriculi officio, quo ſcilicet cibum aſſumptum coquimus, impræſentiarum dixiſſe ſufficiant, ſequitur ut de altero, ſive primo ejus officio, quo videlicet aſſumptum cognoſcimus, cibumque appetimus, etiam pauca quædam proferamus: ſicut namque chylificatio non procedit, niſi aſſumpta fuerint ingeſta; ita ſine fame hæc ægre ingeruntur quæ etiam ita ingeſta ſunt, difficilius concoquuntur, quapropter,

pro-

provida ut in omnibus mater natura, nobis etiam de organo, ad hoc officium commodo, proſpexit appetitorio; appetitorium hoc organum pariter *venter eſt*, *qui eſurire ſe gula ſignificat: ſitire vero partibus oris interni*, inquit Joh. Antonid. van der Linden *meletem. medic. Hippocrat. p.* 19. *n.* 10. Ventriculi hanc functionem, docuit jam Hippocrates, cui authores aſſentiuntur omnes, qui *lib.* 1. *de diæt.* XII. 33. inquit: *Venter, quod intelligi non poteſt, novit: per hunc enim intelligimus, quod ſitit aut eſurit.* Et *lib. de alimento* VII. 1. ſcribit: *principium alimenti & humidi & ſicci, os, gula, venter.* Idem hoc & Galenus ſuis in libris paſſim affirmat. Sic *comm.* 3. *in libr.* 3. *epid. Hipp.* ſcribit: *Ventris eſt opus ciborum appetentia.* Et *lib.* 1. *de ſymptomat. cauſ. cap.* 7. verbis magis perſpicuis ſe explicat, quando ſic infit: *dedit* (*natura*) *animalibus penuriæ ſenſum, quo ſcilicet ad cibum potionemque proritata, in tempore expleantur, vocaturque ejuſmodi implendi deſiderium appetentia.* Similia reperiuntur & *lib.* 4. *de uſ. part. cap.* 7. in verbis ſequentibus: *Soli ventriculo, & maxime ejus partibus, his quæ ad orificium pertinent, ſenſum indigentiæ contulit, ad cibum ſumendum animal ipſum excitantem & ſtimulantem, idque a natura recte fuit comparatum;* atque hanc ſententiam tuentur omnes.

§. XXXI.

De modo autem, quomodo nempe fames excitetur, non omnino inter ſe authores conveniunt, aliis ab acidis in ventriculo contentis ſuccis, aliis a morſu inaniti ventriculi ab acribus & calidis quibuſdam per arterias in ventriculum, ſeu ejus tunicas continue impulſis & ventriculum pungentibus, aliis a particulis acribus, fermentaceis genitis ex deglutito ſalivali ſucco, aliiſque quibuſdam ſubſalſis acidiſve ingeſtis, vel ab expulſo chylo in ventriculo reſiduis, & interiori rugoſæ tunicæ adhærentibus, eique moleſtam vellicationem inferentibus, aliis denique, in quorum ſententia & nos ſtamus, ab inanitarum partium tractione ſeu ſuctione, famem induci ſtatuentibus; ſententiam hanc ultimam, egregie pluribus docuit Hippocrates *libro* 4. *de morbis*, aliquot ab initio capitibus; idem & verbis magis perſpicuis Galenus *lib.* 1. *de ſymptom. cauſ. cap.* 7. explicavit verbis ſequentibus: *quum cutetenus unumquodque animal in ambientem aerem digeritur, accidit ut membra, quæ ſub ea ſunt, prima vacuentur, quorum ingenita vis (ut in opere de naturalibus facultatibus a nobis eſt monſtratum) ex proximis ſibi alimentum trahit, id ſcilicet, quod vacuatur, reficiens: deinde rurſus illa, ex iis quæ ſibi ſunt proxima: ſicut quæ tertio loco ſunt poſita, ab iis, quæ ſibi: atque ita ſemper per continuum, velut in choro quopiam translatione celerrime facta; ad venas quæ ad ventriculum pertinent, vacuatio pervenit. Hæ vero & ſolent pariter, & natæ ſunt ex ventriculo nutrimentum trahere, perinde*

ut ſtirpium radices, quæ in terram ſunt demiſſæ, ab ea... Vocatur implendi deſiderium, appetentia. Fit autem ex penuriæ ſenſu, cum ſcilicet venæ ex ipſo ventriculo, veluti emulgentes ſugenteſque aliquid trahunt. Non ferens autem eum ſuctum ventriculus, ſed veluti divulſus, offenſæ ejus medelam, cibum comparat. Quippe venæ hoc pacto ad objectos cibos convertuntur, atque ex iis nutrimentum trahunt, nequaquam ex ventriculo. Fitque poſt cibi ſumptionem, ut & venæ ſimul ad cibos ſe convertant, & ventriculus ex iis, quantum prius per venas eſt exhauſtum, in ſe ipſum trahat. Ac ſuctus quidem ipſius ſenſus fames eſt. Conf. *l.* 4. *de uſ. part.* 7. it. *l.* 3. *de ſimpl. med. facul.* 25.

§. XXXII.

Poteſt veritas hujus ſententiæ, contra eos, qui eam explodere allaborant, etiam experimentis probari eorum, qui medicinam infuſoriam, aut transfuſionem ſanguinis exercuerunt; qui de canibus ante inſtitutam transfuſionis operationem per aliquot dies famæ excruciatis atque famelicis factis, referunt, immiſſo horum venis, ex canibus aliis, antea cibo expletis atque obſaturatis, arterioſo ſanguine, eos peracta operatione, ita ſaturos factos fuiſſe, ut quoſcunque, etiam optimos oblatos cibos, capere noluerint, aliis contra, ante operationem ſaturis, poſt extractum, per transfuſionem, arterioſum ſanguinem, ſtatim maxime famelicis redditis, projecta alimenta quævis avide devorantibus, non levi indicio famem non a ventriculi acido erodente aut vellicante ſed ab exinanitarum partium ſuctione ſeu tractione excitari; quodſi enim non a tractione & ſuctu partium, ſed a recenſitarum cauſarum aliqua fames oriretur, foret neceſſe in tam exiguo temporis ſpatio, in canibus aliis, cauſarum earum aliquam generari, in aliis contra tam cito evaneſcere potuiſſe, quod tamen aſſerere, videtur eſſe abſurdum, cum per transfuſionem illam, nullius ventriculo vel infuſum vel extractum, fuiſſe tantum, ſit concedendum.

§. XXXIII.

Inſigni ventriculi ſtructura hactenus conſiderata, functionibus item ejus perſpectis, ſi ea cum ſtatu Domini ægroti, ſigniſque in eo obſervatis §. 5. & 6. recenſitis, conferantur, conſtabit liquido, malum hoc parti alii nullæ, niſi ventriculo adſcribendum fuiſſe: hujus nempe functiones hic læſæ, partem quoque hanc laborare arguunt. Et ut ordine ſigna allegata leviter tantum perſtingamus, *color ſubpallidus & cadaveroſus faciei manuumque non* aliunde, niſi ex ventriculo ſuam traxit originem; tribus enim modis, uti totius corporis, ſic & cujuslibet partis color naturalis, in hunc vel illum præternaturalem ut & ſubpallidum

dum mutatur: ſcilicet, vel re aliqua intrinſecus ad cutem accedente, vel paſſione caloris innati aut influentis, vel acceſſu denique qualitatis alicujus excedentis obruentiſque innatum aut influentem calorem, ſicut fuſius monſtravit *Lud. Mercat. Vol.* I. *lib.* 3. *part.* I. *claſſ.* I. *art.* 9. *quæſt.* 181. *n.* 5. *p. m.* 182. verbis ſequentibus: *efficitur pravus color re aliqua ad cutem intrinſecus accedente, ut in icteri ſpeciebus, leucophlegmatia, eryſipelate, aut quævis alia ſit cutis deſœdatio. Quo tempore ex colore venamur cauſam: nam talis in corpore elucet color, qualis redundaverit in ipſo humor... At rurſus color non humoris redundantis aut vitioſi naturam refert ſolum, ſed etiam paſſionem caloris innati, aut influentis, quorum miniſterio & ope floridus & naturalis elucet in noſtris corporibus color... Sic deficiente calore influente vel in toto vel in partibus, vividum colorem in ſubalbidum mutant, ut in animi defectionibus plerumque conſpicimus retroceſſu, ſuffocatione, diſſipationeve caloris & ſpirituum ad interna... Inſuper color mutatur acceſſu alicujus qualitatis excedentis obruentiſque innatum aut influentem calorem... qualis frigiditas impenſa, quæ ſubalbidum reddit ipſum extinctione innati caloris.* Conf. Galen. *lib.* 3. *de cauſ. ſymptomat. cap. ultimo.*

§. XXXIV.

Hos tres modos omnes, in domino hoc ægro obtinuiſſe, cuivis poteſt eſſe perſpicuum proſtrato enim appetitu, parum vel nihil alimentorum aſſumtum, & quod adhuc aſſumptum, ob fermentum, ventriculi in acidum nimium vitiatum, vel non concoctum, vel etiam corruptum (quod dejectiones nigræ aqueæ, ſatis ſuperque fuerunt teſtatæ) per pylorum detruſum fuit, unde chyli maſſa, particulis tenuioribus ſeu alimentaribus deſtituta, craſſioribus contra, fæculentis, crudiſque pituitoſis abundans, per venas lacteas ad commune chyli receptaculum, atque hinc ultra rapta, neque poſtea in corde, tum ob hujus motum citatum, tum viſcoſæ materiæ tenacitatem, a fœculentia & pituitoſitate, probe liberata, (vitium enim quod committitur in prima coctione, non corrigitur in ſecunda neque tertia) maſſæ ſanguineæ ita admiſta, copia pituitæ, calorem innatum aut etiam influentem, non obruere, atque ad cutem accedens, ei peregrinum ſive ſubpallidum hunc colorem non imprimere, non potuit. Sanguinem enim pituitoſum, tam faciei, quam toti cuti colorem album inducere, extra omnem apud omnes eſt controverſiam, & pro tam certo habetur, ut & propterea inter leucophlegmatiæ ſeu cacochymiæ pituitoſæ ſigna color corporis albus ab autoribus promiſcue referatur, quare ulterius aliquid de eo hic adducere, lubens ſuperſedeo.

§. XXXV.

Neque ex cauſa alia, quam ſanguine hoc pituitoſo *manibus pedibuſque, præprimis vero facie adeo tumidus, ut etiam oculi exinde profundi apparuerint, inventus fuit dominus* æger; notum quippe eſt, quotidie multa de corpore noſtro tum per ſudorem, tum & inſenſibilem tranſpirationem diffluere, in quorum locum, ut tantum & tale, quantum & quale deperit, reſtituatur, nec corpus (quod alias fieret) brevi concidat, providat ut in omnibus mater natura, ad partes ſingulas trahit alimentum tale, quod portionem illam expleat, quæ abſumta fuerit, docente hoc nos Galeno *lib.* 1. *de ſympt. cauſ. cap.* 7. quando ſequentia ſcribit: *quia accidit ut membra quæ ſub cute ſunt prima vacuentur eorum ingenita vis ex proximis ſibi alimentum trahit, id ſcilicet quod vacuatum reficiens: deinde rurſus illa, ex iis, quæ ſibi ſunt proxima ſicut quæ tertio loco ſunt poſita, ab iis, quæ ſibi.* Aliunde tamen, niſi ex arteriis ſanguinem, qui verum & ultimum alimentum in ſe continet, partes ſuum haurire non poterunt, unde qualitatibus iis, quas ſanguis hic ſecum vehit, partes etiam, quas hic illabitur, imbui, extra omne eſt dubium. Cum autem conſtet, appetitum in domino ægro plane fuiſſe proſtratum, neque alimenta in quantitate tanta, quantam abſumtorum poſtulavit neceſſitas, aſſumta fuiſſe, imo in coquendo etiam paucorum aſſumptorum licet, ventriculum nullatenus ſuum peregiſſe officium (cujus rei ſubſequentes nigrorum vomitus & dejectiones, ſufficientes fuerunt indices,) non niſi pituitam inde generari potuiſſe, eſt veri ſimillimum.

§. XXXVI.

Evaneſcente enim, ad partes ſingulas nuper ex ſanguine attracto alimentari ſucco, novum denuo, novi alimenti indigæ partes popoſcerunt; quem ex proximo fonte (vid. Hipp. 4. *de morb.* 11. *&* 12.) ſeu proxima adjacente parte, ad ſe rapuerunt, deinde rurſus illæ ex iis, quæ ſibi fuerunt proximæ, donec continuato hoc ſuctu; maſſa ſanguinea, flore ſeu chymo ſuo paulatim orba, aceſcens, tota pituita acida oppleta fuerit. Nimis acidam fuiſſe ſanguinis maſſam, quantitas ejuſdem, dum poſt obitum aperiretur, ac vaſa ſanguifera majora diſſecarentur, mire exigua inventa, acetum acerrimum olens, ac toti conclavi odorem gravem inſpirans, abunde prodidit: acida hæc pituitoſa maſſa, ulterius promovente id circulatione ad cor delata, præ pituitæ copia & craſſitie, ipſius calorem innatum infringit & debilitat, unde cor ſub opere ſuo fatiſcens, nihil ad immutationem ejus conferre valet, quare omni alimentari ſucco deſtituta, mera fere pituita facta, in cutem & carnes ſubjacentes provecta, lentore & frigiditate ſua, conna-

tum

tum harum partium calidum, ſenſim ſenſimque extinguit, ut tam ob hujus inopiam, tum lentoris & cruditatis ſui copiam, licet partibus (ut loquitur Galenus) apponatur & agglutinetur, aſſimilari tamen iis non poſſit, ſed ventriculis carnium impacta, eos diſtendendo, tumeſcere facit, unde faciei totique habitui corporis tumor (græcis œdema, anaſarca, & leucophlegmatia dictus) contingit. Conf. Galen. *lib.* 1. *de naturalib. facultat. cap.* 2.

§. XXXVII.

Simili modo appetitum quoque proſtratum fuiſſe cognoſcimus, ſi ad naturalis pituitæ generationem reſpexerimus, cum enim cauſa appetitus cibi ſeu famis proxima & immediata ſit ſenſus ſuctionis iſtius, qua partes vero alimento deſtitutæ, inter ſe aliæ ex aliis ſibi proximis alimentum trahunt, donec tractu hoc continuato, ipſa vaſa lactea inanita, chylum ipſum attrahant, & e ventriculo quaſi exſugant, qui ſenſus ventriculo communicatus, in orificio ejus ſiniſtro ſeu ſuperiori, ob copiam nervorum, a ſexta conjugatione ad ipſum derivatorum, exquiſitius viget. Hinc Galeni judicio, quoniam *appetentiam vacuatio præcedit. Exiſtunt in totum quinque ſymptomata, ordine quodam ſeſe deinceps ſequentia: quorum primum vacuatio eſt, ſecundum, vacuatorum appetentia naturalis, tertium ventris ſuctus, quartum ejus ſenſus, quintum appetentia ejus animalis, quæ omnium eſt ultima. Itaque etiam hujus actionis amiſſio, aut eo accidit, quod ſenſus ſuctus ſit amiſſus, aut eo, quod ſuctus non fiat, aut eo, quod corpus non vacuetur. Ad eundem modum exiguæ & languidæ appetentiæ erunt, non perditis iis, quæ diximus, ſed prope ut pereant, perductis.* De quibus vid. *lib. de ſymptomat. cauſ. cap.* 7. tres itaque ſunt cauſæ, quamobrem appetitus amittatur, videlicet ſi aut nulla, vel exigua ſuctio fiat, aut ſenſus ille ſuctionis venarum non percipiatur, aut denique corporis moles non evacuetur: tertia ſeu ultimo loco propoſita cauſa, non incommode ad primam reduci poterit, quamvis Galenus eas inter ſe diſtinxerit: Si enim corpus non evacuatur, etiam e ventriculo ſuctio nulla fieri poterit; remanent itaque duæ reliquæ; ſuctio ut fieri debebat aut non facta, aut ſenſus ille ſuctionis venarum non perceptus.

§. XXXVIII.

Utut vero duæ hæc ſymptomata, variis in corpore produci poſſint modis, quos hic diducere nimis longum foret, omnes tamen in eo concurrunt, ut ex calore naturali hebetato & torpeſcente ea contingere demonſtrent: quam valens autem pituita ſeu pituitoſus ſanguis ad debilitandum & opprimendum calorem naturalem ſit, inter alia ſuo exem-

tan-

plo nos docere poterunt ſenes, de quorum temperamento conſtat; quod frigidum ſit & humidum, propter humorem pituitoſum multum & craſſum, caloremque debilem, qui craſſum illum humorem non valeat concoquere. Conf. Hipp. I. *lib. de diæt.* 28. 20. Unde hac de cauſa ſenes, quibus calor eſt languidior, & excrementorum pituitoſorum major copia, facilius inediam ferunt quam alii, qui ex natura vel vivendi genere ſunt temperamento humidiore & frigidiore, minuſque cibi appetunt; ex quo fundamento quoque medicorum non infimi quidam concluſerunt, non eſſe impoſſibile homines hac de cauſa per longius tempus inediam ferre potuiſſe, qualium hominum exempla paſſim apud autores inveniuntur, videri de his poterit Langius *lib.* 2. *epiſt.* 27. quomodo autem a pituita calidum innatum ſeu naturale obruatur, vidimus paulo ante, videlicet §. 34. quapropter pluribus hanc tractare materiam, hic intermittimus, ne cramben bis coctam apponamus, cum & ex adductis luculenter intelligatur, pituitam etiam hoc in caſu, appetitus proſtrati cauſam extitiſſe.

§. XXXIX.

Sequitur ut de ſomno, ad quem dominum ægrum *propenſum fuiſſe atque dormiviſſe plus ſatis* verba caſus referunt, etiam pauca videamus; num & hic ex eadem, qua reliqua generata ſunt ſymptomata, induci potuerit cauſa. Plurimas eaſque inter ſe differentes maxime ſomni cauſas, longo ordine recenſent autores, quæ ſenſus externos ita vinciunt, ut ſub functionibus ſuis defetiſcantur, ſicque ſomnus inducatur nimirum longæ vigiliæ, labor & defatigatio, curæ, nimium frigus, ac æſtus, balnea, nimia evacuatio, lenis frictio, motus in cunis & circularis, ſuavis cantus, murmur, & ſtrepitus aquarum, tenebræ, ſilentium, cogitationum ſuſpenſio, lectio parum attenta, ſolitudo, cibus & potus, ut eas recenſet Thom. Roderic. a Veiga *comment. in lib.* 3. *Galen. de loc. affect. ſect.* 2. *p.* 282. quæ tamen omnes, ſi curatius penſitentur, eo tendunt, ut obtineant cauſas alias ſomnum inducere vel ſpiritus animales obtundendo, & minus mobiles, & quaſi ignavos & torpidos eos reddendo ſeu viam iis occludendo: vel eos quaſi placide ſiſtendo, & a motu ad quietem invitando, ac ne diffluant prohibendo: nec quicquam prohibet, quo minus omnes & ſingulas has ſomni cauſas & efficiendi modos, ad unam communem ſomnum efficiendi rationem reducere poſſimus, eam nempe, qua ſpiritus animales in cerebro quieti detinentur, atque ut ad organa ſenſus & motus non influant, impediuntur; ac proinde a ſpirituum animalium a cerebro influentium quiete, feriatione, denegatione, detentione, aut quomodocunque appellare libeat, ſomnum fieri ſtatuamus: quare & Galenum lib. 1. de ſympt. cauſ. c. 8.

8. recte pronunciaſſe cenſemus, *quod in ſomno aut omnino ferientur ſenſus, aut exiliter & obſcure agant.*

§. XL.

Quando autem in ſomno ſenſus feriari dicuntur, non intelligendum illud eſt, ac ſi ſomnus in *ceſſatione ſenſuum ſingulorum, aut in eo quod ſentiendi functione non utamur, conſiſtat*, (tale quid enim etiam in lipothymia aliiſque morbis accidit) ſed tum ſomnum fieri ſtatuendum eſt, *cum animal ſenſuum munere fungi non poteſt, idque ea ſentiendi parte, in qua ineſt ſentiendi principatus* (hoc eſt ſenſu communi) *affecta. Cum enim ea pars ſic affecta eſt, ut ſentire non poſſit, neceſſe eſt etiam cæteras ſenſuum ſedes omnes officium ac munus ſentiendi exequi non poſſe. Cum autem illorum aliqua non poteſt, non neceſſe eſt hanc non poſſe exequi*, quod fuſius deduxit Ariſtoteles *lib. de ſomno & vigil. c.* 2. Afficitur itaque in ſomno præprimis ſenſus communis, hoc autem quieſcente, etiam reliqui exteriores ceſſant, ut propterea non male de ſomno dicat Lud. Mercatus *tom.* 1. *lib.* 2. *claſſ.* 2. *art.* 3. *p. m.* 48. quod ſit *quies naturalis pene perfecta omnium ſenſuum exteriorum, aut naturalis impotentia animalis facultatis ad actiones ob vaporem ſuavem alimenti, cerebrum irrigantem, ut interim animi vires reparentur.* Modum autem, quo ſomnus gignitur, optime explicat Ariſtoteles *libro modo cit. c.* 3. inquiens: *non eſt ſomnus in omni imbecillitate ejus partis in qua ſedem ſentiendi ſtatuimus, ſed ex halitu eo qui ex cibo exiſtit, hæc ipſa affectio gignitur. Magna enim humoris reique corporeæ copia conferta & coacervata in ſuperas partes fertur, ubi cum hæret, premit ſuo pondere facitque ut nos ſomni cupiditate ducamur; cum vero deorſum propendet, relataque calorem commovet, tum ſomnus naſcitur, animaliaque dormiunt. Idque intelligi licet ex iis, quæ ad conciliandum ſomnum valent. Omnia enim capiti gravedinem gignunt & potulenta & eſculenta.... Et talis eſt ſomnus, maxime qui cibum & paſtum ſequitur, propterea quod in paſtu magna eſt halituum reſpirationumque copia.*

§. XLI.

Cum itaque ex allatis conſtet, ſomnum naturaliter contingere ex vaporibus meatus cerebri obturantibus, & pondere ſuo prementibus, eumque propterea eſſe *vinculum quoddam & impedimentum ejus partis, in qua fons eſt ſenſuum, quo minus munere ſuo fungi poſſit* ut loquitur Ariſtoteles *c. l.* nemo ibit inficias, pituitam, utpote quæ præ humoribus ſanguinis omnibus, craſſiſſima eſt & graviſſima, atque propterea ad generandum ſomnum efficaciſſima, etiam dominum noſtrum ægrotum in ſtatu maxime hoc præternaturali, ubi & aucta & inſpiſſata fuit, in

ſomnum propenſum reddidiſſe, ſicut enim, (ut ſcribit Isbrand. de Diemerbroeck *lib.* 3. *anatom. corp. human. cap.* 10. *pag.* 641. *ſi aliqua de cauſa, ut obſtructione, compreſſione &c. anguſtentur arteriæ, per quas ſanguis in cerebrum propellitur & fluit, ſicque liber ſanguinis per arterias impulſi acceſſus ad cerebrum imminuatur aut præcludatur, tunc parum materiæ ad ſpirituum generationem ſuppeditatur, atque etiam cerebri motus admodum exiguus fit, & hinc non ſolum paucorum ſpirituum generatio, ſed eorundem etiam debilis ſeu exigua in nervos propulſio. Cum autem pauci ſpiritus, iique debiliter impulſi, non ſufficiant ad actiones organorum ſenſoriorum, quorum etiam actiones per continuum & ſufficientem ſpirituum motum peraguntur, in eorumque quiete deficiunt, neceſſario ſequitur altus ſopor, ſeu animalium actionum quies; qui ſopor pro dictarum arteriarum majore minoreve anguſtia, gravior aut levior exiſtit.* Ita *arteriæ per quas ſanguis verſus interiora cerebri fluit, nempe rete mirabilis, ac plexus choroidis, imo & ipſæ arteriæ carotides, a craſſioris pituitæ in cerebro collectæ verſus illas decubitu, compreſſæ & occluſæ, motum ſanguinis verſus cerebrum, & hinc ſimul etiam ſpirituum animalium generationem, eorumque motum ac propulſionem in & per nervos* impediverunt, unde iſta in ſomnum propenſio, apud dominum ægrotum fuit introducta.

§. XLII.

Reſtat adhuc ut videamus, num & ultimo allegatum ſymptoma, dolores nempe, quando *acutis doloribus ab aure ſiniſtra in ſiniſtrum hypochondrium ad inſtar ſagittæ delabentibus infeſtatus fuiſſe dominus æger* dicitur, ex pituita generari potuerit, quod pluribus videtur involutum eſſe difficultatibus, cum doloris natura & obſcura & explicatu difficilis ſit, atque in plures opiniones philoſophi & medici hic diviſi ſint; aliis cauſas duas intemperiem & continui ſolutionem, aliis unam ſaltem, continuitatis nimirum ſolutionem, aliis intemperiem ſolam, aliis ſubitam & violentam qualitatum tactivarum mutationem agnoſcentibus, de quibus videri poterunt Ariſtoteles *lib.* 10. *ethic. c.* 3. *lib.* 2. *de anim.* 12. Hippocrates *lib. de loc. in homin.* 51. *Galenus artis medicinal. c.* 8. *lib.* 1. *de ſympt. cauſ. c.* 6. *lib.* 2. *de loc. affect. c.* 2. 3. 4. 5. 6. *lib.* 4. *de ſimpl. med. facult.. c.* 2. *lib.* 12. *meth. med. c.* 1. *comm.* 2. *in Hipp. de vict. rat. in morb. acut. n.* 1. *comm.* 3. *in Hipp. de fractur. n.* 34. Conf. quoque Jo. Gorræus *definition. medicar. ſub voce ὀδύνη, p. m.* 323. Quoniam tamen omnes fateri coguntur, ubicunque dolor adeſt, ibi adeſſe unitatis ſolutionem, & contra, ubi unitas ſolvitur, ibi dolorem excitari, non video cur non unitatis (tam continui quam contigui,) ſolutio, pro doloris cauſa proxima admittenda, atque in cauſis dolorem excitantibus, ipſi agendi ratio adſcribenda ſit.

§. XLIII.

§. XLIII.

Quamvis autem dolor morbi unitatis ſolutæ ſymptoma ſit, eumque tanquam umbra corpus ſequatur: multi tamen tum a parte affecta, tum ab afficiente materia, afficiendi modi ſunt, unde varia dolorum nomina apud autores paſſim inveniuntur, quorum præter indicibilia integram ſexagenam, ſecundum alphabeti ſeriem congeſſit Joh. Antonid. van der Lind. *Meletem. medic. Hippocr. p.* 272. *ſqq.* Ex his dolorum ſpeciebus variis, ad acutos maxime generandos etiam pituitam, præcipue corruptam frigidam facere, autorum fert ſententia. Docuit hoc etiam nos proprio exemplo Galenus *lib.* 2. *de loc. affect. c.* 5. memorans ſibi ipſi accidiſſe, (atque in aliis ſe vidiſſe) talem dolorem acutum & vehementiſſimum, ut ſibi videretur in intimo ventre terebra perforari, injecto deinde rutaceo oleo, quum id paulo poſt excernere tentaret, excreviſſe ſimul cum graviſſimo dolore humorem vitreum a Praxagora appellatum, qui vitro fuſo tum colore, tum ſubſtantia, haud abſimilis fuerit. Quod vero hic tumor frigidiſſimus fuerit, dictum jam eſſe a Praxagora, qui vitrei nomen ei impoſuerit. Id etiam haud obſcure percipi ſenſu tactus tum ipſorum, qui illum excernunt, tum aliorum, ſi quis confeſtim ipſum tangere voluerit. Talis pituitæ fruſtum inſtar pugni ab alvo ejectum, item ab umbilico excretos aliquot centenos ex eadem pituita factos globulos magnitudine luſoriorum & minores; meminit ſe vidiſſe Jo. Antonid. van der Linden *ſelect. med.* 7. 9. *p. m.* 184. ut ſic ex his allatis, præternaturalem talem pituitam in corpore generari poſſe, colligere liceat.

§. XLIV.

Quomodo denique pituita, (quamvis vitrea & actu frigida, ut hæc Praxagoræ ſic dicta ſpecies non ſit) ad dolores generandos ſufficiat, paucis in ſequentibus adhuc videamus: hoc ut manifeſtetur, ante omnia ſciendum eſt, dolorem omnem in ſenſu conſiſtere, atque propterea omnibus partibus ſentiendi facultate præditis, contingere poſſe; prout itaque ſenſus nullus, niſi ſpiritibus animalibus ex cerebro, ſpirituum officina, ad partes idque per nervos, ſola & vera ſpiritibus animalibus vehendis dicata organa depulſis, fieri poteſt, ita & partes aliæ, quo plures recipiunt nervos, & per conſequens ſpiritus animales, eo acutius ſentient, quo pauciores vero & minores, eo obtuſius. Tales autem præ reliquis membranoſæ omnes ſunt partes, propter copioſiſſimos quos recipiunt nervos; per quos copioſiſſimi ſpiritus animales ad eas feruntur; *non enim ſoli nervi, ſed ſpiritus per nervos delati dant membranis ſuum ſentire, ut patet in paralyſi, in qua licet nervi adſint, prop-*

ter ſpirituum tamen defectum abeſt ſenſus vid. Diemerbrœck *anatom. corp. hum. lib.* 8. *cap.* 1. *pag. m.* 853. Et ob hanc ipſam cauſam ventriculus etiam acutiſſimo ſenſu præditus eſſe dicitur: præterquam enim, quod triplici conſtet tunica, ut proinde tota ſua ſubſtantia tunicaceus dicatur eſſe & membranaceus, plurimas etiam tum interne tum externe a ſexti paris propaginibus recipit nervos, per quos copioſi ſpiritus animales in eum defluant, acutum ei ſenſum conferentes. De quo §. 8. & 10. videantur.

§. XLV.

Exquiſito & acuto igitur ſenſu præditus ventriculus non ſecus ac aliæ partes a violento frigidi calidique contactu afficietur, doloreſque magnos ex magnis in contrarium mutationibus patietur; quod egregie docet Hippocrates *lib. de loc. in homin.* 51. 1. inquiens: *dolor & propter caliditatem, & propter valde exuperans & propter imminutum. Et in perfrigeratis quidem natura extra corpus ad cutem, propter calefaciens valde dolor fit. In calidis vero naturâ, propter frigidum: & in ſiccis natura ſi humectentur: & in humidis naturæ, ſi reſiccentur. In ſingulis enim quorum natura permutatur, ac corrumpitur, dolores fiunt.* Fit itaque dolor & propter frigiditatem & propter caliditatem, pro qualitate dolorificæ materiæ, qua dolor *alius ab humore eſt, alius a flatu. Dolorem faciens humor omnis eſt calidus, ſanguis quippe aut bilis. Quorum reſpectu flatus frigidus dicitur. Simpliciter enim nihil eſt in vivente frigidum, excepta ſpecie quadam pituitæ vitreæ*, cujus paulo ſupra facta fuit mentio. Conf. Jo. Antonides van der Linden *meletem. med. Hipp.* 7. 9. *p. m.* 183. Hinc pro qualitate materiæ dolorem excitantis, non infrequens veteribus fuit, pro materia morbifica, aut affectionibus ipſis, ex quibus dolores moventur, ipſos dolores ſumi, uti iſto Hippocratis *6. epid.* 1. 7. *In Cranone antiqui dolores frigidi, recentes autem calidi*, inter alia liquet: Ubi *haud quaquam dolores calidos frigidoſve, ſed diſpoſitiones ex quibus fiunt dolores*, ut & dolores de quibus verba 2. *aph.* 6. *Qui aliqua corporis parte dolentes fere dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat loquuntur, ipſas diſpoſitiones: quæcunque cum dolore fieri ſunt naturæ aptæ, quemadmodum eryſipelas, inflammationem & vulnus, & colliſionem atque rupturam & convulſionem, & quodcunque tale aliquid, quod ſi adſit, & ab ægroto non ſentiatur, mentem indicat ægrotare*, ita nominaſſe Hippocratem notat Galenus *comment.* in modo dictum aphoriſmum.

§. XLVI.

Utut autem tam a frigida quam calida materia dolores fiant, præ calidis tamen frigida, uti partibus dictis ſpermaticis omnibus, ſic etiam mem-

membranis, totique nervoſo generi pernicioſa eſſe, vel ex iſto 5. *aph.* 18. *frigidum inimicum oſſibus*, *dentibus*, *nervis*, *cerebro*, *dorſali medullæ*, *&c.* conſtat. Conf. *& aph. ſequ.* Item *de humid. uſu* 4. 4. Confirmato itaque per experientiam hoc aſſerto, colligere hinc haud difficulter licet, pituitam hanc corruptam & acidam, ad generandos hos, in domino noſtro ægroto, acutos dolores, ſat potentem fuiſſe, cum ea etiam in ſtatu ſuo naturali, omnium in corpore humorum, uti eſt notiſſimum, humor ſit frigidiſſimus. Et propterea flatus quoque, quod pituitoſæ cruditatis ſint ſoboles, atque idcirco ejuſdem naturæ ac indolis, reſpectu reliquorum humorum frigidi dicuntur: quomodo autem pituitoſa, generandis flatibus materiam præbeant, quomodo item pituita in flatum convertatur, apud Hipp. *lib. de loc. in homin.* 56. *&* 57. videatur. Conſona his habet Galenus *lib.* 14. *meth. med. c.* 7. quando ſcribit: *Inflationes ex flatuoſo ſpiritu collecto naſcuntur.* Et *lib.* 3. *de ſympt. cauſ. c.* 7. magis perſpicua hæc ſequentia reliquit: *de halituoſis ſpiritibus quos etiam* φύσεις, *i e. flatus vocant*, *dicendum. Eſt autem & horum generatio*, *in ipſis*, *quæ in ventre ſunt locis*, *ſuccis quibuſdam pituitoſis*, *vel cibis inibi a deficiente calore*, *in halitum ſolutis*... *Ac calor*, *qui in cibos agit quidem*, *cæterum diminute*, *is eos quodam quidem modo diſſolvit*, *non tamen prorſus conficit. Atque hinc oritur flatuoſus ſpiritus.* Etenim *humida reſiccata* (ut loquitur Hipp. l. modo cit.) *flatum faciunt*: quando nempe calor juſto debilior in ea agit, ita ut ſuperare ea nequeat: de quo pluribus Galenus loco citato.

§. XLVII.

Atque hinc convenienter ad ſtatum domini ægri dicimus etiam *dolores* hos *acutos ab aure ſiniſtra in ſiniſtrum hypochondrium ad inſtar ſagittæ delabentes*, pari modo a pituitoſis cruditatibus fuiſſe generatos. Decumbens ſcilicet ad arterias carotides per ipſas cum acido ſanguine illuc delata *pituita* tum ſua ſubſtantia, tum *comprimendo & occludendo eas*, *motum ſanguinis verſus cerebrum & hinc ſimul etiam ſpirituum animalium generationem*, *eorumque motum ac propulſionem eo per nervos impedivit*, (ut §. 41. vidimus) propter ſuam etiam tenacitatem & viſciditatem a calore debilitato & diminuto, ſubigi debite & attenuari non potuit, converſa itaque in flatus, qui per ſextam nervorum conjugationem in ventriculi tunicas, ſeu partem affectam illapſi, dolores hos produxerunt. Quod vero ab aure dolores hi delabi, percepti fuerint, paris nervorum ſexti ſeu vagi cum pari quinto ſeu auditorio, & paris hujus ramo minore deorſum ad laryngis muſculos ac fauces delapſo, connexio & conſenſus effecerunt; paulo enim infra quintum, ſextum hoc par, medii infimique ventris partibus proſpiciens exoritur. Horum parium conſenſus etiam facit, ut, ſi ſtylus vel auriſcalpium auditorio meatui

 pe-

penitius, vel ad tympani membranam uſque immittatur, tuſſicula ſicca excitetur, ſonus item in ore excitatus, non nihil autem ſubit; quam ob cauſam hebetioris auditus homines, ore aperto ex exſpiratione cohibita melius audiunt. Quod a ſiniſtra tandem aure verſus hypochondrium ſiniſtrum dolores fuerint delapſi, hoc affectæ parti in ſiniſtro hypochondrio ſitæ, fundo nempe ventriculi (ut §. ſequente videbimus) imputamus: niſi quis etiam partibus ſiniſtris, utpote natura femininis, hoc eſt tenerioribus imbecillioribus, atque propterea paſſionibus magis obnoxiis aliquid adſcribere velit. Conf. Joh. Antonid. van der Linden *meletem. medic. Hipp.* pag. 68.

§. XLVIII.

Conſideratis jam ſignis, atque per hæc parte quæ laborat cognita, videndum etiam, quo ea modo laborat. Modum hunc ſeu ipſum affectum, itidem nobis ſignum adhuc explicandum reſtans; *tumor* ſcilicet *durus pugni magnitudine latum digitum circiter ab umbilico, hypochondrium ſiniſtrum verſus deprehenſus* prodit, ventriculum vero & nullum viſcus aliud ex tumore hoc laborare, & affectionis locus, & partis functiones læſæ, manifeſtant. Locum hunc ventriculum atque qua ſuum fundum maxime occupare, §. 8. Functiones vero ventriculi, præcipue hic læſas eſſe §. 33. & ſequentibus vidimus, quæ, quoniam in fundo perficiuntur maxime, in hoc tumorem etiam hunc conſtitutum eſſe, colligimus. Quoniam autem vocis tumoris ſignificationis, tam magna eſt latitudo, ut etiam *interdum omne quod eſt ſupra id quod eſt ſecundum naturam incrementum* ut *lib. de tumorib. p. 11.* notat Galenus ſignificet: nos cum eo ex *lib.* 13. *meth. med. cap.* 4. recte, quod *omnium tumorum, qui præter naturam ſunt varietas ex ejus quod influit natura naſcatur*, putamus; quoniam porro id quod influit, aut maſſæ ſanguineæ totum quid (non molis ſed compoſiti intellige) aut totius eſt pars, ſive quid quod ſecundum naturam ſanguine continetur, bilis puta ſeu melancholiæ, atque ſic influere niſi a toto diſſolutum & ſegregatum ſit, non poteſt, ita etiam hic ut in omnibus prudens mater natura, ubi in ſanguine quid alienatum aut heterogeneum, ſuaque præſentia nociturum, novit, illud turbans, glutine ſuo, hoc eſt ſpiritu, qui omnium eſt vita & vinculum, ſoluto, a toto diſſolvit, atque ſecedere facit, quæ diſſolutio Hippocrati ἔκστασις dici ſolet, ut habet Jo. Ant. van der Linden *meletem. p* 173. & ſequentib.

§. XLIX.

Et quoniam id quod diſſolutum eſt, communione, quam cum toto habebat, privatur, atque hinc eum in ſtatum abit, unde in gratiam re-

redire cum natura nequit, cum denuo conglutinari non poſſit ei, a quo diſſolutum eſt, ſed unione ſoluta, communionem cum toto amittat, atque moriatur; ſupereſt ut auferatur naturæ viribus, vel artis ope, quod fit, ſi quod naturam turbat, ſeceſſit vel abſceſſit: Hinc ἔκστασις duobus fit modis: καθ' ἀπόκρισιν vel καθ' ἀπόστασιν. Quarum illa etiam ἀπόκρισις ſeceſſio ſimpliciter: ſicut hæc ἀπόστασις abſceſſio utplurimum dicitur. Eſt autem ἀπόκρισις ecſtaſis conglutinati: ἀπόστασις vero ecſtaſis deglutinati, ſive ejus, *quod ſeceſſionem fecit, & facere ſeditionem cœpit. Quam ut præveniat natura valens, peccantem cogit humorem abſiſtere a maſſa ſanguinis, & abſcedere vel extra corpus vel aliam in partem...* Quodſi foras dicitur ἀπόστασις καθ' ἔκρευν ἢ ἐκροὴν per effluxionem: quodſi foras vel evomere natura materiem languida aut præpedita nequit, vel emoveri materia ſe per ſubſtantiæ modum non ſinit & tunc fit ἀπόστασις καθ' ἀπόθεσιν per depoſitionem, ut de hactenus recenſitis luculente ſcripſit Joh. Ant. van der Linden *meletem. med. Hipp. a, pag. m.* 170. *ad* 177. *&c.*

§. L.

Enim vero cum Apoſtaſin hanc per depoſitionem facientis humoris duplex hæc ſit conditio: ut vel maneat fluxus, aut ſtatarius fiat; hic porro depoſitus coiens, in duritiam coactus, aut durus maneat, aut denuo mobilis fiat concoctione vel corruptione: tumor de quo in præſenti ſermo eſt, eorum generi, qui cum inflammatione fiunt, & materia in pus coctili nituntur, erit adſcribendus. Conf. Galen. *lib. de tumorib. p. n. c.* 2. cum inflammatione factum apoſtema hoc fuiſſe, conjectura perſpexi inde, quod ſub invaſionem morbi, dominus æger (ut referebat ipſe) tam *immanes perpeſſus fuerit dolores, ut etiam hi, quos ex manus meæ compreſſione ſentiebat, cum iſtis comparati, vel non dolores dicendi, imo vel decuplo* (ut loquebatur) *minores eſſent.* Quare vero apoſtema hoc cum inflammatione & ex materia ſuppurabili factum, ex præſentia ſub invaſione doloris autumaverim, rationem ut dicam, doloris natura, ejuſque generandi modus; explicanda prius erunt, de his vero in antecedentibus §. 42. ad 47. ſcilicet, jam vidimus: ex quibus conſtat dolorem, nervorum ope percipi; a materia item tum calida tum frigida fieri, ſemperque cauſam agnoſcere rem acrem & continui ſolutricem, ac ita quidem, ut ubi dolor adeſt, adſit quoque unitatis ſolutio, & contra; ergo hic paucis tantum de generationis ejus modo.

§. LI.

Fit itaque dolor, ut modo dictum, continui ſolutione, quando nempe res aliqua acris deponitur ad locum, unde hujus unitas ſolvitur, atque

que dolor inducitur: hanc ut e-parte, cui inſidet, amoliatur, ſui ſemper ſtudioſa natura, ſpiritum iſtuc ac ſanguinem impulſat, quibus ceu vectibus impellat, & protrudat e ſede ſua, materiam morbificam, irruens igitur in partium anguſtias, exundans æſtu ſanguis, nec effluxum aut refluxum ibidem inveniens, ſtagnando partem diſtendit, unde, quo plus ſanguinis, ad laborantem partem cietur, eo tumorem & dolorem majores fieri, eſt neceſſum; uti operoſe hoc, ex Hippocrate ut puto docuit Galenus citato *c.* 2. *lib. de tumorib. præt. nat.* Sic enim ille *lib. de flatib.* 13. 11. *Sanguis ipſe natura calidus exiſtens vi coactus per anguſtam viam tranſire celerrime non poteſt, quum multa impedimento ſint obſtacula & oppilationes; vis cogens*, inquit ad hunc locum Jo. Ant. van der Linden, *ſelect. med.* 4. 24. *pag.* 63. *fervor eſt mentiri plethoram, & hanc ſupra modum urgere, motumque accelerare, & præ feſtinatione proficere minus. Ubi enim impetuoſus & turgens æſtu ſanguis pervenit ad viarum anguſtias, ad arteriarum extremos ſurculos, ſe ipſe prohibet facili tranſitu per carnes ad venas.* Quod ſimili egregio, a multitudine hominum uno impetu per portam tendentium, eleganter Galenus *lib.* 3. *de tuend. ſanit. c.* 2. declarat inquiens; *Vehementiſſimi materiæ impetus, diverſis temporibus ac rationibus, contrarios edere effectus poſſunt. Obſtruere quidem, cum craſſum ſimul & multum fuerit, cum confertim ac præceps agitur. Purgare cum exiguum tenueque eſt, nec præpropere nec violenter cogitur ſimul omne expelli. Apparet enim ita accidere in omnibus tum externis inſtrumentis, tum vero calathorum plexibus: Quippe eluitur extergeturque ex his omne ſupervacuum, non cum egredientibus adhuc paulatim prioribus alia violenter a tergo irruunt (verendum enim interim eſt, ne, quæ in tranſitu ſunt impacta innixaque invicem viam obſtruant) ſed cum prioribus vel jam exeuntibus, vel plane vacuatis alia poſtmodum vacuantur. Et quid de exiguis meatibus miremur, cum etiam e theatris multitudo, quæ confertim egredi conatur, in exitu hæret?*

§. LII.

Contra ſententiam hanc, quod ex impulſo in partem æſtuante ſanguine dolores fiant, medici reſiſtunt plurimi, non irruente, impulſo in partem, ſed ob calorem & dolorem partis ad ſe trahentis, illuc tracto ſanguine dolorem fieri aſſeverantes; Galeni *lib.* 3. *de ſimpl. med. facult. c.* 25. trahi a purgantibus humores noxios, ut a magnete ferrum, docentis, perſuaſione in opinionem hanc inducti: ſed tantum abeſt veram ſententiam, hinc everti, ut potius eodem plane modo, ut a me propoſitum eſt, ab ipſo Galeno *comm. ad aph.* 53. *lib.* 5. eam propoſitam, vel inviti legant. Et ſi a partibus trahitur ſanguis, hoc ſane fit a ſanis, (ſicut & purgantia humores conſimiles ſibi trahere, a tractione, quæ fit in ſanis probare allaborat Galenus; loco ante ultimum

ci-

citato. At ſane non amplius juſto trahunt: unde igitur influxus immodici? Nec a dolore aut inflammationem aut dolores fieri dicendum eſt, niſi & dolere partem, antequam doleat, dicere velimus; & cum dolet velle eam dolere magis. Neque dolendi cauſa calor eſſe poterit: nonne enim accedens calori calor, eum excitabit magis? aut putet ne quis flammam ſe extincturam infuſo oleo: quodſi etiam materia moleſta quæpiam, eamne non poteſt expellere niſi attracta, moleſtiam datura majorem & ſe in periculum gangrænæ? cui tandem bono erit excretrix facultas? tantum ne ut expellat excrementa naturalia, quare non etiam quæ vitium cepere, quæcunque? manet ergo firmum, dolorem ſemper agnoſcere cauſam aliam, rem nempe acrem, & continui ſolutricem. Confer. ad inſtit Sennerti *lib.* 2. *part.* 2. *c.* 11. *p. m.* 266.

§. LIII.

Ex ſanguine autem ſicut dictum, eſt, in partium anguſtias æſtu exundante, ibique ob denegatum exitum ſtagnante, eas magis magiſque tumere & dolere, ut & propterea inflammari, non eſt mirum: etenim, cum conſtet, naturam id quod parti inhæret vitii, niſi orgaſmo, id eſt excandeſcentia ſpiritus amoliri non poſſe; liquet etiam impetum iſtum tum ſanguinis, tum ſpiritus, ſine inflammatione, eo cieri non poſſe. Sic in ſummum digitum ſi incidit inflammatio, acciente ſanguinem in fixa ſpicula, quam brevi manus intumeſcit tota? oculus cum inflammatur, ardet adnata primum, tumentibus & in conſpectum ſe dantibus, alias inconſpicuis ipſius arteriolis: niſi occurras, quam ſubito etiam extra orbitam extumeſcit? Ita etenim eſt: natura noxam amoliri geſtiens, impulſat eo ſanguinem, ubi ſedes eſt mali; at ſanguinem mittendo, nec recipiendo, noxam adfert periculoſiorem, ut docet Galenus *comm. in* 5. *aph.* 53. his verbis: *Hæc eſt quædam ratio communis, in quibus natura aliquid violenter* excernit, ut eo ſanguis & ſpiritus tendat: *quibus duobus veluti inſtrumentis natura utens, ea quæ infeſtant, per vim expellit: atque hac ratione dolentibus partibus inflammationes adveniunt, natura excernere atque expellere cauſam doloris properante: ut vero hoc faciat, ſanguine ac ſpiritu locum implente.*

XLIV.

Nec alio quo, quam modo dicto modo tumorem hunc quoque in noſtro domino ægro cum inflammatione nempe & ex materia in pus coctili factum fuiſſe, idque ex dolore ſub invaſione præſenti, me collegiſſe §. 50. dixi. Etenim, ſi (ut §. 48. ex Galeno vidimus) *Omnium tumorum qui præter naturam ſunt varietas ex ejus, quod influit natura naſcitur, etiam hunc tumorem cum inflammatione, ex materia in pus co-*

ctili, natum fuiſſe, concludendum erit: duplex enim (ut §. 45. eſt propoſitum) tumorem cum dolore generans materia eſt: frigida ſcilicet & calida; nomine vel flatuum vel humorum ſignificari ſolita, utracunque vero in partem deponatur, diſtendendo eam, ejusque unitatem ſolvendo, dolores ei infert; hoc tamen cum diſcrimine, ut ex materia frigida id eſt flatibus, orti tumores, evaneſcentibus doloribus, ſimul evanuiſſe deprehendantur, ſecus ac fit in iis, quas in partem cum impetu impulſus produxit humor, in quibus, licet dolores deſierint, materia tamen tumorem faciens, nihilominus remanet, idque propterea, quod in iſtis flatus ipſa ſit materia, quæ unitatem ſolvendo, dolores producit, qui propter tenuitatem ſuam facilius reſolvi, ſicque diſſipari queat: in his vero, in quibus cum impetu influens humor dolorum cauſa eſt, facta jam unitatis ſolutione, dolores quidem intermittant, materia tamen tumorem faciens, remaneat, a calore naturali coquenda, & in pus evacuationi aptum, redigenda.

§. L V.

Neque enim neceſſum eſt tam diu dolores perſeverare, quamdiu dolorum cauſa, impulſa parti inhæret materia: quamvis enim materia hæc vera dolorum cauſa ſit, non tamen immediate, ſed ſolvendo partis unitatem eos generat, ita ut inter ſolutionem continui atque dolorem nihil intercedat: in dolore autem, nondum unitas ſoluta eſt, ſed dolent partes dum ſolvuntur; dum autem illa mutatio deſinit & quod ſolvebatur, jam ſolutum eſt, dolor quoque ceſſat, quod, ſcalpentium prurientes partes exemplo, probatur; qui ex ſcalptu etiam vehementiori, rebus durioribus licet aut unguibus ad cutis lancinationem, ut unitas ſolvatur, exinde non dolent, ſed potius voluptatem percipiunt, idque propterea, quod violenta iſta cutis ruptione, ad ſolutum eſſe, ſeu ſolutam unitatem deducant id, quod erat in unitatis ſolutione conf. Sennert. *inſtit. lib.* 2. *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 3. *pag.* 400. His probe penſitatis, tumorem hunc cum inflammatione & ex materia coctibili natum fuiſſe, deprehendi: ſi quidem materiam frigidam ſeu flatus ejus materiam ſtatuere, vetuit poſt dolores ablatos remanens cum ſenſu tumor, qui ſimul ex humore ſeu materia calida ſe natum eſſe prodebat, cumque materia hæc ſine ſpiritus excandeſcentia atque æſtu, in partem impelli non poſſit, eum cum inflammatione factum fuiſſe conſtabat; cum etiam impulſa ſic materia, niſi in pus coquatur, non evacuetur, coctibilem & in pus convertibilem tumoris hujus materiam fuiſſe, concludendum fuit.

§. L V I.

Hic tamen monendum erit, omnia de tumore hactenus dicta, de tumore ex materia, in locum aliquem, ſeu partem corporis impulſa, ibidemque unitatem partis ſolvendo, dolorem inducente, intelligenda eſſe, præter quales, etiam tumores ſine dolore dari, ſcimus; quando nempe materia non ad partium ſubſtantiam, ut unitas ſolvatur, ſed ad ventriculos earum deponitur: de quibus vid. Hipp. *de arte* 7. 4. quo etiam collimaſſe videtur Galenus *comment. in* 4. *aphor. Hipp.* 34. ſcribens: *Neque nos latet triplicem eſſe tumorum differentiam, vel enim ſunt cum dolore, quos juniores inflammationes nominant. vel abſque dolore & duri, quos Græci ſcirrhos vocant: vel ſine dolore & molles, quos iidem Græci œdemata, id eſt inflationes peculiariter appellant.* Huc etiam faciunt ea, quæ habet *lib. de tumorib. p. n. cap.* 2. *cum ſecundum naturam ſe habet, laxa cutis eſt, non obeſis quidem: & locus qui intereſt, vacuus eſt cui ipſa inſidet. Eodem modo loca, quæ in carne ſunt, de quibus in anatomicis digreſſionibus dictum eſt, inania omnia ſunt, maxime quæ circum arterias in circulo earum dilationibus diſpoſita ſunt. In inflammationibus autem omnia ſanguine replentur, ex vaſis quidem ipſis per tunicas reſudante, in omni vero carnis particula more roris permiſto.*

§. L V I I.

Ex hactenus expoſitis, jam non obſcure perſpicere licet, ventriculum hic, & nullum viſcus aliud, revera abſceſſu, eoque ex inflammatione orto, laboraſſe, atque cuncta eviſcerato corpore ita, prout prædicta fuerunt, in conſpectum veniſſe: ut propterea in noſtram diſcedere ſententiam habeat, ſi cui adhuc inſidet animo opinio, non in ventriculo ſed hepate abſceſſum fuiſſe inventum. Præterquam enim quod nulla hepatis affecti ſigna, (ſine quibus tamen in affectus cognitionem ut §. 2. vidimus, pervenire nullatenus datur) hic fuerint obſervata, quædam, ſignis affecti hepatis ſimpliciter contraria ſe manifeſtarunt. Signa abſceſſus in hepate ex Galeni *lib.* 5. *de loc. affect. c.* 7. deſumpta, uno quaſi ore authores referunt eadem, quæ ab iis ita inter ſe diſtinguuntur, ut alia convexæ hepatis parti, alia concavæ magis propria, quædam denique utrique communia eſſe dicantur, ut in ſequentibus ex *oper. pract.* Jacobi Hollerii *ſchol. ejuſdem ad cap.* 35. deſumptis videre eſt: *Communia & neceſſaria ſigna ſunt, in inflammatione jecoris, tumor, dolor, febris, & ex his ſpirandi difficultas ac tuſſicula inanis. Aliquando hepar ob pondus deorſum inclinans, tendit diaphragma, unde membrana ſuccingens coſtas, divellitur, ſicque dolor aſcendit ad claviculas. Febris ar-*

dens eſt, lingua arida, rubens initio, deinde nigra & aſpera, ſitis inexhauſta, nauſea, cibi faſtidium, ſingultus. Diſtinguuntur partes gibbæ a cavis hoc modo: in parte cava dolor gravis, ſingultus, nauſea magis torquent. Fluxus ventris adeſt, niſi robuſtius ſit viſcus, quod exuctis humiditatibus, dejectiones faciat σπυραθώδεας, & velut in globulos præ ſiccitate coactas, vomitio biliosa, major ſitis, linguæ ariditas & aſperitas. In gibba, dolor punctorius, ob ligamentum cum diaphragmate, urinæ magis rufæ, partes vicinæ, ut ſeptum, magis opprimuntur: unde difficilior reſpiratio, tuſſicula manifeſtior, dolor ad dorſum acutior, ob ligamenta, tumor tactu deprehenditur conf. etiam Dureti *enarrat. ad h. l.* item Galen. *art. medicinal. cap.* 78. item *comm.* 4. *in lib. Hipp. de vict. rat. in morb. acut.* 17. *ut & l.* 2. *de loc. affect. c.* 8. & 9. it. *l.* 4. *de cauſ. pulſ. c.* 7.

§. LVIII.

Quoquo jam hæc conſiderentur modo, non video, unde, hepar in domino noſtro patiente laboraſſe, inde extorqueri poſſe: & ut reliqua non attingam, reſpiratio ſemper libera, vox item firma ac clara, uſque ad extremum halitum permanens, hepar hic neutiquam ex abſceſſu laborare potuiſſe, demonſtrant; qui enim abſceſſus ſine ſtagnante in parte ſanguine fieri? qui vero hic ſine inflammatione ſtagnare poſſet? unde ex ſtagnante, cum vehementia impulſo ſanguine, pondus hepatis aggravari, hinc diaphragma cui ſuperius per totam ſuam peripheriam hepar connectitur & ſuſpenſum tenetur ligamento lato, membranoſo ac valido, a peritonæo orto, quo & mucronatæ cartilagini cohæret, præ gravitate hac deorſum trahi, nec non thoracis motum impediri, atque dyſpnœam excitari conſtat; ut cum abſceſſu hepatis, difficilem & dolorificam reſpirationem conjunctam eſſe, ſit in propatulo: quare hunc ægrotum abſceſſu hepatis neutiquam laboraſſe, fuit concludendum.

§. LIX.

Sed objicitur hic, non ventriculum ſed hepar ex abſceſſu laboraſſe, ex hac quidem ratione, quod in hepate facilius quam in ventriculo, abſceſſus generari poſſit: ad quod reſpondetur; perſpectum adeo & cognitum nondum eſſe, abſceſſum & inflammationem facilius hepar, quam ventriculum afficere poſſe: quodſi enim (ut §. 48. & 49. demonſtratum eſt (ejuſmodi abſceſſus, ex vehementius impulſo in partem ſanguine arterioſo fiunt; ventriculus utique ſi non magis, æque habilis quam hepar, locus erit, ad eo modo impulſum ſanguinem, recipiendum, vias enim huc facientes ſive arterias, ventriculus præ hepate habet plures: dum nempe illud exiguos a cœliacæ ramo dextro tantum, eaſque paucas ad ſe venientes obtinet, hic plures, tam ex ramo hoc dicto dex-

dextro, quam altero ſiniſtro, ſive ſplenico dicto, recipit (ut §. 11. poterit videri). Et poſito, neutiquam tamen conceſſo, facilius in hepate quam ventriculo abſceſſus ejuſmodi generari poſſe; quæ neceſſitas, generatam etiam fuiſſe, evincit? notum ſane eſt, *a poſſe ad eſſe non valere conſequentiam*; ex quo facile apparet, allatam rationem, veritati noſtræ ſententiæ, adhuc nec quicquam derogare.

§. LX.

Plus momenti habere videtur argumentum illud, quando videlicet allatum eſt, ventriculum ob ſubſtantiam ſuam membraneam, ad inflammationes & abſceſſus in ſe concipienda, plane ineptum eſſe. Sed regeritur: lubentius concedi, membranas, ut & reliquas corporis veteribus quibuſdam, ſpermaticas dictas partes, præ reliquis, ſeu dictis ſanguineis, ad ſuſtinendum recenſita mala, minus idoneas eſſe: quod vero propterea in membranis inflammationes & abſceſſus dari poſſe, ſit impoſſibile, concedi non poteſt. Contrarium teſtatur Galenus *lib. de tumor. p. n. cap.* 2. ubi poſtquam demonſtravit, quod inflammationes *& color & tumor oſtendat, & quod omnis caro, cujus maxime affectio eſt inflammatio, repleri fluore ſanguineo videatur*, ſubnectit: *interpoſito tempore, & ipſa* (cutis) *de fluore aliquid accipit, & vaſorum tunicæ quoque, ſic quoque & ipſæ, quæ in inflammata parte ſunt membranæ: quin etiam ipſi nervi & tendines, tempore procedente ipſius inflammationis participant &c.* Conf. & *cap.* 8. *in fin.* Quid etiam, malum hoc, ventriculo æque ac carnibus evenire impediat? vias enim (ut §. antecedenti notatum) ad id facientes, nihilo, quam illæ, minus, habet aptas: nec obeſt, arterias, quæ ventriculum ſubeunt, minus capaces eſſe: ſufficit ſatis opportunas eas eſſe, ſubminiſtrando materiam inflammationi, ſi qua neceſſitas huc naturam impellat. Neque membraneum, aut membranam eſſe ventriculum dicendum eſt; ſed potius inter membranoſum & membraneum diſtinguere oportet, ita, ut hoc, quod ex membrana eſt, iſtud, membranis abundans, ſignificet: in quo ſignificatu etiam accipiendum eſt, quando §. 9. tunicaceam ventriculi ſubſtantiam eſſe, atque triplici membrana conſtare, dictum fuit: mediam quippe harum carnoſam eſſe, & cum intima fibrarum varietate, in orbem, obliquum, & rectum exporrigi, ibidem additum fuit, quod de nuda membrana, quatenus membrana, dici non poteſt: unde reſtat, ſententiam noſtram, in contrarium allata, neutiquam deſtruxiſſe, ſed eam adhucdum manere firmam atque invictam.

§. LXI.

Cognita jam ex hactenus dictis parte affecta ſive ſubjecto, cauſas jam

X 3 ut

ut indagemus, bonus ordo jubet: earum enim cognitio adeo in omni medicatione eſt neceſſaria, ut neglecta ea nihil eorum, quæ ad medendum neceſſaria ſunt, recte fiat. vid, Hipp. *de flatib.* 2. 4. cum autem ab Ariſtotele *lib.* 2. *phyſ. c.* 3. quatuor cauſarum genera forma nempe, materia, finis & efficiens, conſtituantur, medicis in uſu eſt, cauſæ & efficientis nomen, pro eodem habere, adeo, ut dum cauſam ſimpliciter, atque abſolute nominant, fere tantum efficientem intelligant; unde Hipp. *lib. de vet. med.* 33. 12. ſcribit: *oportet utique cauſas uniuſcujuſque ea putare, quæ quum adſunt, talem modum fieri neceſſe eſt, quum permutantur in aliud temperamentum, ceſſare* Et Galen. lib. 1. de loc. aff. c. 2. quando *id, quo tangente afficimur, & quo ſeparato ſtatim ceſſat affectus, cauſam eſſe, apud omnes homines in confeſſo* eſſe dicit. Solent autem morborum cauſas alias proximas ſtatuere autores, aliàs remotas, ita ut inter has & morbum ipſum, alia cauſa intercedat, inter iſtas vero nihil: cum vero cauſarum quædam ſit varietas, alia apud medicos habetur cauſarum diviſio, qua omnes in προκαταρκτικὰς, προηγουμένας & συνεκτικὰς diſtinguunt.

§. LXII.

Et προκαταρκτικὰς primitivas, præincipientes, ſive prægreſſas, quod attinet, dicuntur illæ, quæ latentes in corpore cauſas, ſive παρασκευὴν morboſam excitant & movent. Hippocrates 3. *aph.* 12. 3. epid. 1. ægr. 3. ibid. 3. 14. aliique antiqui Galeno priores, eas προφάσεις occaſiones vocabant, ut ipſe *lib.* 1. *de cauſ. procatarct.* 1. & *comm.* 3. *in l. de morb. vulgarib.* 19. teſtatur; cauſas ſcilicet tales, quæ ut *comm.* 4. *in lib. Hipp. de vict. rat. in morb. acut.* 115. docet, *ſuapte natura vehementem generare languorem non poſſunt.* Ex quibus, *& ſi nulla alia corporis diſpoſitio affuerit, neque morbus effatu dignus ſubſequetur, ejuſque, quod in corpore ſit detrimenti, quod ipſum fecit, cauſa eſt.* Conſtituunt cauſas has, ſex res non naturales communiter medicis dictæ, aer ſcilicet, cibus & potus, ſomnus & vigilia, motus & quies, excreta & retenta; atque animi παθήματα. Quoniam vero nullius in his commiſſi erroris dominum patientem accuſare poſſumus, ſicco etiam, ut dicitur, pede, eas hic præterire poterimus, tum etiam propterea, quia, ut modo ex Galeno vidimus, hæ, niſi in corpus παρασκευὴν morboſam habens incidant, necquicquam morboſi procreare poſſunt.

§. LXIII.

De aere tamen ſi quis hic moneat, quoniam, teſte Hippocrate *lib. de flatib.* 6. 1. *mortalibus vitæ, & morborum ægrotis, ſolus is eſt auctor,* cum hic non plane negligendum, ſed cauſas abſceſſus hujus putridi proca-

catarcticam dicendum eſſe; idque eo magis, quoniam toto autumni, uſque in hyemem antegreſſo tempore, antequam dominus æger ferali lecto ſternebatur, aſſiduis imbribus Regio hæc noſtra fuit infeſtata, quibus, juxta effatum Hippocratis 3. *aph.* 16. aſſiduis, morbi tum ibi recenſiti alii, tum putredines Græcis σήπεδόνες dictæ, fiunt: *dicuntur* autem, notante id Anut. Fœſio *œconom. Hipp. p. m.* 562. ad vocem hanc; *putredines*, *humorum collectiones & putrilagines quæcunque in parte corporis redundent; ſive enim ad inteſtina deſcendant, & illic putreſcant, aut corrumpantur, putrida inteſtinorum ulcera gignunt vel dyſenterias, quales σηπεδόνες ibid. exponit Philotheus... Galenus humorum in venis putredines intelligit, unde oriuntur febres putridæ, de quibus agitur lib. 8. meth. med. & lib. 1. epid.* Apoſtema tale ilei, ſtupendæ magnitudinis. Anno 1692. menſe Junio, in viro conſulari Nieſwieſienſi, domino Johanne Zazka, tum temporis apud nos advena, vidi, præſentibus aliquot dominorum meorum auditorum, faciente eviſcerationem, Juſto Elers, chirurgo hic Regiomonti ſatis celebri, (plura tunc obſervata fuerunt rara, notatu digniſſima, quæ in tempus aliud differo, de ileo quod meditor daturus). Quodſi quis, ut dixi, ob rationes paulo ſupra adductas, aërem cauſam procatarcticam hic ſtatuendam eſſe, adſtruere velit, cum eo non altercabimur, hoc tamen etiam monentes, aerem non tam morborum ſporadicorum (qualis hic fuit abſceſſus) quam epidemiorum cauſam ſtatutam eſſe: ſicut enim Galenus *comm.* 1. *in libr.* 1. *epid.* 1. *p. m.* 207. σποράδας νόσȣς κατὰ τὴν διαίταν ἑπομενας, *diſperſos quos vocant, victus rationem cuique propriam comitari* ſcribit. Ita ex Hippocratis doctrina *lib. de natur. hum.* 19. 1. *quum unius morbi popularis graſſatio conſiſtit, manifeſtum eſt, diætam non eſſe culpabilem, ſed quem trahimus ſpiritum in cauſa eſſe, palamque eſt inſuper, eum ipſum ſpiritum, ſive aerem, morboſam aliquam exhalationem habere.* Conf. *lib. citat.* 18. 14. *lib. de flatib.* 8. 1. *ibid.* 6. 8. *it. lib.* 2. *epid.* 3. 1. *Galen. comm. de morb. vulgarib.* paſſim. Ut itaque firmum maneat, aerem reliquaſque res non naturales dictas, ad generationem hujus abſceſſus, parum vel nihil contuliſſe.

§. LXIV.

Ad cauſam προηγȣμένην, antecedentem vero quod attinet, huic circa mali hujus generationem plus tribuendum erit; *oportet enim hoc memoria repetere* (ſunt hæc Galeni *lib.* 1. *de diff. febr. c.* 4. ubi de cauſis febrium diſſeruerat) *quod nulla cauſarum ſine patientis aptitudine, agere poteſt... At magnam in generatione ægritudinum partem habet, ejus, qui paſſurus eſt, habilitas corporis. Oportet ſiquidem in omni cauſarum genere diligenter advertere, ex qua maxime potentia ægrotare contingat, deinde corporum diſpoſitiones, tam quæ eidem conſentiunt, quam*

quæ

quæ adverſantur, conſiderare: *illud pro comperto habentes, quod quæcumque conſentientes ſunt, faciliime læduntur... Cum enim corporum diſpoſitiones diſſimiles ſint ac multiformes, quædam facile alterantur ac patiuntur a cauſa in ipſa operante, quædam inſuperabiles ac impoſſibiles omnino exiſtunt, vel cum difficultate patiuntur.* Et cum antecedens hæc cauſa, eodem Galeno docente: *art medicinal* 88. ſit: Διάθεσις ἐφ ᾗ γενέσθαι πέφυκεν ἡ νόυσος, *diſpoſitio, quam ſequi, ſeu e qua generari morbus aptus natus eſt*; atque *ſoli morbi cum materia conjuncti, tales cauſas habeant*, ut notat Sennertus *inſtit. l.* 2. *part.* 2. *cap.* 1. *p. m.* 213. Abſceſſus autem hic, ex ſanguine corrupto, atque cum impetu in ipſam ventriculi ſubſtantiam impulſo (ut §. 50. ſequent. probatum fuit) ſit oriundus, palam notum eſt, cacochymiam, ſeu ſanguinem cacochymicum, cauſam hic, προηγουμένην, ſeu diſpoſitionem hujus morbi exſtitiſſe.

§. LXV.

Non parum vero Διάθεσιν hanc promovit ἰδιοσυγκρασία id eſt temperamentum prout ex primis, recenſiti caſus verbis patet, pituitoſo melancholicum, quo, ad ſanguinem craſſum generandum natura pronus fuit. Sicut enim melancholia, inter humores omnes, ſuccus maxime craſſus, terreus, & feculentus eſt, ita & ubi abundat, totam maſſam ſanguineam ſuis qualitatibus inficere valet. Cuilibet enim rem intimius conſideraturo, manifeſto apparebit, melancholiam illam p. n. nihil aliud eſſe, quam acidum illud, quacunque de cauſa aut modo in primis viis vitiatum, quoties vero acidum hoc ita exſuperat, ut alkali ab eo ſuperetur, ſanguineam maſſam ex cruditatibus, acidi vitio, tum in ſanguine, tum fermentis viſcerum, ventriculo præprimis & inteſtinis contento, nimiam craſſitiem & fæculentiam nanciſci, egregie deduxit Michael Ettmuller ph. & m. D. *tractat. med. Hipp. chymic.* corruptum hoc modo ſanguinem, ſicque ad faciendum hujuſmodi abſceſſum diſpoſitum, ventriculi acceſſit imbecillitas, ſive ad facile recipiendum malum hoc; diſpoſitio, juxta Hipp. 4. *aph.* 33. *& de humorib.* 3. 101. vid. & Galen. *lib. de rat. curand. per ſangu. miſſ. c.* 5. *& lib.* 3. *de ſympt. cauſ. c.* 2. Cujus cauſa fuit intemperies, docente hoc Galeno *lib. de ſympt. cauſ.* 2. Sanguine vero hoc modo craſſo & feculento in arterias ventriculi maximo cum impetu impulſo, ibidemque exitum non habente, ſed ſtagnante, quid mirum viſcus hoc diſtentum & dilaceratum fuiſſe, partemque in abſceſſum commigraſſe, ſanguinem vero ipſum, magis magiſque corruptum fuiſſe? ſicut id explicat Galenus *lib.* 2. *de diff. febr. c.* 9. verbis *ſeqq. Quando in aliqua corporis parte, ſanguis plurimus acervatus, ſupra ejuſdem vires effectus fuerit, corrumpi conſuevit, ac tum præcipue, cum in parvis vaſis, propter craſſitudinem obſtruitur, aut propter multitudinem impingitur, quemadmodum in inguinum tumoribus ac col-*

le-

lectionibus, atque ut univerſaliter dicatur, in inflammationibus univerſis &c. Quapropter & hujus mali cauſam continentem, ſanguinem talem ſtatuimus: ſiquidem *continens cauſa nulla alia cenſeri debet, præter materiam contentam intra tumoroſam partem - ſiquidem protinus ſubſidet tumor & omne ejus aggregatum, ipſa materia educta, aut omnia ſimul adſunt ea præſente.* vid. Lud. Mercat. *lib.* 1. *inſtit. chirurg. inſtituto* 3. *pag.* 4.

§. LXVI.

Haud difficile jam erit ex hactenus adductis colligere, quam graviter Dominus patiens decubuerit, & in quam periculoſo verſatus fuerit ſtatu: conſtat enim ventriculi functiones tam qua appetitivam, quam concoctivam facultatem, hic fuiſſe abolitas; his vero abolitis, corpori maximum interius imminere periculum, functionum ventriculi neceſſitas probat, quæ tanta eſt, ut ſi corpus eis privetur, vitæ ſuperſtes conſervari non poſſit; uti enim §. 6. ex Galen. lib. 4. de uſu Part. c. i. vidimus, *ventriculum natura fabricavit, ut ſit promptuarium quoddam omnium particularum commune,* quo deſtructo, partes corporis, alimenti ſemper indigas quoque deſtrui atque interire ſit neceſſe: quo enim functiones partium corpori ſuſtentando, præ aliis ſunt neceſſariæ magis, eo & affectus quibus hæ corripiuntur, periculoſiores ſunt & formiduloſi magis. Proinde etiam ventriculi qualeſcunque morbi, graves ab Authoribus habentur conf. *Hip.* 6. *aph.* 18. Ventriculus enim, etſi pars princeps non ſit, pars tamen maxime nobilis eſt, cui in præparatione alimentorum primæ partes demandatæ ſunt; quare cum functiones hæ nobiles, & pro conſervanda vita ſic ſimpliciter neceſſariæ, hic abolitæ fuiſſe dicantur, magnum Domini ægroti vitæ periculum intimatur: accedit periculo huic ingens, quam cum corde ac cerebro, ventriculus, ob inſertorum ſibi ex hoc progredientium nervorum copiam, habet, ſympathia; qua fit ut læſo eo, inprimis autem circa ſiniſtrum ſuum, vulgo ſuperius ſeu majus dictum orificium, ſæpe continui ſingultus, vomitus, vertigines, lipothymiæ item atque lipopſychiæ, aliaque complura mala graviſſima excitentur. Maximum denique periculum, habitus Domini ægroti œdematoſus minari videtur, certo indicio, ſanguineam maſſam, ſucco ſuo alibili privatam, talem cacochymiam contraxiſſe, atque à ſtatu ac officio ſuo ita averſam fuiſſe, ut non amplius, ſicut oportebat, pro ſanitatis & vitæ conſervatione, ſed corporis potius fecerit internecione: quam gravia vero, ex cacochymia tali metuenda ſint mala, fuſius hic exponere, ſupervacaneum foret, cum vel leviter tantum in arte verſatis, ea poſſint eſſe quam notiſſima. Conferri poterunt §. à 33. ad 37.

§. LXVII.

Hæc & ſimilia penſitanti, cum res videatur deſperata, memores iſtius,

quod Celſus *lib.* 5. *cap.* 26. habet inquiens : *eſt prudentis hominis eum qui ſervari non poteſt , non attingere , nec ſubire ſpeciem ejus ut occiſi , quem ſors ipſius interemit*, de cura non ſuſcipienda , ſed ægro linquendo , merito venire in mentem potuiſſet : veruntamen dum inhumanum videretur, omni ope deſtitutum ægrum ſine medicamentis relinquere , nihilque experiri velle , cura hujus patientis omnino ſuſcipienda , atque medicamenta exhibenda fuerunt. Quæ igitur & qualia iſta eſſe debuerint , & *an contra verum morbum inſtituta fuerit curatio* ; non immerito hic quæritur. Quod itaque curationem denominati mali concernit , ſicut in morbis aliis omnibus , qui cum materia conjuncti ſunt , & ab ea foventur , ſi & in hoc affectu , ad materiam illam , ceu cauſam continentem , reſpiciendum erit , quo nempe , quam poteſt citiſſime , ea removeatur ; quod ſi vero in abſceſſum jam vergat inflammatio , & ſanguis extravaſatus parti jam ſit impactus , tum maturationi incumbendum , & materia depoſita , coquenda atque in pus convertenda erit ; quo facto maturum apoſtema rumpendum , rupto denique abſceſſu , ad exterſionem & expurgationem ulceris , tandemque ultimo ad conſolidationem , præcipua curatio erit dirigenda.

§. LXVIII.

Primum optime præſtabimus , initio à repellentibus & affluxum ad partem affectam impedientibus facto : intentioni huic ſatisfacient ab autoribus paſſim in materia medica ſub repellentium claſſe recenſita : & quoniam ſic dicta repellentia communiter ita diſpeſcuntur , ut vel frigida & aquea ſeu humida ſint , vel ſicca & terreæ ſubſtantiæ , proprie adſtringentia dicta , quæ iterum in frigida & calida diſcernuntur ; medicamenta ex his compoſita , eaque temperate inter ſe mixta , primas hic tenere , judicarem : dari poterunt ex commendatione Arnoldi Weickardi *Theſaur. Pharmaceut. lib.* 1. *cap.* 2. *ab intra, decoct. plantag. roſar. acetoſ. Granor. Myrti , Santalor. rubri & albi. Extrinſece autem fiant inunctiones , ex ol. de Cydoniis , roſis , Myrto. Et applicetur emplaſtrum de carne Cydoniorum , aut pyrorum toſtorum ; addendo fol. portul. farin. fabar. ſantal. roſ.* Nos in noſtro Domino patiente , neglecto repellentium uſu , curationem à maturantibus ſtatim orſi ſumus , nec tamen quiſquam propterea nos reprehendet , qui conſideraverit , nos non in morbi principio , ſed facto jam eo , & circa finem potius , decendio nempe , ante beati Domini Archi-Diaconi obitum demum , ad eum accerſitos , fuiſſe ; cum vero tunc ſtatim , abſceſſum hunc ad maturitatem vel jam perveniſſe , vel mox perventurum , atque inflammationem intermiſiſſe , ex doloris acuti ceſſatione (ut §. 50. *ad* 55. intimatum) intelligere daretur , repellentia vero non niſi in fluxionis principio , hoc eſt humoribus iis ſolum , qui adhuc influunt vel recens influxere , non vero iis , qui jam parti impacti hærent , conveniant, non inconſulto uſus eorum hic neglectus , & à maturantibus atque apoſtema rum-

rumpentibus, initium curationis factum fuit. Hic obiter moneo, ex ſignatura noſtrorum recept. ſeu remediorum formulis ſubſcripta nominatione, dum aliquot eorum hepaticorum nomine inſignivimus; non debere quempiam conjecturare, hoc à nobis factum eſſe propterea, quod hepar etiam hic partem affectam ſtatuerimus: ſed in gratiam Domini ægroti tantum, qui præter hepar, partem aliam nullam, laborare, ſibi habebat perſuaſiſſimum, factum hoc fuiſſe, ſciendum eſt. Excuſabimur quoque eo facilius, penſato, quod ſtomachica pleraque ab Authoribus etiam hepatica eſſe dicantur. Potuiſſent adhuc præter exhibita, varia tam interne quam externe exhiberi medicamina, qualium formulas, hic adſcribere ſuperfluum judico, cum vel apud practicos in apoſtematum curationibus legi, vel pro cujuſcunque placitu ex materia medica concinnari poſſint.

§. LXIX.


Ad maturitatem jam perducto apoſtemate, niſi ſponte aperiatur, ut rumpatur, procurandum, quod etiam variis effectui dabitur modis; jubent hic quidam, ſuper ventrem ægrum decumbere, rebus durioribus antea ſubſtratis: alii etiam ſi forti corporis motu & vociferatione æger utatur vehementiori, id diſrumpi affirmant: quo nomine etiam ſternutationem provocandam, tuſſim excitandam, frictione ventriculum irritandum, vomitumque movendum, Autores unanimiter fere docent: quodſi vero ab his ægrotus abhorreat, ruptionis cauſa, externe fomenta, cataplaſmata, emplaſtra, aliaque adhiberi poterunt varia, de quorum materia legi poterit Galenus. *lib. 6. de compoſ. medit. per gener. cap.* 14. 15. 16. & *lib.* 7. *ejuſdem cap.* 1. Weickardus, *loco ſupra citato*, ſequens valde efficax eſſe: ſcribit quod Rec. farin. orob. ſecal. an Mj. Ferment. ℥j. Sapon. Venet. ʒij. Stercor. Columbin. vel anſerin. ℥ß. Ol. de Caſtor. de Euphorb. an. ʒij. Mixta invicem coquantur ad ignem & applicentur per horas 10.

§. LXX.

Ubi igitur ruptum apoſtema fuerit, ad exterſionem & expurgationem ulceris præcipua curatio convertatur: præſtabunt autem mundificationem ῥυπτικὰ ſeu extergentia vulgo dicta, de quibus inter Autores alios evolvi poterit Jo. Jacobus à Brunn *Syſtem. Mater. Medic. Petri. Morelli. Formul. Remedior. annexum pag.* 302. Apta ad hunc uſum laudatur aqu. hordei non excorticati cum paſſul. Rad. Glycyrrhiz. & melle roſato colato cocta. It. Sacchar. Roſar. vel per ſe, aut ſi in prædicta aqua bullierit, & fuerit colata. Et ſi fortioribus opus, addatur cicer vel album, vel rubrum, nec non lignum ſaſſafras. A nonnullis quoque egregie de hiera ſimplici abſtergendi efficacia prædicatur, eam tamen, niſi ejuſmodi abſterſionem fortiſſimam pituitoſi humoris magna copia exigat, uſurpandam non eſſe arbitrantur Weickardus loco modo citato.

medicetur cum diſſolutivis & mollificativis ſine commixtione ſtipticorum & confortativorum : moleſtum eſt, ſolis mollificativis adminiſtratis virtus ſtomachi & hepatis deficit, ideo ſtiptica cum diſſolutivis ſunt miniſtranda 1. *Method. Quintus : ſtomacho apoſtemate vel duro exiſtente cum febre non debent applicari puræ medicinæ calidæ diſſolutivæ: niſi poſtquam febris ceſſaverit in majore parte. Immo etiam tunc aliquod confortativum debet adjungi* 9. *Meth. column.* 6. *Sextus canon nulla diſſolutiva vel reſolutiva in principio apoſtematis ſtomachi ſunt miniſtranda; ſed potius in augmento cum ſtipticis ſunt permiſcenda. Gal. in eodem loco. Septimus canon. In principio apoſtematis calidi ſtomachi, medicina frigida & ſtiptica in epythimate & emplaſtro debent, apponi quæ illum confortent, & prohibeant illam materiam fluere ad apoſtemata & quod collectum eſt expellatur juxta poſſe precelebrata tamen flebotomia ſufficienti.*

FINIS.



Disput. Medico-Pract. Tom. III. GOTHOFR SAND RARUS VENTRICULI ABSCESSUS. pag. 174.

LXXIX.

FRANCISCI THIERY

PRÆSIDE

CAMILLO FALCONET

DEFENSA

THESIS IN HÆC VERBA

Ergo ab omni re cibaria vaſa ænea prorſus ableganda.

Pariſiis 20 Febr. 1749.

I.

PRimarium Medici officium eſt, ut legibus Hygienes hominem ſanum in ſtatu præſenti conſervet, & à malis impendentibus tueatur. Verum ſingulis non modo proſpicere debet, ſed etiam omnium ſuorum civium ſaluti invigilare, ac, jure merito dixerim, univerſitati generis humani conſulere. Præ omnibus autem, quæ ad hominum ſanitatem faciunt, maximi ſane eſt momenti res coquinaria. Medico igitur diligenter explorandum, nedum inſuper habeat, quidquid in culina agitur, præſertim id de quo ſollicitudinem ſuſcipimus, quibus in vaſis parentur, ſerventurque alimenta, ne *mors in ollâ* forte latitet. Vaſa quæ pro re cibaria adhibentur è lignis fiunt, terris, metallis. At metallorum quæ perfectiſſima, puriſſimaque vulgo, audiunt aurum & argentum, utinam ſola in uſu forent, ſi per modicum pretium liceret, reliquorum vero quod minime noxium eſt, uſurparetur! Cum tamen inter ea cuprum, quod maxime venenoſum eſt, ex prava conſuetudine in cibis parandis adhibeatur.

I I.

Venenum id omne eſt quod corpus vincit. Venenorum pleraque (*a*) 1°. ſumma partium tenuitate agunt & mole minima; 2°. brevi tempore graviſſima ſymptomata inducunt vel mortem ipſam; 3°. in partes maxime nervoſas vim ſuam exerunt. Potentiſſima vero ſunt venena quæ ex minerali oriuntur regno. Ex vegetabilibus pleraque in primis viis agunt & in ſecundis. Succi autem animales venenoſi inſtillari debent & immiſceri per vulnus liquidis noſtris, alias per os aſſumpti vix nocentes. At lethifera mineralia vix ultra primas tranſeunt vias, ventriculi & inteſtinorum tunicas erodunt, ſphacelum ibi citiſſime inducunt; quæ ſumma virulentia partium diviſioni, gravitati ſimul & ſoliditati veroſimilius debetur. Totum hinc minerale regnum animali fabrica vix ſuperabile. Non ſemel Mercurius in mortuorum è lue venerea capitibus & inter eorum excrementa repertus, reperta in cadaveribus foſſorum ipſa metalla, quæ vivi effodiebant, ſal marinus cum urina vix mutatus expellitur è corpore. Nec deeſſe mineralibus ſpiritum ſuum rectorem ſive *Gas* probant halitus è terræ ſuperficie, vapores per minerarum cuniculos vagantes, (*b*) quibus & lucernæ, & vita foſſorum extinguuntur, tum effluvia maxime nociva metallorum dum tractantur. At metallum quale eſt cuprum, quod venenoſum & inſuper ſolvi po-

(*a*) Hoffm. T. I. p. 196.
(*b*) Beccher. phyſic. Subterr. Kircher, Mund. Subterr. paſſim.

teſt ab omnibus menſtruis, aqua, oleo, ſalinis, pinguibus quanto magis extimeſcendum! Venenum porro nullum in univerſum in natura eſt; ſed uniuſcujuſque ea eſt indoles, ut pro ſpecie animalis à quo recipitur varios imo contrarios effectus edat. Hinc quæ nonnullis mortem inferunt venena, aliis animantibus in alimentum cedunt. Hircis convenit cicuta, Hyoſcyamus porcis. Arſenicum homini lethale, nequaquam generi canino (*c*), contra nux vomica quæ canes interimit nobis fit medicamentum. Adde etiam præparationis ope vel mutata doſi venena fieri medicamenta & viciſſim; ut demonſtrant Opium, Mercurius ex corroſivo factus dulcis, Yuccæ radix, &c.

III.

Cuprum, Æs Latinis, Venus Chemicis, metallum eſt ductile ſatis, valde ſonorum, colore rubro nitens ubi expolitum eſt. Communior in mineris cum ferro origo & terrarum utriuſque metalli analogia quædam forte locum dederunt antiquiſſimæ illi (*d*) fabulæ de Veneris & Martis amoribus, Diiſque rete inextricabili conjunctis, à Vulcano nempe igne ſubterraneo. Cuprum dum manibus pertractatur, ingratum exhalat odorem, ſaporem præbet acrem, auſterum, nauſeabundum ex quibus jam quid venenoſi ſubodoraris. Suſpicionem augent Fabri ærarii qui ſtatim atque metallum hoc tractant, in alvi (*e*) fluxum incidunt; deinceps vero vim cupri erodendi, exſiccandi magis ac magis (*f*) experiuntur, halitibus viroſis ex ære percuſſo excitatis pulmones ventriculumque valde afficientibus. Demonſtrationem facit viride æris, quo aſſumpto diriſſima ab omni ævo obſervata ſunt ſymptomata, ventriculi, inteſtinorum tormina & dolores, horrendi vomitus, nauſeæ, frequentes & ſæpe inanes dejiciendi conatus, anhelitus difficultas, ſiccitas oris & totius corporis, diræ vigiliæ, ſpaſmodicæ membrorum contractiones & ſæpe mors ipſa, cum ventriculi & inteſtinorum eroſione. Porro nullum eſt eorum quæ vocantur Menſtrua, à quo viride æris ſive cupri ſolutio non perficiatur. Ab acidis nempe ſolvitur, ab alcalinis omnibus, ſalibus mediis, oleis cujuſcumque generis, pinguedine, imo ab aqua ipſa & aere humido cuprum convertitur in æruginem. Ab acido vitriolico quidem cærulea ſolutio, à nitroſo intenſior, ab acido ſalis, (*g*) primo viridis, dein vero fuſca, ab oleis potiſſimum & ab alcalinis fixis viridis, ab eiſdem volatilibus eleganter cyanea, & adeo exquiſite ut atomus cupri ubicumque lateat, hoc ſpiritu prodatur, ab aceto emergunt cryſtalli ex cæruleo

(*c*) Vepf. de Cic. aquat.
(*d*) Homer. Odyſſ. lib. 8.
(*e*) Miſcellan. Curioſor. Decad. 2. An. 9. Obſ. 2.
(*f*) Ramazz. de morb. artific.
(*g*) Junk. Conſpect. Chem. de cupro.

cæruleo viridescentes. His ſi addas particularum æris tenuitatem ſummamque diviſionem Boyleo certis cognitam experimentis; nullus dubitabis cuprum omnes veneni mineralis (Sect. 2.) proprietates obtinere. Quantum ergo nobis timendum, ſi vaſa cuprea in uſu cibario adhibeantur perpetuo expoſita aeri culinarum particulis tum oleoſis, tum ſalinis gravidiſſimo? Si exinde parentur in iis, ſerventurque alimenta aceto, aliiſque acidis vegetabilibus, cepis, aromatibus, pinguibus condita, promovente etiam ſolutionem cupri loci ipſiuſmet tepore? Si aqua in talibus aſſervetur vaſis, aqua tam crebri uſus ad vitam, aqua vehiculum omnis noſtri alimenti? Quis neget undequaque nobis imminere periculum? Juſcula inſulſa cum carnibus in cupreis vaſis cocta & refrigerata ſaporem æris citiſſime contrahunt, quem ſæpius variis aromatibus fucare deinde tentant peſſimi coqui. Corpora duriora in mortariis æneis trita cupri abraſi & ſimul mixti certiſſima (*b*) ſigna dederunt. Nec longe quæſiveris exempla contagii metallici funeſtiſſima, exhibent ſane Medicorum ubique monumenta. Emulſiones cum margaritis, (*i*) aquas ſtillatitias ex herbis pappoſis emeticas evaſiſſe, hortulanum (*k*) à ciceribus aſſumptis miſere extinctum tertio die, veſtales pluſquam triginta ab eſu oryzæ in diarrhœam cum cardialgia incidiſſe, vomitus à ſalibus mediis ſimpliciter alterantibus excitatos, (*l*) à lacte, ab oleis, caſeo ac aceto vomitus horrendos, torminaque graviſſima exorta paſſim legere eſt ex coctione, tritu, præparatione, aſſervatione in cupreis vaſis. Quid moror? Vix eſt aliquis hominum cœtus, vel privata familia, quæ aliquam de venenoſo cupri contagio ſibi funeſtam non tibi narret hiſtoriam. Periculi vero magnitudinem & veneni energiam non immerito æſtimaveris; 1°. ex diverſa æris quo vas conflatum fuerit præparatione. Cuprum ſiquidem rubrum lapidis calaminaris additione dat orichalcum, cum aliqua Zinchi portione maſſam aurei coloris, * cum ſtanni aliqua parte fragilius duriuſque metallum: cum his omnibus admixtis æruginem nihilominus contrahit cuprum, difficilius tamen quam purum rubrum; at deteſtanda multo magis præparatio, quæ arſenicum admittit. 2°. A natura corporis cocti, ſervatique plus minuſve corrodente; 3°. à ſpatio temporis quo in vaſe moratur; 4°. à diverſo caloris gradu ejuſdem; 5°. à majori minorive quantitate aſſumpti cibi venenati; 6°. à varia diſpoſitione viſcerum præſertim ventriculi ipſomet inſtanti, quo cibi potuſve infecti aſſumuntur.

IV.

(*b*) Briſſeau Differt. ſur le Cuivre, &c.
Schulzius Differt. qua mors in olla, &c.
(*i*) Miſcellan. Curioſ. Decad. 2. ibid.
(*k*) ibid. Cent. 3. obſ. 95.
(*l*) Acad. Leopold. Ephem. Cent. 1. obſ. 13.
* Metallum Principis Roberti.

IV.

Ut vegetabilium & animalium cujuſque ſic & metallorum ſua & propria eſt indoles, ac natura vix niſi affectibus definienda. Cupri vim deleteriam experimenta demonſtrant, at cauſa effectuum obſcurior. Multi tamen in rebus chemicis expertiſſimi præſentiam ſubſtantiæ arſenicalis hic incuſant & probare videntur; 1°. geneſis cupri in terris (*m*) bituminoſis, arſenicalibus; 2°. facillima ſolutio à ſalibus omnis generis; 3°. effectus rodentes cauſtici in corpore humano; 4°. fuſio croci cupri ex hyacintho virideſcentis non multum ab arſenici cum plumbi vitro liquati colore abludens; 5°. flamma cupri ex cæruleo vireſcens & purpurea, ſolutio cærulea in ſpiritu nitri, flores æris puri per ſe ſublimati; quæ omnia arſenicalibus conveniunt ſubſtantiis. Jam vero metallum, quod æri tuto poſſit ſubſtitui inquiris: plumbum in uſum cibarium advocare non ſinunt ſtatus ipſe metallicus mollior, ſolutio ab acidis, alcalinis, oleoſis, lanugo qua efflореſcit diutius aëri expoſitum, vina lithargyro corrupta, quæ per Germaniam (*n*) tot millia hominum jugularunt, morbi ipſius plumbi opificum, qui colicos dolores & manuum tremores experiuntur primo, mox (*o*) paralytici, lienoſi, veternoſi, edentuli. De ſtanno quædam ſuſpiciones nondum ſatis confirmatæ nimium tamen plauſibiles: præ omnibus metallis in minera arſenicalibus, ut ita dicam, floribus obſitum eſt: inſperſum carbonibus flores quos evehit arſenicalem (*p*) quaſi faciem repræſentant: ſtanni ſcobs flammæ candelæ injecta fumum emittit (*q*) cum odore allium leviter redolente: vina in poculis ſtanneis ſæpius emetica fiunt: arſenicum nulli metallo facilius adhæret quam ſtanno: ſtannarii (*r*) ea ſymptomata pati ſolent, quibus obnoxii ſunt plumbi fuſores & molitores. At ponas ſtannum per ſe innocuum, quid eo fiet ſi plumbi octava vel decima parte adulteretur, de quo jam tempore Galeni querelæ, imo ut ſæpe fit non pauca quantitate reguli antimonii, cupri & ipſiuſmet arſenici? An ergo vaſa coquinaria deficient innocua exceptis argenteis aureiſve? Tutiſſima habes fictilia, fragilia quidem, tutiſſima æque ſed multo magis durabilia, quæ ex ferro parantur. Ferrum nempe ubique terrarum reperiundum, nulli animali cognito nocens, homini amiciſſimum, fuſum, malleatum, vel in chalybem mutatum materiam nobis offert inſtrumentis, vaſiſque pro uſibus internis aptiſſimam. Fabri ferrarii ex conſtanti obſervatione ſani, longævi, nec alia ex opere ſuo patiuntur incommoda quam alvi adſtri-

(*m*) Junker conſpect. chem. ibid.
(*n*) Zelleri Diſſert. de vinis lithargyro mangonizatis.
(*o*) Ramazz. Ibid.
(*p*) Junker.
(*q*) D. Geofr. Mat. Med. de Stann.
(*r*) Ramazz.

adſtrictionem (*s*) & lippitudinem. Ferrum mercurii & plumbi conſortium reſpuit; ſi minimam cupri quantitatem continet, hoc contagio illud purgare docent Artis Chemicæ (*t*) Magiſtri. Ab aqua, fatemur, ſolvendum ſe præbet, ab oleis vero non itidem ut cuprum; ſed rubigo innoxia, imo ſalutifera, & in illius prædicandis virtutibus vox plane deficeret. Inargentari etiam poteſt & inaurari, ſi quæ foret neceſſitas utilitaſve. Juſcula & carnes in lebetibus è ferro fuſo vel malleato, quamvis alio metallo non obductis, parata atque ſervata nullum inde referunt ingratum ſaporem. His in vaſis lentior, æquabilior decoctio, unde perfecta juſculorum & ciborum confectio. Diſtillationes chemicæ variique proceſſus talibus inſtrumentis, feliciſſime (*u*) ac tutiſſime ſuccedunt. Demum ferrum malleatum emollire, ſtanno puriori firmius obducere, adeoque à rubigine defendere, ſicque variam ad omnes uſus ſupellectilem tutiſſimam, ſaniſſimam, mole levem & minoris pretii paucis abhinc annis fabricari docuit civis optimus & ingenioſus artifex. * Quid ergo impedit, quominus vaſis cupreis periculi plenis ferrea ſubſtituantur ſemper innocua? His ſuffragantur Politices & Oeconomiæ leges, quandoquidem in tanta ferri copia penuria cupri laboramus. Quæ vero ſint ferri principia demonſtrat ipſiuſmet metalli artificialis compoſitio è terra limoſa craſſiore ſubrufa ubivis fere locorum reperiunda, & materia quacumque minerali, vegetabili, animalis phlogiſticum principium ſuppeditante. Hinc ſpes certiſſima nunquam hominibus de futuri metallorum utiliſſimi.

V.

Nec objicias ex cupro ſales, tincturas varias, Ens veneris Boyleo laudatiſſimum, aliaque bene multa parari ad uſum internum, felicis uſus præſertim in epilepſiis; tincturæ cupri alcalinæ (*x*) volatilis ope ſanatum hydropicum excitato maximo urinæ effluvio qui diu ſoſpes ſupervixit. Etenim cogita mutata præparatione vel doſi venena fieri medicamenta (Sect. 2.); multum deinde diſcriminis eſſe inter medicamentum caute, prudenter à medico in deſperato morbo exhibitum & venenum ſanis diverſæ ætatis & temperiei per cibos incerta aſſumptum doſi. At vaſa ænea ſtanno obduci poſſunt, & à prudentibus non adhibentur niſi ſic incruſtata. Verum jam ponamus de ſtanno vanas omnino eſſe ſuſpiciones (Sect. 4.); ergo jam ſanitas vitaque hominum pendebunt à lamina ſtanni tenuiſſima frequentiori uſu facile abradenda; pendebunt ab incuria ſervi vel coquorum, qui vaſa recens obducta rejiciunt ob ingratum ſaporem ex materiis adhibitis oriundum ut ſtannum cupro adhæ-

(*s*) Ibid.
(*t*) Kunk. Labor. exper. de ferro.
(*u*) Briſſeau Ibid.
* Le Sieur Premery.
(*x*) Boerh. Elem. Chem. proceſſ. 192.

adhæreat. Reponis adhuc cuprum facillime quidem cum alimento miſceri ſed minima doſi. Verum quid fiet ſi ſæpius repetitum venenum & undequaque paratum, à coquis in privatis ædibus per omnia fere inſtrumenta, ab iis qui ſaccharo fructus condiunt per patinas ex ære rubro (unde in ſaccharum innocens injuſtiſſimæ querelæ), à cereviſiariis per lebetes ad coquendam cereviſiam, à mulieribus ruſticis lac ferentibus in vaſis ex orichalco, à piſtoribus per varia inſtrumenta cuprea quibus utuntur, à ſalis communis venditoribus per bilances ærugine ſemper infectas: ſi demum quidquid fere venditur emiturque ære contaminatum miſceatur cibis, potibus, medicamentis? Certe vel diriſſima ſymptomata (Sect. 3.) illico emicabunt, vel ſaltem lenta quædam ſed exitialis labes viſceribus inuretur; unde morbi plurimi, incogniti, vix medicabiles oriuntur, præſertim in infantibus nondum huicce veneno aſſuefactis, feminis & quibuſcumque debilioribus. Fatemur equidem liquores é vaſis æneis vix quidquam abradere dum ebulliunt, nec infici niſi dum refrigerantur; quippe calore vigente, minor applicatio liquoris parietibus vaſis, remittente vero major. At de ſubtiliori phyſica, feliciorique apparatu parum curant nec unquam curabunt, plebeïa gens, coqui, mulierculæ. Nunquam ergo ſatis in tuto ſanitas cupreis adhibitis vaſis. Nunc vero ſi per frequentiorem incuriam de contagio metallico in cibis antequam aſſumantur, ſit aliqua tibi ſuſpicio, ſolventia cupri (Sect. 3.) adhibe, & attende ad colores oriundos ex ſuperfuſis menſtruis præſertim alkali volatili: at ſi jam aſſumptum venenum demonſtrant ſymptomata, medicinam accipe: vomitus primo excitandus per aquam, oleum calidum, butyrum recens vel pinguia omnia: hoſte jam per majorem partem ejecto ad lenientia, cremores hordei, oryzæ, lacticinia recurrendum per aliquot dies; tandem cardiacis, carminantibus, tonumque ventriculi & inteſtinorum reparantibus inſiſtendum. Vomitum vel seceſſum remediis vehementioribus (y) ut antimonialibus ciere piaculum foret, cum rodens rodenti eſſet addere. Si febris acceſſerit diluentia, mucilaginoſa, nitroſa in uſum advocanda: ſed veneno domando ſæpius impar medicina, cum nempe majori aſſumptum fuit doſi. Iatrices itaque legibus & officio (Sect. 1.) viri medici tenentur, ut pote ſanitatis miniſtri, de imminente ex vaſis æneïs periculo cives graviter ac ſevere monere, adeoque palam & audacter concludere.

Ergo ab omni re cibaria vaſa ænea prorſus ablegαnda.

(y) Mercurial. de venenis.

PAULI

LXXX.

PAULI HENR. GERARD MOEHRING

EPISTOLA AD

PAULUM GOTTLIEB WERLHOF

Archiatrum Hannoveranum.

[QUÆ MYTULORUM QUORUNDAM

VENENUM

ET AB EO NATAS PAPULAS

CUTICULARES ILLUSTRAT,

Bremæ 1742.

LOMMIUS.

Cum omnes artium Profeſſores liberalium has ipſas pro virili quiſque ſua diligenter verſare, & in uſus accommodare hominum, tum præcipue Medici debent. Hi enim ſalutarem illam ac prope divinam agitant artem, præſidem ſanitatis humanæ, ſine qua nihil in vita ſuave, ne magnis quidem eſſe Regibus poteſt.

QUod dudum conſilii cum animo meo ſtatueram, Ornatiſſime *Werlhofi*, variarum autem rerum continua fere interpoſitione neglexeram, ei in noviſſimo conventu noſtro novum calcar addidiſti. Tantopere ſiquidem affabili ſermonum Tuorum elegantia, ſingularique prorſus in tenuitatem meam humanitate Tibi me devinxiſti, ut niſi propius ad rem expediendam ipſam me jam componerem, officio mihi defuiſſe viderer. Suavi olim cum voluptate eruditiſſimam *D. D. Rud. Auguſti Behrens* ad Te conſcriptam diſſertationem epiſtolarem *de adfectionibus a comeſtis mytulis*, diſquiſitioni *Tuæ* medicæ & philologicæ *de variolis & anthracibus* (*a*) ſubnexam perlegens, cuncta profecto adſidue inveſtigata, morbi porro ſingularis, & haud ita multis in regionibus frequentis, indolem atque hiſtoriam curate ſatis memoriæ proditam, variaque tandem, de cauſſa inopinato adfligentis mali, & mytuli veneno, ab aliis aliiſque prolata, ingenuo judicii acumine examinata inveni. Non tamen adeo exhauſtam rem adgnovit doctiſſimus auctor, quin potius uberiori experientiæ (*b*) rem decidendam dederit, atque hæc *prope finem* eruditæ *epiſtolæ* (*c*) ultro confeſſus ſit: „Ubi ubi autem venenata illa mytulorum indoles lateat, operæ ſane pretium foret, ut ejus rei paullo „exploratior ratio eſſet, quamquam eam iniri poſſe, vix ego ſperem." Et ipſe, mi *Werlhofi*, jam antea in *præfationis* (*d*) *ultima pagina* ſapienter monueras, inquiri ulterius ab aliis obſervatoribus, mediciſque naturæ & artis curioſis, in tam notabilis rei cauſſas mereri. Quamvis autem infirmitatis meæ prope conſcius ſim, neque plane omnem ita rem, quæ longioris utique moræ eſt, explanare valeam, quædam tamen ad hiſtoriam morbi pleniorem reddendam proponere, atque deinceps aliqua, ad mytuli venenum adtinentia, propitio *Æſculapio*, conjectura augurari conabor. Atque hanc quidem, niſi me omnia fallunt, ita comparatam fore opinor, ut ſi non univerſalem morbi cauſſam, quod alii deinceps judicent, ſuppeditaverim, certe a ſpecialium numero cauſſarum excludi illa nequeat: quum tales obſervationes in terris, oceano vicinis, ubi mytulorum vivorum frequens & numerus, & uſus cibarius eſt, opportunum inveniant locum. Prius vero quam de hac ſollicitus ſim, unam alteramve mirabilis morbi hiſtoriam referam, cui ipſe adfui, & medicinam feci. Bini priores caſus evenerunt anno 1740. menſis Aprilis fine, tempore ſcilicet, quod ob graviſſimi gelu prægreſſi inſolitam vim in omnium recenti adhuc memoria verſatur.

ÆGRO-

(*a*) *Hannover.* 1735. *in* 4.
(*b*) *l. c. p.* 24
(*c*) *p.* 25.
(*d*) Ad *D. D. Behrens diſſert. laudat.*

ÆGROTUS I.

Uxori, tres ſupra annos triginta natæ, macilentæ, mediocris ſtaturæ, prandio in vicina domo, colloquii familiaris gratia adſtanti, offeruntur ab hera aliquot mytuli recentes, ad aperturam uſque valvarum ſine alio liquido, ut mos heic terrarum valet, cocti. Quamvis autem noſtra vix iis alias delectaretur, iteratis tamen heræ perſuaſionibus morem gerens, ſex illorum ſine ullo condimento comedit. Elapſa nondum ſemihora, domum propriam, mox apud amicam reverſura, repetens, in conclavi fruſtum lintei de menſa adreptura, ſubito, ante id tempus proſpera admodum valetudine functa, vix ipſo eodem momento anguſtiarum in pectore fit conſcia, quum humi concidit; paucorum vero horæ minutorum, quæ vocant, ſpatio, conſortii & auxiliorum egena, ſuapte ſponte ad ſe redit. Conſilii & querelarum ergo ad priſtinam ſe conſerens amicam, paucis inopinatam adflictionem relatura, ſenſuum uſu denuo privatur, artubus rigide extenſis. Eo in ſtatu domum tranſportata, lectoque commiſſa, conſilium meum expoſcitur. Viſa ægrota, anteactorum neſcius, novaque re perterritus, in ingeſtorum venenatam indolem movebam ſuſpicionem, præſertim, quia morbi facies nil cum aliis commune fovere videbatur. Scire namque licet, mox ab immiſſione in lectum, corpus totum ægrotantis, & vultum adparuiſſe lividum, qualis fere color fornacibus ferreis eſſe ſuevit; qui poſt horæ quadrantem in fuſcum, & ex brunno in obſolete rubeſcentem commutatus, intenſiorem ſenſim colorem rubicundum, macularum in petechiis benignioribus æmulum, induebat, donec tandem, poſt horæ ferme decurſum, vividior rubeſcens, purpureis alias papulis ſolemnis, in conſpectum prodiret. Sub habitu hocce verſicolori cutis quoque ſatis manifeſte adtollebatur, & tumidam præ ſe ferebat faciem. Inter hæc obſervatu valde dina reliquarum circumſtantiarum ſeries erat. Rigida, uti ſuperius dictum eſt, membra excipiebant murmura primum in ventre; hinc ſepti tranſverſi conſtrictio, & ſpiritus fauciumque præcluſio; ſenſibus ſemper abolitis; neque motu valde conſpicuo, niſi artuum raro, & involuntario. Sed ita tandem præſtrictis faucibus, ut ob viæ ſpiritalis anguſtiam nimium coactus aer, ſtertentis ſonum ederet, multum ruboris faciei conciliabatur, & cunctæ partes tremiſcebant. Tum ſubito alterutrius brachii & ex oppoſito ſiti femoris motus convulſivi, ſatis manifeſti, per aliquot minuta ſeſe exſerentes, brevi poſt alterius oppoſiti brachii & decuſſatim ſumti femoris motus convulſivos comites habebant individuos. Quibus haut ita multo poſt relaxatis iterum, corporis per tantillum temporis ſpatium quies ſequebatur, & apertis palpebris, oculorum adſpectus timidus ac erroneus, abalienatæ adhuc mentis argumento, adparebat. Mox eadem denuo ſcena ludebatur, & priſtini motus convulſivi, in dextro femore & pede, ſiniſtroque una brachio initium, &

& hinc ad oppoſitos artus tranſitum facientes, repetebantur eadem vi, eademque contractionis velocitate. Mutato autem, quem ſupra commemoravi, colore corporis in rubentem, purpuræ ſimilem, tantum decreſcebat morbi vehementia, ut per intervalla quieta, modo narrata, rationis uſu potiretur. Lingua tamen adhuc tenſa, ſolis manuum geſtibus, & præcipue juguli crebris comprehenſionibus de coarctatione harum partium nauſeoſa, aliis præter ea colli & oris commotionibus faſtidioſis indicata, conjicere nos oportebat. Ceterum pulſus æqualis, durus, ac naturali parum tardior. Quibus perpenſis, in memoriam redibat illud concinni *Lommii* (*e*) de nervorum diſtenſionibus effatum, „ ſcire autem licet, inquientis, ſæpe hunc morbum febricitantibus, ſubito ſine ullis præcurrentibus ſignis, adcidere, factoque bilis vomitu, protinus conquieſcere: proin ejus cauſſa ad ſtomachi adfectum, non ad febrem referenda eſt ". Sic & ego, mutata morbi cauſſarumque proportione, cauſſam ad ventriculi adflictionem referens, facta lædentium cruditatum vomitione, nervorum compagem mitigatum iri confidebam. Præſcripto igitur vulgari vomitorio, quod habebat rad. ypecacuanh. ſcrup. I., tartar. emet. gr. I. c. dimid., & ſyr. roſat. ſolut. drachm. 3., aliquoties magnam ingeſtorum & pituitæ vim per os reddebat. Rem feliciter geſtam confeſtim excipiebat loquela. Tum vero mens tota erat in querelis. Ex iis, quæ evomuerat, reliquias, ori, faucibus, œſophago, paſſim adhærentes, totam ardore acerrimo regionem, & quidquid partium contiguarum ſit, vellicare, rodere; eadem ventriculum moleſtia conturbari; huic velut prunam candentem ineſſe; effluvia ardentia perpetuo & igniculos exhalare canalem alimentoſum; abdominis interiora (quid aliud, quam inteſtinorum ſeorſim tractus?) fervido pruritu cieri; eumdem pruritum jam totam corporis ſuperficiem occupare, referebat. Adaucta vero extra modum prurigine intra abdominis viſcera, breviſſimo tramite in ſenſuum & loquelæ abolitionem; verbo me expediam, in priſtina mala recurrebat. Senſim tamen ſub hiſce adceſſionibus motus convulſivi mitiores & breviores evadebant: at vox rauca & artuum dolores rheumatici ſuccedebant. Poſt tertiam vomitionem miſturam ordinabam, quæ ex Fullerianæ expreſſionis millep. ſ. unciis ternis, ſpir. C. C. drachmis totidem & ſyrupi ribeſior. uncia I. componebatur. Uſus ejus quavis hora unciæ dimidiæ quantitate, interpoſito eidem infuſi theæ repetito ſæpius potu. Ante vero quam hæc omnia agerentur, ad refocillandas paullulum vires ſpirituoſum liquorem, e. ſpir. roſmarin. drachm. 6., ſpir. ſal. ammon. ſimpl. ſcrup. unico & balſam. vit. liquid. drachma I. conſtantem commendaram, qui naribus ſæpe obverteretur, & fronti ſubinde, ac cervici adfricaretur. Quorum quidem remediorum actione ſalutari fiebat, ut laxata cuti arida, alternati artuum oblique oppoſitorum motus convulſivi, & fauces præſtri-

(*e*) *Medicinal. obſervat.* p. 76. edit. Francof. de ann. 1722. in 8.

ctæ, & ſpiritus difficultas, & anguſtia cordis, & ſenſuum imbecillitas, & ductus alimentarii ardor, pedepreſſim mitigarentur, ac interpoſito alio trihorii intervallo, papulæ urticatæ quaquaverſum in cute univerſa diſtributæ emergerent. Nihilo tamen ſecius idem perdurans omnium membrorum ardor pruriens, quid? quod, facti papularum eruptione, concitatius pene fervens, & *per totam noctem* infirmiores & breviores, quam antea, motuum convulſivorum & animi deliquiorum reverſiones efficiebant, obſcura ſpe, & exſpectatione uti penderem, ceſſaturane ſymptomatum ſeries poſtero eſſet die, reliquorum, a D. D. *Behrens* (*f*) litteris mandatorum exemplorum inſtar, an longius duratura? *Altero* autem *mane* quum ad ægrotam adcederem, motibus convulſivis fugæ datis, nullius rei, heſterna veſpera geſtæ, reminiſcebatur, excepto ſolo partium externarum & viæ ſtomachalis ardore pruriente, cujus adhuc reliquiæ, debiliori quamvis gradu, cum veſiculis urticatis, & pallidius rubente cute, una ſuperſtites erant. Sed nihil amplius rotam fortunæ heic pertimeſcendam arbitrabar, quin continuatis potius medicamentorum, ultimo commendatorum, generibus, rem brevi ex voto ceſſuram præviderem. Cui etiam judicio ſors ita favebat, ut ſubducentibus ſeſe de cute veſiculis urticatis, quæ ſine ſuppuratione, ſola cute aſpera & ſquamoſa relicta, abibant, ejuſdem diei pomeridianis horis lectum ægrota deſerere poſſet, beneque cibos adpeteret. Id demum meminiſſe juvabit, obſcurum quemdam dolorem, a laceratis quaſi in alimentorum canale fibrillis derivandum, non niſi poſt aliquot dierum intercapedinem deſiiſſe.

ÆGROTUS II.

Triduo poſt, alia mytulorum cohorte venum expoſita, mercator quidam, quadragenarius fere, admodum lacertoſus, & eximiæ proceritatis vir, civitatem noſtram tranſiturus, in diverſorio ad mytulorum prandium invitatur, quod initio, quia negotia ad aliam domum ipſum vocabant, declinabat, repetitis tamen hoſpitis & convivarum precibus adnuens, mytulorum magnitudine & pulchra bonitate permotus, ſtando aliquot comedit, ad ſummum ſex octove. Quibus deglutitis, omni feſtinatione ad domum ſibi propoſitam venire properat, ſed abſolutis fere centenis paſſibus, in via impeditus ſubita pectoris anxietate ſpirituque brevi, ac nauſea ructibuſque, ſuadente comite, diverſorium repetit. Debili pede intranti, vix amplius mentis compoti, ingeritur largus ſpiritus vini gallici hauſtus, ut vel ad ſe rediret, vel aliqua vomitione adlevatus, liberiorem ſpiritum duceret. Tantum vero aberat, ut ea re mitigaretur malum, ut potius amiſſis penitus ſenſibus, corruendo in parietem

(*f*) Vid inprimis ipſum *auctorem* ægrotum *p.* 13. *ſeqq.*; & *Mentzelii* ægrotum, ex *ephemerid. Nat. Cur.* huc translatum, *p.* 11. *ſeqq.*

parietem impingens, ad lectum deportari deberet. Tumque confeſtim livido totus colore imbutus, adaucta ſenſim cordis anxietate, ſine ſenſu & motu jacebat, quum exoptata hora maritus ægrotæ prioris adveniens, audita rei novitate, de mytulorum veneno ſuſpicatus, ad opem ferendam me arceſſendum curaret. Viſo igitur ægroto, idem plane ſpectaculum triſte oculis offerebatur, quod in uxore, modo memorata, expertus fueram: idem varians cutis color & tumor, iidem nauſeoſi geſtus, iidem motus artuum convulſivi, vices alternantes, idem demum pulſus, quamvis ob lacertoſum corporis habitum plenior paullo. Ratione ad differentiam corporis habita, eadem propemodum medela utebar: Rec. ypecacuanh. drachm. dimid., tartar. emet. gr. un. c. dimid., ſyr. roſat. ſolutiv. unc. ſem. M. ut ſtatim linctum lambat, ſuperbibendo infuſum theæ. Rec. ſpir. roſmarini, & lavendul., cujuſvis unc. ſem., ſpir. ſal ammon. ſimpl. ſcrup. duos, balſam vit. liquid. ſcrup. quatuor M. ut ſit liquor odorus, naribus ſæpe obvertendus, & cervici, ac fronti ſæpius adfricandus. Rec. expreſſ. millep. Full. unc. duæ, acet. prophyl. Sylv. unc. una, miſtur. ſimpl. unc. ſem., ſyr. papav. alb. q. ſ. vel unc. una. M. hujus omni hora unciam dimidiam, peracta vomitione, hauriat. Ex his medicamentis, deglutito primum vomitorio, ternas habuit copioſas vomitiones, quibus bono ſtatim omine loquela exceptis, de eodem primarum ardore exurente viarum conqueſtus eſt, qualem miſerrimum altera gemuerat ægrota. Ita quoque alterius in ſuperficie cutis prurientis doloris impatiens, in illarum partium frictione ſolatium quærens, ex ſcylla in charybdim incidebat: hunc namque locum, mox multum elevatum, & papulis urticatis undique conſperſum, impatibilis occupabat dolor ardens, diu perſeverans. Sed reliquæ cutis ruber erat eo tempore color. *Sub noctem* motibus convulſivis & gulæ vinculo laxatis, papulæ urticatæ, initio lactei coloris, ſed poſthac pellucidæ, & aquæ gutta refertæ, undecumque emergebant, lenito, aut, ſi mavis, ſopito ad tempus pruritu, per crebram ad ſomnum inclinationem. Nullum tamen eodem tempore judicium, obſcura præſentium repræſentatio, peneque nulla præteritorum recordatio: ſtatum diceres comati vigili non deliro ſimilium. Huic tandem rei *ſummo mane* lenis, & reficiens, & quietus ſomnus medebatur; quo ſcilicet, compoſitis ad roſcidam perſpirationem membris, veſiculæ a cutis eminentia diſpellebantur, recuperatoque ſenſu, ac motu, quæ præſto fuerant, reliqua ſymptomata in fugam, conjiciebantur. Cæterum omnia in noſtro adfuerant ſymptomata, quæ uxorem ſuperius adductam vexaverant. Ille autem poſt meridiem, ſuperſtite aliqua virium infirmitate, iter ſuum proſequebatur, tertio abhinc die, illæſis iterum viribus gaudens.

Illud etiam noviſſe oportet, reliquos convivas in utroque prandio omnes a relato morbo inmunes permanſiſſe, quamvis largam ſatis copiam mytulorum comediſſent. Neceſſe igitur eſt, latuiſſe venenum in uno

tantum alterove mytulorum: quum uterque noſtrorum ægrotorum ſex ad ſummum octo ingeſſiſſet. Octo etiam vel decem laudatus amicus Tuus, *D. D. Behrens* (*g*) edit, neque forte plures alii manducarunt, qui tamen adverſa exinde cum valetudine conflictati ſunt. Sed ut ſubtilis veneni hujus, vigore quodam igneo pleroſque repente & inopinato rapientis, acrimonia in apricum magis deducatur, & quam parva ejus copia ad moleſtiſſimum illum morbum excitandum ſufficiat, perſpicua ratio ſit: nihil equidem mea opinione ſignificantius totam rem explanabit, ac ſequens hiſtoria, ex uno mytulo, ne quidem deglutito, ſed manducato tantum, & poſtpaullo exſpuitione rejecto, eundem morbum, pari fere vehementia celeriter enatum, docens.

ÆGROTUS III.

Aheno, flammis impoſito, adſtat uxor quædam honeſta, macilenta, quinquagenaria, nervorum magna gaudens agilitate ſenſuque, ac mytulos, teſtis inhærentes, vivos, coquendos dicis cauſſa quandoque agitat. Inter hæc ut percontaretur, an probe cocti forent mytuli, & apti, qui ad cœnam ſtatim adferrentur, unum de aheno, teſta diducta hiantem, depromit, illumque manducatum, matura coctione, vultuque, ac guſtu placentem adprobat; quia vero numquam alias per totam vitam iis delectata fuerat, leni hujus unius maſticatione contenta, ſuccum vix cum ſaliva deglutit, totam vero carnem rurſum exſpuit. Dum hæc aguntur, exorto in platea prope ædes inexſpectato ſine capite rumore, noſtra, quid rei eſſet, viſura adcurrens, ſubito magna pectoris anxietate, quaſi ſpiritus ipſi præcluderetur, fauceſque præſtringerentur, corripitur. Simul quoque eodem, in ſtomachi regione, ardoris ſenſu exquiſitiſſimo tacta, qualem *D. D. Behrens* (*h*) in ſe obſervavit, ac pluribus memoriæ prodidit, eumdem, motu fibrarum œſophagi inverſo, ſurſum ad pharyngem, flammæ fugaciſſimæ ſpecie, adſcendentem, narratamque faucium coarctationem gignentem, percipit. Inſigni tamen eo coloris variante livore, qualem ægroti, ſuperius deſcripti, in univerſa corporis ſuperficie experti fuerant, carebat noſtra, cui cutis ſubtumida elevabatur, & purpureo-rubente colore ſplendebat. Inuſitato rei ſpectaculo perterrita noſtra, conſervatis ſenſibus atque motuum illæſo vigore, e me, ad auxilium ipſi ferendum adcerſito, quærit, qualis morbi genius foret, qualeque diſcrimen eſſet. Addit præter ea, frequentem adſurgere ad fauces & os pituitam, mirum parca ſua mole ardentem, & perpetuam nauſeam creantem. Quibus auditis, mytuli manducati venenum, extra omnem aleam poſitum, facile ſuadebat largam lactis tepidi eamque ſæpe repetitam potationem, cujus ſuavis leniſque

(*g*) *De affection. a mytulis p.* 13. & ſeorſim *p.* 25.

(*h*) *l. c. p.* 14. *ſq.* Conf. *ægrotum meum* 1. & 2. ſupra.

que demulcens copia, primarum viarum parietibus jugi adfluxu adfuſa, ſuperatis, mox ab initio enatis, vomitionibus materiæ acerrimæ a dentiſſimæ, dolores ita leniebat, ut noctem placidam tranſigeret. Altero tamen mane totum pectus, & abdomen, & brachia, & collum, papulis urticatis obſita conſpiciebantur, quæ noctu efflореſcere jam cœperant, quarumque beneficio corpus pariter, ac animus adeo levabatur, ut lecto egredi potuiſſet, ni lenem roſcidumque cutis madorem conſervare paulliſper voluiſſet. His autem verſus horam decimam antemeridianam de viſu ſeſe ſubducentibus, rei iterum domeſticæ præeſſe poterat. Neque heic reliqui convivæ ullum a mytulorum illorum eſu incommodum ſentiebant.

E tribus his a me propoſitis ægrotis, nullus alium cibum, eodem prandio cœnave, comedit: ergo celeri veneno ſubito ſeſe prodens adfectio, ingeſtis brevi ante mytulis (*i*) ſolis adſcribenda eſt. Hinc etiam ab exemplis noſtris tale robur *Behrenſianis* ægrotis, qui aliis una cibis uſi fuerant, adcedit, ut & illorum adverſæ valetudines certo mytulis tribuendæ ſint unice. Quid? quod re curatius conſiderata, ſeorſim adparet, in ipſo *D. D. Behreus* aliorum ciborum admiſtionem diluiſſe, vel retardaſſe mytulorum venenum adeo, ut vel bihorii (*k*) tandem, aut trihorii intervallo vim ſuam exſerere inciperet, quum ternis meis ægrotis vix horæ quadrans a morbi violentia relinqueretur. Maxuma vero præ reliquis admiratione digna eſt vivida & præſentiſſima veneni actio in ægrota mea tertia, quæ licet non convelleretur, neque inſolito illo cutis livore tingeretur, quo reliqui duo, atque ut plurimum mentis aciem conſervaret; cunctorum tamen reliquorum ſymptomatum vim atque furorem in ſe experta eſt, poſt tam parcam ſucci ex uno mytulo quantitatem, ſalivæ potiſſimum vehiculo in ventriculum delatam. Nec enim colli & pectoris anguſtiis, neque fervidiſſimo primarum viarum ardore, neque nauſea, neque vomitionibus, neque levi ſubinde mentis abalienatione, neque papulis denique urticatis erat inmunis.

Cæterum eodem anni 1740. vere, quo ægroti duo priores decubuerant, complures alii aliis in locis vicinis eo quidem modo a mytulis lædebantur, ut ventriculo potiſſimum & inteſtinis vitiatis, in copioſam & acrem diarrhœam, ventriſque tormina lacerantia incurrerent, exactis autem 6. 8. ad 10. horis, integra demum ſanitate fruerentur. His autem omnibus nullæ neque convulſiones, neque veſiculæ urticatæ, neque

(*i*) Satis notum mytuli nomen Qui tamen plura de eo ſcire cupit, adeat *S bœneveld. Ichthyol. p.* 54. & alios piſcium, & aquatilium deſcriptores. Speciem noſtram, mytulum *Rondeletii*, *Aldrov.*, *Merret.*, & plerorumque auctorum, ſeorſim nominat *Liſter. Exercit. Conchyl.* 3. *p.* 30. muſculum vulgarem marinum ſubcæruleum fere virgatum aut nigricantem; & *Petiv*, *Muſ. p.* 84. muſculum maritimum vulgatiſſimum edulem. *Linn.* tandem *Syſt. Nat. edit.* 2. *p.* 64. ſub concharum genere, quarum animal Tethys eſt, recenſet.

(*k*) *l. c. p.* 13.

que alia ſymptomata, quorum ſupra memini, fiebant. Unde conjiciamus licet, primarum haſce viarum turbas ab hyberna potiſſimum anni 1740. conſtitutione derivandas eſſe, dum ex prægreſſo gelu intenſiſſimo, ſuperius enarrato, permulti piſces oceani ſeptemtrionalis littorales cum reliquis (*l*) cruſtaceis pariter, ac teſtaceis animalculis marinis pereuntes, inſignem aquæ putredinem halituoſam, animalibus propriam, admiſcuere. Ab hac vero putridorum piſcium exhalatione ſuperſtites incolæ maris inquinati, majorem adhuc acredinem conſequuti ſunt, ac illis natura a ſale marino inhæreret; atque hinc in cibum paulo poſt hominum cedentes, ſale ſuo purgante marino & nitroſo volatili, noviter iis inſinuato, dolores ventris & laxam alvum fecerunt. Quod ipſum minus nos in admirationem rapere poteſt, quo pluribus & evidentioribus quotidie exemplis conſtat, permultos homines ab uſu marinorum quorundam piſcium & mytulorum ſanorum citam habere alvum.

Hæc autem modo expoſita ſalis marini & halituum putridorum a mortuis piſcibus & inſectis exhalantium acrimonia ad mytulorum non ſufficit venenum adeo acuendum, ut morbos, quorum inſultus tres mei ægroti, & *Behrenſianorum* aliqui ſuſtinere debuerunt, tam celeriter, tantaque ſymptomatum ſævitia, gigneret; quum plurimi, nullum alvi profluvium perpeſſi, ſolis papularum eruptionibus judicarentur. Neque diu hæ aquarum littoralium impuritates perſtare valent, quoniam perennis fluxus & refluxus maris undas ita commovet, & cum alia aliaque jugiter permiſtam, ac dilutam, tam late quaquaverſum diffundit, ut idem ſemper recens odor in oceano noſtro ſentiatur; contra, ac in mari Baltico &c. ſub menſium æſtivorum ardore fieri ſuevit. Quamquam itaque corruptam hanc aquam littoralem & putridam, in conchyliorum aliorumque piſcium alimentum cedentem, per breve temporis intervallum ita eos vitiare poſſe, lubens Tecum (*m*) ſentiam, ut levem illa nauſeam, vel tormina ventris, & laxamenta copioſiora, quorum mentionem modo feci, cieat: majora tamen mala vix eadem hic producet, ponderata parca impuritatum vulgarium quantitate, quæ a mytulis adſumta, & in iis cum aqua marina perfuſa, hinc tandem ad humanum corpus defertur. Quanta enim non requiritur per tot ſæpe menſium, quid? quod annorum decurſum hauſta

(*l*) Illud quoque aliis in oceani tractibus eo temporis decurſu eveniſſe, nova publica e Galliæ, Angliæ, Belgii locis maritimis A. 1740. initio docuerunt. Ac noſtro quidem in littore complures piſces littorales adeo imminuti ſunt, ut ex aſellis (gadis *Arted. Ichthyol.*) oſmeri ſpec. 1. *Arted. l. c.* pleuronectis *Arted.* &c.; neque minus e cancris *Linn. Syſt. nat. ed.* 2. *p.* 62. ſtellis & echinis marinis; mytulis & oſtreis pauci ſuperſint, ac juniores tantum capiantur. Ut adeo credere fas ſit, juniores profundius in mari latitantes, adultis littoralibus a frigoris ſævitia neci datis, hodie tantum eſui nobis eſſe, donec hi quoque paulo plus adoleverint, & genus ſuum multiplicaverint.

(*m*) *Præf.* ad *D. D. Behrens diſſ. cit. pag. ult.*

hauſta effluviorum marinorum impurorum moles, ut hæc memoratarum *Eugaleni* adflictionum auctor in nobis evadat? Adhæc ab illuvie tali littorali univerſus mytulorum, in ea maris regione ſibi adcumbentium acervus, aut ſaltim eorum plurimi, eadem labe venenata inquinarentur, non unus, aut alter, ac ideo complures eodem tempore, eodemque prandio infeſtarentur. Sed certo conſtat, ex omnibus aliorum, & meis exemplis, unum ſemper convivam tantum decubuiſſe, reliquis ab eadem menſa illæſis diſcedentibus, id quod & Tu, humaniſſime *Werlhofi* (*n*), una cum *D. D. Behrens*, perhibes; luculento teſtimonio, ſingulare eſſe venenum uni tantum mytulo infuſum, vix pluribus eodem tempore. Putredini mytulorum emortuali, quam idem *D. D. Behrens* (*o*) pulchre confutavit, adfine eſt figmentum aliud, veneni cauſſis, in quas inquirendum porro eſt, adcenſitum, quod ab Ill. JCto Kilonienſi, *Franc. Ern. Vogt* (*p*) hiſce relatum legitur: " b *D. D. Waldſchmidius* adfirmabat, ſi mytuli, poſtquam capti ſint, tempeſtate præcipue tepidiori, per aliquot dies non comeſti manerent, talia fieri poſſe, & quidem ideo, quod recens nutrimentum, & naturalis expurgatio deficiat, quam quovis νυχθημερῳ ſemel in aqua marina ſeſe aperientes, aquamque recentem adſumentes, conciliare ſibi ſoleant. Atque hoc mihi, (addit Ill. *Vogtius*), valde fit veroſimile, quia exemplum novi nullum, quo conſtet, a recens captis mytulis, eodemque aut proxime ſequenti die comeſtis, quemquam talia ſymptomata paſſum". In quibus licet vera ſint, quæ de aquæ marinæ neceſſitate, cujus ſenſim adfluentis copia mytuli ſucceſſive reficiantur, oportet, eruditi viri litteris mandarunt, longior tamen eorum extra aquam mora non reddit illos venenatos, ſed infirmiores tantum & macilentos, quamdiu vita gaudent. Proinde multis in uſu eſſe ſuevit, ut mytulis, quos in domo per aliquot dies conſervare volunt, ſæpe aliquam Zythi copiam adſpergant, qua nutriantur, quin haud raro pingueſcant. At ſicuti merito piſcis nequam, niſi recens, compluribus cenſetur, ita terni mei ægroti mytulos comederunt intra νυχθημερȣ ſpatium captos, &, quod amplius eorum bonitatem comprobat, navicula, cui ſufficiens aquæ marinæ pro nutrimento quantitas, per rimulas adfluens, ineſt, ante bihorium vix exemtos. Hinc longior mytulorum extra aquam mora nulli eorum putredini, multo minus acrimoniæ virulentæ, anſam dare poteſt, præcipue, quum mytuli inter ea mortui, ſponte teſtam aperiant, neque hiatum unquam occludant, quales nulla vel leviter prudens ancilla coquit, ſed rejicit. Mea igitur exempla, velut totidem argumentis, laudatiſſimum *D. D. Vogtium* evidenter coarguunt, poſſe recentes mytulos longe graviores morbos inducere, ac a ple-

(*n*) *Præfationis p. c.*
(*o*) *Pag.* 18.
(*p*) In *Comm. litt. Nor.* 1735. *hebd.* 31. *p.* 241.

plериſque antea ſcriptoribus adnumerata iis ſunt morbi *Φαινομενα*, poſſeque ſubtile venenum ab uno mytulo proficiſcens, plura dolorum & anxietatum genera in ſcenam producere, ac vulgares littorales ſordes per levia unius alteriuſve horæ tormina ventris, aut laxatam alvum exercere ſueverunt.

Neque ſane video, quid Martius menſis, ſolus e reliquis, peccaverit, ut, mala ſua fortuna, veneni, mytulis adplicandi, ferax perhibeatur, qualibus eum ſermonibus hominum vapulare, D. D. *Behrens* (*q*), juncta nugarum confutatione, adſerit. Quos ego caſus obſervavi, ii in illud potiſſimum tempus vernum inciderunt, quo mox a finito gelu, radii ſolares per aliquot dies mari ſuavem vegetumque calorem concitaverant. Auctumno vix ullam a mytulis ægritudinem obortam audivi; æſtate vero vix hic terrarum in eſcam cedunt.

Miſſa namque de varia, pro vario lunæ motu, ſituque variante, pinguedine fabula, ab aliis dudum deſtructa, eos quidem mytulos a prudentioribus præſtantiores reliquis haberi, ſcire licet, qui primo vere, ſeroque auctumno capiuntur, ſive, uti de cancrorum familia vetus dictum valet, iis menſibus, quibus littera r ineſt, comeduntur: quoniam æſtatis diuturno calore pinguedo plurima conſumitur, ac vernis præter ea, & auctumnalibus menſibus permulti piſces, ac inſecta alia marina, generationis negotio abſoluto, juniorum tenera carne veſci & ſaginari conſueverunt.

Neque firmo adeo talo ſtant, quæ diligentiſſimus ceteroquin *Anton.* de *Heiden* (*r*), & cum eo, atque poſt eum, fere omnes alii, de majori ſuavitate, & pinguiori turgiditate albidorum mytulorum, cœca forte experientia ſeducti, docuere, quibus macriores, citrinos, omnium vero plurimum macilentos oppoſuere aurantios, & ad rubrum colorem vergentes. Quodſi enim adſertionis hujus rationem ſcire velimus, vix graviorem, quam credulam patrum e vulgo traditionem reperiemus. Complures profecto mecum alii quotidie obſervarunt, eodem v. gr. verno tempore collectos optimos ſapidoſque mytulos ſæpe albos eſſe, ſæpeque aurantios, eodem tamen gradu turgidos, nihilque ſæpe flavos ab albidis, ſaporis teneritate, aut ſuavitate, ſuperari; neque ætate ab invicem differunt, quum utriuſque coloris reperiantur pari fere copia & minimi, & maximi; teſta pariter tenuiore, parva, & ſtriata; ac craſſiore, maxima & opaca. Ac quamvis flavi mytuli ſæpe ſicciores guſtu offendantur, fit tamen idem quoque cum albidis. Quid? quod oblatum quondam unum e maximis illis mytulis, ad littus Norvegicum (*s*) ſub marinis rupi-

(*q*) *Pag.* 19.

(*r*) In libro, cui titulus: *Experimenta circa ſanguinis miſſionem &c.*, *urticam marinam &c.*, *cum anatome mytuli.* Amſtelod. 1686. in 12. Et ex eo *Liſter. Exercit. cit. p.* 37. ac *alibi.*

(*s*) Vid. Ol. *Worm. Muſ. p.* 256. His tamen nimis dura ſubſtantia gaudentibus, minores præferuntur.

rupibus adfixis, cujus teſtæ longitudo palmum tranſverſum excedebat, quum aperuiſſem, bene multa carne præditum, & molliſſime turgidum cognovi, flavo licet colore gauderet. Ad longe aliud igitur examen progrediendum erit, ſi veram utrorumque differentiam inveſtigare velimus, in ſola forte ſpecierum diverſitate quærendam, non autem in diverſis anni tempeſtatibus, in quibus perpetuo, & albi, & flavi, eadem bonitate ſunt obvii; nec in alia rerum cauſſarumque varietate, incauto obſervatori facile imponente. Etiamſi vero duorum horum generum macerrimos comedimus, nullum tamen ex inde majus incommodum percipimus, ac tardiorem illorum forte in ventriculo digeſtionem; quem ad modum pluries in me ipſe expertus fui. His itaque macies mytulorum, veneni putatitia cauſſa, exul eſto.

Majori imagine veri, morboſum quid hic adcuſavit aliquoties jam laudatus D. D. *Behrens* (*t*), quoniam ea ſententia cum raritate ægrotorum, a mytulis poſt idem prandium decumbentium, uti in antecedentibus oſtenſum pluribus eſt, pulchre conſpirat. Cum enim ex ſuperioribus, tum per ſe ſatis evictum eſt, nihil ipſis in mytulis ſanis, quod hominum proſperæ valetudini adverſaretur, latere. Ergo veneni cauſſa vel in mytulorum morbo aliquo, vel alia in re damnoſa, iis forinſecus adplicata, quærenda eſt. De prima re vix in dubium quid ab hiſtoriæ naturalis ſcriptoribus memoriæ proditum reperiri credo, niſi celebris *Poupartii* (*u*) obſervatam in teſtis adfectionem puſtularem, ſcabiei æmulam. Ego quoque in inſula Wangerogenſi, ad ditionem noſtram pertinente, teſtam aliquando, ab animali ſuo relictam inveni, cujus altera valvula, olim tranſverſim fiſſa, ſuccum exſudaverat in interiorem valvulæ partem concavam, unde callus, ejuſdem cum teſta ſubſtantiæ, dimidiam cavitatem explens, & ſuperficie ſua aſper, & rugoſus, erat exortus. Sed hæc & talia teſtarum vitia vix ac ne vix quidem animalculum ipſum depravare ita poſſunt, ut venenati quid cum homine communicet, tam celeriter, tamque atrociter ſæpe furens.

A teſtarum itaque morboſa indole ad ipſas animalis ægritudines veniam, quarum nulla plane ſigna ullibi exſtant. Quidquid enim de veſiculis illis aquoſis, poſt coctionem ab elevata mytuli epidermide formatis, a credulis quibuſdam narratum eſt, tam exigua probabilitatis ſpecie gaudet, ut per illud nihil dictum videatur, & vix tam clara ejus confutatione opus fuerit, qua ad opinionem hanc evertendam uſus eſt optimus *D. D. Behrens* (*x*). Et quoniam ab experientia juvantium nocentiumque luculentiſſima teſtimonia merito petuntur, ſolus ejuſmodi mytulorum, veſiculis in ſuperficie turgidorum, frequens & innoxius uſus cibarius b. *D. D.*

(*t*) *Pag.* 21. *ſeqq.*
(*u*) *In Act. Acad. Paris* 1706. vid. *Behrens p.* 22.
(*x*) *P.* 22. & 23.

Waldſchmidium (*y*), ut quotidianam meam, & aliorum hic terrarum experientiam ſileam, a multis annis argumenti levitatem docuit.

Latente vero debilibus noſtris oculis morborum, quibus mytuli vexantur, numero pariter, ac indole, in iis jam inveſtigandis operam navemus, quæ extrinſecus in illos incidere poſſunt, ut veneni cauſſam eruamus. Poſſe cum cibo quædam, corporibus deinde noſtris inimica futura, in hiantem mytulorum teſtam irrepere, aut ab iiſdem adtrahi, bene cum aliis monuit *D. D. Behrens* (*z*), cujus verba legi merentur: "verum enim vero", ait ille, "non penitus quoque negaverim, contingere etiam poſſe, ut hæ beſtiolæ noxium quemdam cibum interdum capiant, & in ventriculo, & anfractuoſo inteſtinulo reconditum habeant, qui, ſi majori præſto ſit copia, tales moleſtias excitare potis ſit". Et paulo poſt (*a*) inſecti, limacum hoſpitis, e perill. *Reaumurio* (*b*) mentionem fecit. In Anglia porro & Belgio inſectum marinum, ex araneorum genere, in teſtas mytulorum diductas ſeſe inſinuans, & hiſce acrimoniam ſuam venenatam conferens, adcuſari vulgo, ipſe Tu, amantiſſime *Werlhofi* (*c*), expoſuiſti; cui obſervationi poſthac *D. D. Stockhauſen* in litteris (*d*), ad Te exaratis, propria uſus experientia, ſuffragatus eſt. Clariori res hæc luci redderetur, ſi inſectum illud ſpecie ſua ad leges hiſtoriæ naturalis determinatum fuiſſet; quo facto, illius proprietates & affectus aliunde melius forte paterent.

Inter hæc meminiſſe quoque juvabit, minus quidem adtente *Stockhauſii* verba perpendiſſe *D. D. Trumphium* (*e*), per corpus illud, araneæ ſimile, quod modo memoravimus, intelligentem ſetas mytulorum criniformes (*f*), quarum ii ope aliis rebus extraneis firmiſſime adhærent. Quamvis autem hæ communiter jam ante coctionem ab ancillis vi evellantur, neque ob habitum crinitum ad palatum ſint: fieri tamen ſæpius ſolet, ut mytuli, præſertim ſi aliquamdiu extra aquam jacuerunt, earum partem præcipue inferiorem, occluſis arctiſſime valvis, detineant, eiſque totis, prout e teſta eximuntur, minus delicati ſine ullo incommodo veſcantur. Vix itaque crediderim, vel Bremenſes (*g*), vel alios quoſcumque populos, ſetarum illarum ſimilitudine, quam cum araneis habere videntur, fraudati, eam iis tribuere vim venenatam poſſe, quam alteri inſecto marino, ex araneorum ſodalitio, haut prorſus negave-

(*y*) Referente illud Ill. *D. D. Vogt. Comm. litt. Norimb.* 1735. *hebd.* 31. *p.* 242.
(*z*) *Pag.* 23.
(*a*) *Pag cit.*
(*b*) *Comment. Ac. ſcient. Pariſ.* 1710.
(*c*) *Præfat.* ſæpius *cit. pag. ult.*
(*d*) Vid. *Comm. litt. Norimb.* 1735. *hebd.* 31. *p.* 241.
(*e*) Vid. *Idem Commerc.* 1736. *hebd.* 26. *p.* 204. *ſq.*
(*f*) Vid. *Liſter Conchyl. bivalv. utr. aqu. exercit.* 3. *p.* 43. *t.* 4. *f.* 5. & 8.
(*g*) Referente eodem D. D. *Trumphio loc. cit.*

gaverim, quodſi clarior ejus notitia ſuppeditata fuerit. Neque corpus illud linguæforme (*h*), licet una cum tendinibus reliqua mytuli parte (*i*) durius & concoctu parum difficilius ſit, infeſtum adeo ſaluti noſtræ exiſtimaverim, ut ſine aliquo exinde ſubſequuturo morbo in cibum adſumi nequiret: quotidie namque ac innocue (*k*) a compluribus hic locorum deglutitur.

Expenſis jam aliis de mytulorum veneno venenique cauſſa diverſa judiciis, ſupereſt, ut & meas ſuper hac re meditationes proponam; quarum probabilitate, a Te, vir illuſtris, dijudicanda, commotus, ad caſtra mea, niſi mihi ipſe nimium blandior, tranſeas, vel via minimum ad invictam rei certitudinem explorandam ſternatur. Uti vero ſimilium par ratio eſſe ſolet: ita & ego, effectuum, ab aliis in aliis corporibus productorum, *αναλογια* fretus, in cauſſam mox nuncupandam adductus ſum.

Sale acri, & plerumque volatili, ac alcalino, hominibus &c. inimico, complura inſecta & amphibia referta eſſe, poſt alios venenorum explicatores, apud celeb. *D. D. Stenzelium* (*l*) adnotatum invenimus. Et bene adhuc recordor lepidæ hiſtoriolæ, cani meo ante aliquot annos cum ſcarabæis majalibus (*m*) vulgo dictis evenienti. Quorum quum ingentem copiam, ſalicibus inſidentem, conſpicerem, & agitatis arboribus humi proſternerem, adſtans canis, prout ſucceſſive decidebant, vivos 50 vel 60 pluresve magna aviditate deglutiebat. Sed hoſtis intra mœnia incluſus male rem vertebat: elapſis enim paucis horis, tanto alvi profluvio canis torquebatur, ut ex miſero ob tormina edito ejulatu mortem oppetiturum crederem. Hauſto tamen multo lacte, a malo alterius diei mane liberabatur. Huc quoque hiſtorias Tuas cum aſellis (*n*) & oſmeri ſpecie prima (*o*) trahere liceat. Propiora ſunt, quæ de lepore marino (*p*) laudatus *Stenzelius* (*q*) litteris mandavit.

Et

(*h*) Vel penis *Liſtero*, *l. c. p.* 47. *f.* 5., & ſub microſcop. pict. *fig.* 3.
(*i*) Præcipue ovario labiato. *Liſter. ibid. p.* 37.
(*k*) Ceterum non eſt mihi ſtomachi, ut ad multorum perſuaſionem, communemque fere ac cœcum uſum, comeſtis vix mytulis ſpiritus vini hauſtum, melioris, ut opinio eſt, concoctionis gratia, ſuperbiberem: quis enim neſcit, quanta eis, & aliis multis piſcibus, præſertim marinis in ventriculo duritia, digeſtu multo difficilior, ac linguæforme mytulorum corpus, ſpiritus illius ardore exſiccante concilietur? Prudentius agunt, qui Zytho, aliove potu aquoſo, mytulos in ſtomacho diluunt.
(*l*) Diſſ. *de venenis acutis*, §. 46. *ſqq.*
(*m*) E pilulariorum genere.
(*n*) In *præfat. ad Behrens de adfection. a mytulis*, *pag. ult.*
(*o*) *Arted. Ichthyol. Synonym. piſc. p.* 21. cujus Tu in *Comm. litter. Norimb.* alicubi, (locus non ſuccurrit,) mentionem injeciſti.
(*p*) Conf. *Geſner. hiſt. aquatil. p.* 561. *ſqq.*
(*q*) *Diſſ. cit.* §. 49.

Et exemplorum in hiſce regionibus maritimis magna eſt multitudo, quod piſcatores, & alii homines, rei navali operam dantes, nudatis quandoque pedibus, tempore decrementi maris, in vado illo, oceanum inter ſeptentrionalem & terram continentem ſito, *Wadt* (*r*) ſermone patrio adcolæ adpellant, aliquamdiu commorati, ſæpe tibiis ſuis urticam marinam pertinaciter inhærentem percipiant, qua ſponte dimiſſa, aut vi avulſa, haud ita multo poſt in toto pede pruritus ardentiſſimus, & rubor, & aliqualis tumor, & papulæ tandem urticatæ exoriuntur, non niſi horis quibuſdam exactis abeuntes.

Hujuſmodi quoque ardentem ab urticis marinis effectum cum Græci, tum Latini antiqui relatu jam dignum conſuerunt. Et e *Bellonio Geſnerus* (*s*): „vis quidem in his mordax, eumdemque fere, quem ter„reſtres urticæ, pruritum excitant". In tanta igitur ſymptomatum mutua ſimilitudine ſeſe prorſus exſcribentium, claritate non poſſum, quin ab urticis (*t*) marinis venenatam illam indolem, in mytulis enaſcentem, & inde ad hominem delatam, derivem.

Fieri autem ſæpiſſime poteſt, ut urticæ marinæ mytulis alimento ſint. Sive enim hyemali potiſſimum aura frigida venti orientales conſtanti per aliquot dies directione flarint, aquæ incrementum vix tantum eſt, ut navibus per vadum iter liberum pateat; hinc ſubſidentes ſenſim cum aquarum decremento urticæ, mytulis, libero tum aeri acervatim expoſitis, inhæreſcunt, a quarum deinde teſtis diductis relaxata urticarum tentacula potiſſimum filiformia, quibus maxima urentis ardoris vis ineſt, amplectuntur: Sive eædem undarum ſuperficiei, durante gelu, innatantes, in mytulorum acervum una cum glacie demittantur, perinde valebit mytulis oblata eſca.

Ex hiſce vero ſimul patet, quam pauci mytuli nutrimento huic perniciofo obnoxii evadant, vix milleſima urtica, ſemel in mytulorum acervum depoſita, ibidem relicta: quoniam ſucceſſive adluentes, & vi ſua modo majore, modoque minore, & inæquali reverſæ undæ, magnum earum numerum in oceani torrentem ſecum reducunt. Neque clare ſcimus, quantum temporis ſpatium apud mytulos veneni efficacia perduret, ac numne continua aquæ adfluentis ſalſedine brevi illud diſſipetur, quod magnæ probabilitatis eſt. Præter ea quoque mytulorum plurimi durante refluxu maris apud nos capiuntur. Ergo ii tantum mytuli damno eſſe nobis queunt, quibus urtica paucis horis ante adhæſit,

(*r*) Vocis origo a Germanorum *Waden*, quia totum refluxus marini tempore pervadi poteſt.

(*s*) *Hiſtor. aquatil. p.* 1239.

(*t*) Vel ab omnibus meduſæ ſpeciebus; vid. *Linn. Syſt. Nat. edit.* 2. *p.* 63. Frequenter hiſce in oris ſpecies eſt, ad *Geſner. hiſt. aquatil. p.* 1239. figuram adcedens, quæ maris adcolis apud nos *Glarre* vel *Glagge* vocatur.

ſit, & qui eodem die ad nos advehuntur, quorum perraro, relatis ex cauſſis, eſt occaſio.

Sollicite quoque inter graviorem illam, & leviorem, a mytulis obortam valetudinem diſtinguendum eſſe arbitror: quo facto, alvi profluvia eſum eorum ſequuta, & ſimilia mitiora ſymptomata, impuritatibus aquæ littoralis; graviora autem puto motus convulſivos, vehementiſſimum ardoris in alimentorum canale ſenſum, nauſeam, vomitiones, papulas urticatas &c. urticarum marinarum, aut ſimilium inſectorum, virulentæ indoli adſcribemus.

Parca vero ſpes eſt, fore, ut ſanos a venenatis mytulis dignoſcamus. Sapor quidem, teſte *D. D. Behrens*, & meis ægrotis, improbari nequit: & externus color idem his ac illis viſus eſt naturalis. Veneni quoque ſubtilis per mytulum diſtributio, & actio paucarum horarum, vix ſuadet externum venenatorum ſignum. Id unum forte inquiſitionis indiget, annon parvæ puſtulæ, illis *Poupartianis* ſimiles, in cute ipſorum detegi queant.

Expoſita jam veneni indole & cauſſa, ſupereſſet, ut ſignorum morbi explicationem exhiberem. His autem ex aliorum meiſque hiſtoriis facile manifeſtis, monuiſſe tantum ſufficiat, vix quemquam, quantum noſtra quidem memoria conſtat, eo morbo e vivis ſublatum eſſe; neque funeſtum videri eum, niſi triſti forte hora in plures ſimul mytulos venenatos aliquis inciderit. Quamdiu itaque exemplis eventus ab hoc id morbo mortiferi deſtituimur (*u*): tamdiu minus periculoſum, at bene angentem, pronunciamus eumdem.

Curam ſatis enodavit *D. D. Behrens*; cujus ſumma, ut breviſſime me expediam, eſt, mox ab initio excitaſſe vomitionem, ſubjunxiſſe cum lenientibus & lubricantibus oleoſis, aut lacticiniis, pauca quædam, membrorum rigorem laxantia, & papularum eruptionem adlevantia: opiata vero vix prodeſſe; e quorum numero theriaca eſt; quæ ſi juvat, omne ſudorem pellendo ac leniendo dolorem facit; hinc primis viis a veneno vacuatis, demum addenda, ſi cui placuerit.

Jam Tu porro, animo exoptate *Werlhofi*, ſat nominis famæque Tuæ celebritati age. Noſti, quanto Te fervore colam; Tuorum vero in me officiorum uberrima teſtimonia ſunt, Illuſtrem *Hugonem*, aulæ veſtræ & rei

(*u*) Ab oſtreo tali in vicinia uxor quædam animam olim efflaſſe perhibetur: ſed de fide rei geſtæ minus reſpondeo. Neque ullo facile argumento evinci poteſt, virum illum, cujus *Valentini Pand. med. legal. part.* 1. *ſect.* 3. *caſ.* 27. *p.* 385. *ſq.* & *Ammannus* in *Iren. p.* 213. *ſq.* meminerunt, aliquam ab ingeſtis mytulis ægritudinem, præter primam vomitionem, perpeſſum, multo minus neci datum fuiſſe: quoniam cauſſa mortis apud eum in humoribus corruptis biliofis. magna veri ſpecie judicantibus Lugdunenſibus & Lipſienſibus, latuiſſe videtur; vix in alio veneno clam exhibito, ſuſpicio licet contra defuncti uxorem mota fuerit.

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

rei medicæ magnum decus & ornamentum, cujus ſinceram humanitatem ac liberalitatem corporum naturalium collectio mea læto calculo notat, plurimum ſalvere jubeas velim. Tu vero iterum iterumque vale, meque redamare perge. Scrib. Jeveræ, a. d. 28. Mart. 1742.

F I N I S.

LXXXI.

DANIEL HOFFMANN

ET

FERDIN. CHRISTOPH. OETINGER,

DE

AERE MICROCOSMI FACTITIO,

Tubing. 4. Jan. 1737.

Σ. Θ.

QUandoquidem factitii aeris nomen in medicorum ſcholis rarius auditur, aliqua ſaltim ejus in ipſo diſſertationis primordio exhibenda eſt ratio atque explicatio, ut clarius innoteſcat, quid intellectum eo denotatumque velimus. Philoſophis phyſiciſque incognita priſcis temporibus res ab eo demum tempore familiaris perſpectaque eſſe penitius cœpit, quo Guerikiano Antliæ pneumaticæ invento ad majorem in Belgio Angliaque & Germania perfectionem deducto, atque mediante ea experimentis quaſi innumeris inſtitutis, præter Sturmium cel. alioſque recentiores, illuſtres maxime Angliæ, Hiberniæque philoſophi, Boyleus atque Stairius recipienti ab aere vacuo varia, una cum mercuriali indice vel barometro incluſerunt corpora, ut explorarent, quantum latentis in eorum textura aeris inde prodire, ac quouſque is eductum ex vitro aerem ejuſque preſſionem reſtituere, mercuriumque attollere valeat; obſervarunt vero crebris experimentis omni cum diligentia inſtitutis omni quidem corporum generi ineſſe occultas aeris ſpirulas, aliis tamen longe frequentiores, copioſioreſque, aliis vero & parciores & intimius concluſas & difficilius proin dimittendas; & de liquidis quidem fluidiſque potiſſimum docuere iſthæc tentamina, ea, ſubducto aere, mox agi in bullas, earumque copiam confertim ex fundo ad ſuperficiem liquorum aſcendere; cujus etiam vulgaris aqua fontana in ſpumam acta, & ſpiritus vini ebulliens quaſi atque effervescens, & omnium maxime arterioſus ſanguis in ampliſſimam ſpumam ex majoribus & minoribus bullis elatus atque aſſurgens, oraſque vitri, cujus etiam vix quarta pars ſanguine illo fuit repleta, tranſcendens, egregia dederunt documenta; quorum quidem omnium prolixa deductio legi apud laudatiſſ. viros poteſt, tum qua fluida iſta, tum potiſſimum qua ſolida, eaque imprimis, quæ cum cedant in alimenta hominum, exactius poſtulare videbantur examen, ut novo diæteticæ commodo innoteſcat, quænam eſculenta copioſiore ac liberiore turgeant aere, atque adeo flatulenta magis ſint, iiſque infeſta, qui ab his valetudinariorum præcipue tortoribus graviſſime ſolent affligi, uti præ aliis in elevando mercurii barometrici cilindro, copioſo ſuo aere vim inſignem exſerunt raphani, piſa, cepæ, crambe, de quibus omnibus plenius quondam egit *deſideratiſſimus ſocer noſter in diſſ. de ſubſid. pro arte med. ab antl. pneum. petendis*, ubi *p.* 29. hæc habet; docet antlia, quinam cibi magis minuſve flatulenti, quatenus nempe vel aerem copioſiorem, vel parciorem in vacuo emittunt; piſa in pleno concluſa recipiente, ubi tamen parcior ob preſſionem externam gignitur aer, quam in vacuo, 10. dierum ſpatio mer-

curium in barometro ad 140. digitos attollebant: fabæ cum aqua in vacuo concluſæ tantum aeris eructarunt, ut mercurius ad 35. digitos erigeretur, ut alia paſſim apud authores, Boyleum præſertim, talia experimenta occurrunt. „

Fas igitur ſit juſtumque medico iſtud a phyſicis mutuari factitii aeris vocabulum, cum revera analogum quid haud infrequenter in humano corpore eveniat, genitis ſubito poſt ingentes maxime violentias ac injurias externas diſtenſionibus partium, aliunde haud derivandis, quam ab aeris, diviſi antea, latentis ligatique liberioribus nunc ſui juris factis ſubitoque collectis quaſi in unam maſſam parvulis ſpirulis flocculiſve. Poſſent etiam ad iſtam factitii aeris familiam omni jure referri flatus, tot modis, gradibuſque corpori creberrime moleſti, variæque tam ſingularum corporis partium quam totius ſuperficiei inflationes, ex. gr. emphyſema particulare in capite infantum aliquoties a nobis obſervatum, ſolis externis diſcutientibus curatum, quale etiam in *act. med. Berolin. dec.* 1. *vol.* 5. *pag.* 55. deſcriptum legimus, ut & univerſale *Windgeſchwulſt* dictum, quod a *cel. Maur. Hoffmanno in diſq. corp. hum. anat. pathol. ſpec.* 1. §. 12. *pag.* 6. dicitur, flatulenta cutis ac cuticulæ extenſio a ſero in halitus tenaces reſoluto ſubtus deliteſcente emergens, & quod interdum phænomenon conſequens eſt vulnerum thoracis, uti ante aliquot annos in ſubjecto tali ab Exc. DD. & Arch. Maucharto, patrono noſtro colendiſſimo, cultro anatomico ſubjecto videre licuit, ſi in ampliſſimum hunc diffundi liceret campum; de flatibus vero ex profeſſo quondam egit *B. D. El. Rud. Camerarius in diſſ. cui tit. phyſographia;* eorum autem vel ideo nullam hic rationem habemus in iſta latitudine, quod non aerem quemcunque, & in quavis corporis humani parte collectum libeat huc adducere, ſed eum potiſſimum, qui ſubito, accedente cauſa exteriore violenta iis etiam in partibus machinæ humanæ excitatur evolviturque abundantius, ubi nulla alias manifeſta aeris veſtigia licet deprehendere; ſcopum proin diſſertationis hujus noſtræ non rectius exprimam, quam ſi ipſas nunc, quarum in gratiam diſcuſſionemque ea dirigitur, hiſtorias recenſuero.

CAPUT PRIMUM.

Hiſtorias quaſdam de aere factitio ſiſtens.

Juvenis ruſticus 18. ann. ante annum & quod excurrit, cum inter arandum refractarius equus, neſcio a qua re abhorrens, regimen frenumque excutiens fuga elaberetur, ſub turbis illis impetuque vehementer ab equo fugiente, cui retinendo impares erant ejus vires, in terram proſternitur, totaque aratri moles incutitur dextro thoracis lateri gra-

graviterque corpus comprimit, ac quaſſat, adeo, ut tertia ejus lateris coſta diffringeretur; uti vero id hominum genus robuſtum vividumque eſt, ſurgit mox proſtratus juvenis, ut coerceret equum rebellem, ſed deficientibus mox viribus denuo concidit, ac lipothymia gravi corripitur; cum ad ſe rediiſſet juvenis tam male habitus, difficulter ſermonem proferebat, ſonumque loquendo edidit ſingularem, clangoſum, aſperum. totum corpus mox cœpit intumeſcere, illudque obtuſo ſenſu totum ipſi videbatur obdormiviſſe, vulgata loquendi formula *der ganze Leib ſchlafe ihme*, totumque ubicunque tangebatur ſtrepitum ac ſi pergamena loco cutis obtegeretur, edebat; chirurgus ægrum poſt tres a lapſu horas viſitans cum ſtrepitu ac aſperitate ſupra dicta loquentem offendit, & ſecturus venam, brachium ita tumidum deprehendit, ut difficillime venæ ſitum ac veſtigium invenire poſſet; ſecta tamen illa flatus cum ſibilo multus & ſanguis quoque eum in modum protruſus exſiliit, ut non filo flueret, quod ordinario contingit, haud interrupto, ſed in globulos majores & minores disjiceretur ac diſpergeretur: cum inſpirabat aerem in effractæ coſtæ regione protuberabat tumor magnitudine ovi gallinacei, qui ſub altero reſpirationis actu, exſpiratione ſcilicet, retro cedebat, cohibitus poſtea ipſa partis læſæ debita obligatione: circa cordis ſcrobiculum dolor urgebat lancinans, donec grumum ſanguinis vomitu rejiceret. Dyſpnœa haud contemnenda aderat, quæ vero ſputo cruento aliquoties largiter ſuccedente brevi ceſſavit: interea corporis tumor ingenti inflatione increverat; ſcrotum in ſtupendam diſtendebatur molem, uti ſolet illa pars capax eſſe ingentis vel ab aqua vel ab aere expanſionis pro caſuum varietate, quæ vero extimo lanceolæ apice a chirurgo adacto illico aliquantum concidit, flatibus cum diuturno ſibilo frigidis expulſis; ſuppoſitoria ac clyſteres emollientes, carminativi, paucos educebant flatus: pulſus erat citatus; ſitis tamen haud nimis intenſa, cephalalgia inſignis, ſomnus nullus, proſtratus appetitus aliud niſi juſcula ciborum genus non admittebat: medicamentis dehinc febri, metuendæque internæ inflammationi ivimus obviam, temperantibus, reſolventibus, diſcutientibus, traumaticis tam internis quam externis, ſcil. ex pulv. pann. pulv. ad caſ. ant. diaphor. oc. 69. præpr. ſpec. diair. ſ. ſperm. cet. cum ac. viſceral. Exc. DD. Manch. chærefol. ſcabioſ. card. b. & dec. vulner. ex veron. virg. aur. ſanic. amic. chærefol. &c. cum balſ. traumat. Dippel. Secta dehinc in altero quoque brachio vena, ex ea quoque non ſine ſibilo expulſus eſt cum ſanguine aer: cum per inflata brachia aliena manus fortius duceretur, eaque fricando durius tractarentur, collectæ quaſi incluſæque aeris ſphæræ rotundos globoſoſque referentes tumores, hinc inde moveri agitarique ſentiebantur, donec obortus prope cubiti flexuram major tumor, diuturno ſibilo ibi excitato teſtante, brachii alterius inflationem ſolveret, eumque ad priſtinam molem reduceret. Thoracis pars collumque vicinum

æquabili tumore inflata conſpiciebantur, adacta hinc tantillum lanceolæ tenerioris cuſpide a chirurgo curioſo, maxima incluſi aeris pars per exilem hanc portam elabendi occaſionem nacta eſt: cumque ſequentibus diebus denuo intumuiſſet ſcrotum, novæ minutiſſimæque puncturæ a chirurgo, medico non jubente, huic quoque aeri & tumori patulam viam præbuere ſcroto iterum rurſus detumeſcente; ſenſim vero ſenſimque intra paucas ſeptimanas ſub uſu paucorum remediorum tam internorum quam externorum in gratiam cum ſanitate rediit adoleſcens. Ne vero, ſolam, quæ externa imprimitur, violentia corporis quaſſationem preſſionemque ad ſubitaneam hanc aeris factitii collectionem aptam eſſe, quis arbitretur, libet annectere aliam hiſtoriam, quæ eandem vim frigori adjudicat; Monachus Cappucinus intenſo præteritæ hyemis frigore iter longinquum inſtituens, perque nives ad genua fere aſſurgentes non ſine labore inſigni laſſato incedens corpore, cum tandem deſideratum, cui deſtinatus erat, clauſtrum attigiſſet, non pedes modo a frigore male affectos ſenſit, ſed potiſſimum ſcroti formidandus eum perterruit tumor, qui durus, tympanique inſtar fortiſſime tenſus, & dolores iſta tenſione efficiebat ingentes, & inflammationem minabatur, imo rupturam tegumentorum tanta vi diſtentorum; quinque dierum intervallo, tumore medicamentis a chirurgo adhibitis non cedente, vocatur medicus, qui accedens ſubitam tumoris geneſin miratus eſt, ac ſtatim inſerendos ſacculos diſcutientes, quas vocant ſpecies, ſeu herbas & flores ex flor. nimirum chamom. ſambuc. melilot. ſalv. hyperic. origan. herb. rut. majoran. ſem. aniſ. cumin. cont. &c. ac calidos fotus & inungendos circa regionem tumidam ſpiritus, ſpir. ſcil. vin. camphor. lil. convall. aqu. Anhalt. &c. ſu ſit, interno, qui jam exardeſcebat calori febrili maſſæque ſang. turbationi occurrit temperantibus, nitroſis, antifebrilibus, animumque ægrotantis extrema quæque ac horrida ſibi inſtare metuentis juſſit, quantum liceat, erigere, factumque brevi eſt feliciter, ut diſcuſſo aere detumeſceret, ſcrotum, ac intra priſtinos limites coerceretur, videturque cum hiſtoria modo recenſita analogiam aliquam habere tumor ſcroti flatulentus hernioſus pneumatocele dictus, *der Windbruch*, ut & frequens in recens natis pueris ſcroti tumor ac diſtenſio, non aquoſa quidem illa ac majoris momenti, & periculi, ſed halituoſa, & ſubinde diſcutientibus ſacculis vel etiam, dum mitiori adhuc gradu invaſit, vel ſolo halitu ſpirituoſo matris vel obſtetricis, os rectificato ſpiritu vini prius imbuentis diſſipandæ: in immenſum excreſceret caput hoc hiſtoricum, ſi ampliſſimam flatuum ſcenam hic ingredi vellem; certum enim exploratumque eſt, nullam dari corporis noſtri partem, in qua non hæreant lateantve flatus, uti in cit. *phyſographia* §. 7. p. 11. ſeq. pluribus demonſtratum eſt; ecquis enim ignorat, quam proteiformi ſint indole flatus, & quam ſæpe omnium dolorum affectuumque faciem mentiantur atque æmulentur, ſive in inteſti-

no-

norum hæreant mæandris anguliſque ac ea ſuis tenſionibus infeſtent, ſive in ventriculi, veſicæ uterive cavitate concluſi ac incarcerati ſint, ſive ipſas etiam omnis generis vaſorum anguſtias penetrent, æquabilemque humorum circulum turbent, ut vix hinc mireris, *cel. Pechlinum* in nunquam ſatis laudando libro *obſervat. phyſ. med. p.* 131. *obſ.* 57. flatuum mirifici luſus inſcripta, dicere non dubitare, nullum fere eſſe morbum, quem non faciat aut augeat concurſu ſuo flatus, & in fine ejuſdem obſervationis, nullos eſſe tam peregrinos mirificoſque morbos, qui non & ipſi flatibus hiſce vel totos ſe aut partem ſui debeant; noſtri vero inſtituti ea omnia non eſſe, ſupra jam ſumus profeſſi, quippe qui talem aeris geneſin ac collectionem ſubitaneam quaſi vel in toto corporis ambitu vel in parte quadam factam inpræſentiarum conſideramus, quæ utut eandem agnoſcat materiam, ipſo tamen fiendi lædendique modo & loco peculiare quid diſtinctumque a vulgari flatuum indole habere, non una teſtatur circumſtantia, utut negandum non ſit, celerrime quoque ſubinde progigni flatus, corpuſque occupare ſine externa manifeſtaque cauſa, cujus innumera paſſim in obſervat: libris legas exempla, quale & illud eſt virginis apud *laud. Pechlinum*, quæ poſtquam frigore tertianæ cum ventris torminibus iiſque a flatu colluctata erat, invaleſcente deinde calore, univerſi habitus tumore laborare cœpit, & vero repentinum inſolitumque ſymptoma plurimis veneni ſuſpicionem injecerat, cum ſubſidens identidem cum calore tumor a flatu id fuiſſe luculenter indicaret, nam & poſt quinquies cum paroxyſmo idem recurrit tumor, totieſque remiſit; inde etiam, quæ primæ regionis vitium corrigerent, flatuſque diſcuterent, morbum penitus delevere, pertinetque eo hiſtoria ſecti teſte & arbitro *cel. Sylvio* præſente *Pechlino* hominis a multis ventris doloribus pectoriſque anguſtiis tandem oppreſſi, ubi aperto cadavere erumpentes ingenti copia flatus cameram fœdo odore implevere, inteſtina omnia turgidula deprehenſa, ventriculus quin etiam totus inflatum utrem referebat, adeo ille erat expanſus: & vere perambulaſſe jam ventorum regionem ſibi viderentur, ad novum eos ſpectaculum magnitudo cordis vel duabus partibus naturali major avocavit; itaque qui polypum hic aut copioſos ſanguinis grumos adfuturos credebant, ventriculum utrumque omni cruore vacuum, ſed a copioſo flatu in immenſum adauctum deprehenderunt, imprimis vero dextrum illum, utpote cujus cavitas molliſque paries viſcoſi flatus luſum facilius admitteret; ejuſdem ventriculi auriculam & ipſa multo flatu tumefacta ſociam venam continuata flatuum ſerie, inſolitaque tenſione luculenter prodebat, quid! quod toto corpore venæ, etiam coronaria illa paſſim flatibus diſtinctæ mirificam ſucci purpurei fluidique aerei alternationem oculis oſtenderent.,, Liceat unicam adhucdum ſubjungere hiſtoriam recentiſſimam: Fœmina 30. ann. ſecunda vice difficulter parit, fuerat moles ventris ingens, & hinc etiam fœtus quoque & aquarum copia

fere

fere incredibilis, urgentibus conatibus aquæ mox profunduntur, attarde ſuccedit partus, poſt triduum demum excluſo fœtu mortuo, ac diu non ſequentibus ſecundinis, lochiorum fluxus parciſſimus breviſſimusque fuit, puerpera viribus exhauſta admodum, abdomen non detumeſcit, poſt ſex etiam ſeptimanas perſiſtit laſſitudo, nulla menſium indicia, veſperi valde tenſum abdomen, mane ad latera umbilici tumores eminent ingentes, quaſi farcimina, umbilico depreſſo ac retracto, abeunt iſti tumores in minores vagaſque veſicas, ſeu tumores ab umbilico verſus abdominis peripheriam tendentes cum ſtrepitu ſe dilatantes imo diſcurrentes per convexam iſtam tumidamque ſuperficiem non ſine murmure ſonoque adſtantibus manifeſto; quædam harum intumeſcentiarum ſeu veſicarum habebant magnitudinem nucum, aliæ ovorum columbinorum, aliæ gallinaceorum. aliæ caput infantis æquantem imo ſuperantem, quales etiam ſurſum verſus ventriculi tendebant regionem, omnes tamen poſt vaga murmura diſſipandæ, uſque dum ſub veſperam tenſum denuo abdomen, novam mane tumoribus ſubminiſtrabat materiam, vix ullos percipiebat dolores, vires tamen fatiſcebant magis, urina tinctior eſt, alvus non clauſa extra ordinem, durabatque iſta viciſſitudo veſpertinæ tenſionis in abdomine ac matutinæ tumorum vagorum ſonororumque ſucceſſionis per aliquot ſeptimanas, remediis tamen carminativis, reſolventibus, hyſtericis, caſtoreatis; leniter pellentibus feliciter evaſit. Verum non libet iſtis immorari, ſed ſubſiſtere hac vice in phænomenis ſupra recenſitis.

CAPUT II.

Factitii aeris geneſin indolemque conſiderans.

INquiri vero nunc, antequam phænomenorum reddere rationes allaboremus, debet attentius, undenam iſta ſubito diſtendentium halituum moles, factitiuſve quem diximus, aer exſurgat: ſi dicam ex ſanguinis maſſa totaque humorum mole eum derivandum eſſe, cum ſtatuere quidem aliter ſalva veritate vix liceat, contradicentes habebo omnes eos, qui in modernorum ſcriptis advertunt, quam male audiat aer craſſus, externus, quem tanto cum fructu exoptatum vitæ fomitem omni momento haurimus, & de quo *Hipp. lib. de flatibus* §. 4. & 6. dicit, quod ſit maximus in omnibus, quæ corpori accidunt, & mortalibus vitæ & morborum author & dominus, ſi ad ſanguinis ille maſſam corporiſque penetralia deducatur, nihil non ab eo mali atque infauſti metuentes. Inde enata videtur modernorum illa de aere ſubtili ac mediæ naturæ hypotheſis, ut &, quod aer componatur ex triplici materia,

vel

vel ex triplicis generis particulis coagmentetur, craſſioribus, ſubtiliſſimis ſeu ætheréis & ad utraſque media ratione ſe habentibus: cum enim non auderent, omnem ex ſanguine intimoque corporis receſſu aerem excludere, viderentque corpus humanum & in eo ſanguinem nihil peculiare præ reliquis corporibus ſublunaribus, in quibus omnibus præſentia aeris experimentis quam plurimis iiſque ſatis manifeſtis ac evidentibus antiquiorum & recentiorum philoſophorum naturæque ſcrutatorum conſenſu probata ac demonſtrata eſt, habere, hunc ipſis libuit introducere medium ſubtilemque aerem, qui ſine noxa ab aere vulgari metuenda ſubeat ſanguinem, eique admiſceatur:

Noſtri inſtituti jam non eſt, multis inquirere; an detur talis aer mediæ naturæ, ſubtilior, neque etiam, an ille in exponendis, quæ ſupra recenſuimus phænomenis, allegandus accuſanduſque ſit, ſed hoc ſolum intendimus, reperiri non ſolum in ſanguine & penitioribus corporis noſtri receſſibus aerem ejuſdem cum illo, quem reſpiramus, indolis, id eſt, gravem ac elaſticum, uti pluribus demonſtratum eſt, *in cit. jam diſſert. B. D. D. El. Camerarii de ſubſidiis pro arte medica ab antl. pneumatica petendis p. 2. ſeq.* ut hinc jure merito mireris *Ant. a Leuwenhœck* præſentiam aeris atmoſphærici in ſanguine negaſſe in *epiſtola* 72. & 73. *arc. nat. detect.* dum dixit, nullum neque ſanguini neque urinæ ineſſe aerem, præterquam tenuem illum ac ſubtilem, in omnia corpora penetrantem, & aerem vulgarem repertum in ſanguine, per aliquot jam horas aeri expoſito, vix memoratu dignum eſſe, de quibus *vid. cel. Wolfii nützliche verſuch p.* 1. *cap.* 6. §. 152. *ſeq.* ubi ad hoc dubium reſpondet. Illis autem, qui vulgarem in maſſam ſanguinis aerem admittere non audent, ſed tragicos inde effectus metuunt ac funeſta ſymptomata, ob oculos verſantur clariſſima experimenta in animalibus inſtituta, quorum venis e. gr. jugularibus aer inflatione intruſus lipothymiam, convulſiones diras, mortemque ipſam celeriter producit, quæ quidem experimenta nemo clarius ac ſolidius propoſuit *B. DD. Rud. Jac. Camerario*, præceptore ac adfini noſtro etiam poſt fata colendo *in diſſert. cui tit. Tenſio cordis Lipothymiæ cauſa;* ſi igitur aer, inquiunt, tam truculentos edit effectus, qualem acida imo venena in ſanguinem injecta inferunt, quis eum naturaliter in ſanguinem deferri ſtatuat, cujus non poſſet non turbare ac ſufflaminare circulationem ac mixturam; hinc etiam eſt, quod *cel. Bohnius* expreſſis verbis ſtatuat, aerem haud integrum & athmoſphæricum vaſa ſanguinea ſubintrare horumque contento commiſceri, uti ex ſeq. verbis aperte patet; incongruum plane aeris ejuſmodi craſſioris & ambientis ad interiora acceſſum inde augurari convenit, quod per elaſticitatem ſuam ſanguinem nimis rarefaciendo, hinc comprimendo, hujus motum inteſtinum æque ac circularem turbet, quatenus frequenti experimento teſtor, nihil heterogenei venis infuſum, animalia citius ſuffocare, præter aerem, me-

diante tubulo etiam leni impetu quater vel quinquies inflatum, utpote qui inſtar potentiſſimi coagulatoris aut alterius veneni, animal enecat, quare aer ille nos ambiens interiora haud penetrat, ſanguinique commiſcetur, nec elaſticitate vel oſcillatorio ſuo motu huic aliquid expanſivi communicare poterit. *vid. circ. anat. progymn. 6. p. 65.* „

At nemo non videt, quam infirmo nexu iſta cohæreant, & quam non liceat argumentum formare ab intruſo in ſanguinem vel cum vel ſine impetu vehementi ac turmatim aere, ad eundem leniter, placide ac quaſi occulte ſubeuntem, ad enecandum autem animal vel cum impetu vel ſæpius per vaſa, e. gr. venam jugularem tranſmittendum eſſe aerem patet ex recenſione experimentorum hanc in rem inſtitutorum *in cit. diſſ. d. Tenſione cordis p.* 2. Sane nec acidi moleculæ ore aſſumtæ illam in ſanguine coagulationem efficiunt, multo minus particulæ ſpiritus vini, largiter adeo a multis ingeſtæ, quæ tamen omnia ſimili injectione in venas pariter necant animalia; ne quid dicam de venenis corpori illatis, in quibus, quantum interſit, qua parte, quomodo inſinuentur corpori, quam vel mediate, vel immediate ſtatim miſceantur ſanguini patet exemplo non ſaltem viperæ liquoris, qui vino permixtus & epotus venenum eſſe deſinit, verum etiam inſtrumentorum chirurgicorum, quibus non bene purgatis ſed adhuc immundis infectiſque mirum quam non transferri ſaltim propagarique, ſed augeri inſuper & intendi poſſe luem veneream, ſcabiem hydrophobiam conſtat, *vid. diſſ. B. DD. Alexandri Camerarii* (poſt fata ejus demum luci publicæ traditam) adfinis ac patroni noſtri deſideratiſſimi, cujus præmaturum nimis obitum merito lugent omnes boni, *de ſorbendi actu modo uſuque multiplici p.* 17. Fruſtra igitur adſcribitur aeris nudæ præſentiæ, quod ab ejus intruſione ac perverſa collectione & ſtagnatione unice pendet, cauſa enim potior paroxyſmi talis lipothymici, utet mortis inſequentis jure merito dicitur nimia illa ac peregrina fibrarum cordis tenſio, qua ventriculi ac auriculæ ad debitam contractionem ineptæ fiunt, idem enim hic fibris accidere palam eſt, quod in veſicæ aliarumque expanſionum muſculoſarum ſtructura pariter uſu venit, quæ a quacunque re præter modum diſtentæ, omnem ſeſe rurſus contrahendi vim amittunt, tono earum imminuto vel penitus deſtructo, in tali enim caſu utrumque ibi fluidum diſtendit, humoroſum & ſpirituoſum; aer enim expanſus in ventriculos cordis delatus, & ipſo ſuo elatere & impetu ab alio pellente communicato ſanguis rarefactus, agitatus, turgeſcens illos dilatat, & ita fibras nimium tendit, uti pluribus in *cit. diſſ. d. Tenſione cordis* videre eſt.

Sint igitur, uti revera ſunt, innumeræ in ſanguine aeris ſpirulæ, aliis moleculis debito modo intertextæ ac quietæ, nullam illæ inferent moleſtiam, imo abſolute ibi ſunt neceſſariæ, eodem illo, quem alii metuunt, elatere, ad vigorem motumque ſanguinis conſervandum, &

ne-

neceſſariam adeo cum ambiente atmoſphæra æquilibrium conſtituendum, niſi enim aeri extrinſecus ſuperficiei corporis undecunque incumbenti, illamque comprimenti alia quædam vis ab internis partibus pari virtute ſe objiceret, æquiſque viribus reſiſteret, tueri ſe minus profecto poſſent animalia, quemadmodum cognoſcimus, ut ex multis aliis experimentis aſſertum noſtrum probantibus unicum hoc adducamus, animalia vaſe quodam concluſa, exhauſto aere in magnam ſæpe molem intumeſcere, & prominentibus oculis, roſtro aperto, ſumma cum cordis palpitatione, non ſine convulſionibus ſpaſmiſque animam exhalare, niſi denuo admiſſus mature aer exterior ſublatum cum interno æquilibrium reſtituat, & ad priſtinos motus leges ducat, & quis de præſentia & neceſſitate aeris atmoſphærici in ſanguine dubitabit, ſi verum eſt, quod in laudata *diſſertat. de ſubſidiis pro arte medica ab antl. pneum. petendis* legitur, ſcil. quod in aere naturalis ſanguinis conſiſtentia conſiſtat, dum minutæ aeris moleculæ totidem quaſi ſpiræ chalybeæ, ſeu machinulæ reſilientes, intra ſanguinis compagem latentes, omnis generis particulas ſanguinem conſtituentes motu vario impellant, cohærentes divellant, a concretione arceant, globulos rubentes commoveant, ut libere intra flexiles lymphæ partes natent, nec cohæreant nimiſve approximentur ſibi invicem: quod aſſertum ſimiliter probat propoſ. 1. illuſtris quondam inter nos nunc *B. D. D ac Archiatri Zelleri in diſſ. de pulmonum infantum in aqua ſubſidentia*, qua expreſſis verbis dicitur, & dein pluribus probatur, aerem atmoſphæricum continere omnes humani corporis partes ſive fluidæ, ſive ſolidæ ſint, ſive continentes ſive contentæ *p.* 7. cui accedit ſuperius jam allegata ebullitio ſanguinis arterioſi in evacuato recipiente, quæ de præſentia craſſi, veri elaſticique, quem reſpiramus, aeris abunde teſtatur. Nec magni momenti ac ponderis nobis eſſe videtur objectio contra præſentiam & neceſſitatem aeris in ſanguine *cel. Diemerbrœckii in operibus medicis & anatomicis l.* 2. *cap.* 12. *p.* 423. inferentis, quod in fœtu in utero materno incluſo, membraniſque involuto, nullus plane poſſit eſſe aer, cum illum neque per reſpirationem, quæ in fœtu nulla ſit, neque per aſſumptionem ciborum, quibus non utatur, neque per poros cutis, ad quos ipſi aditus non pateat, haurire poſſit, & nihilominus ſanguificatio in fœtu ſuccedat, iſque æque bonus perfectus ac laudabilis ſit ac adultorum, in quibus per varias vias aer ad ſanguinem pervenire, & ſic cum illo commiſceri poſſet, cum certum indubitatumque ſit, fœtum in utero materno nutriri ſanguine & humoribus ipſius matris, in quibus jam præſto eſt ipſe aer. Inter rationes vero, quæ diſſuadere pleriſque poterant, hunc aeris liberum ad ſanguinis maſſam acceſſum, ea quoque procul dubio inter præcipuas fuit, quod perviderent difficultates, quæ eam comitantur hypotheſin, cujus plerique patrocinium ſuſceperunt, aerem ſcilicet in

pulmonum veſiculis ſubire per eorum vaſcula ſanguinem, quod craſſo aeri minus convenire, ac ſubtiliori proin alii tribuendum eſſe cenſuerunt.

Noſtrum hic non eſt eorum omnium ponderare rationes, cum & ipſi paſſim diſſentiant in ipſo tranſitus modo determinando, ac ipſa aeris tranſeuntis diverſitate, uti hujus effati evidens argumentum præbet hypotheſis Meryana, qua cel. Gallorum anatomicus tranſitum eundem aeri aſſignat; ab aliis tamen ſuo modo diverſum, circulumque prorſus peculiarem, de qua hypotheſi vid. *l'Hiſtoire de l'Academie Royale des ſciences anno* 1707. ut & *diſſ. B. D. D. Alex. Camerarii de actu modo uſuque multiplici ſorbendi p.* 11. *&* 12. ubi ſimul deciſio controverſiæ hujus diu ſatis inter phyſiologos agitatæ ex *commentario acad. imper. Petrop. tom.* 3. legi poteſt;

Nos cramben toties recoctam non hic iterum adponemus, & primam hypotheſeos Meryanæ partem de ingreſſu aeris lubentes ſeponimus, de altera ſolum ad noſtrum propoſitum pertinente ſolliciti, ſcil. de illius aeris egreſſu ex corpore humano, cujus egreſſus neceſſitas vel ex hoc ſolo patere poſſit, quod ſi non fieret, ut vaſa nimium inflata elaterem ſuum debilitatum brevi amitterent, ſanguiſque ſiſteretur, aut minimum circulationi multum negotii accederet; negat autem vir celeb. ut rem paucis abſolvamus, aerem hunc per poros cutis & inſenſibilem tranſpirationem egredi, etiamſi illa tanta ſit, ut unica die plus ejus, quam craſſiorum excrementorum pluribus diebus corpore excedat, uti *Sanctorius in medicina ſtatica*, & poſt eum in Gallia *Dn. Dodart*, & in Anglia *Dn. Keil in medicina ſtatica Britannica*, multis exemplis demonſtrarunt; idque ideo, quia ſi aer, dum cum ſanguine per partes corporis fertur, eundem defereret, & cum vaporibus & ſudoribus per poros cutis abiret, ſanguis aeris beneficio non amplius impulſus in venas ingredi non poſſet, quod tamen vel ideo magis neceſſarium ipſi videtur, partim, quia venæ cum arteriis comparatæ parum habeant elateris, partim, quia tertiam fere partem plus ſanguinis quam hæ contineant, qui ad illius progreſſum aliena vi omnino opus habeat, provocatque ſimul ad experimenta Antlia pneumatica inſtituta, quibus patet, animalia recipienti hujus machinæ incluſa, ſi craſſior aer exinde extrahatur, inflari, idque eo magis quo exactius hoc inſtituatur, quod fieri non poſſet, ſi aer per poros cutis eorum evadere ac tranſire poſſet, uti ſeq. verbis expreſſit, que l'on ſouffle de l'air en maſſe, je veux dire tel que le reſpirent les animaux, par la trachée artere dans le poûmon, il paſſe de ſes cellules par ſes veines dans le cœur, & n'y peut entrer par ſes arteres. Or comme il ſort autant d'air de la poitrine pendant l'expiration, qu'il y en entre pendant l'inſpiration, il eſt donc viſible, que l'air qui entre dans les vaiſſeaux ſanguins par les racines des veines du poûmon, en ſort par les branches de l'artere pulmonaire en finiſſant ſa cir-

circulation. Il ne peut donc pas s'echapper par aucun des conduits, qui donnent paſſage aux excremens de la maſſe du ſang."

At quam infirmo hæc ſtarent talo, ſi de omni humorum aere & non de illo in pulmonibus ſanguinem ſubeunte ſolo intelligenda eſſent, nemini non vel leviter adtendenti obvium eſſe poterit, eo magis, quo minus ipſe vir cel. negare valet experimentum contrarium, in vacuo nimirum ſeu recipiente antliæ pneum. aerem contentum ſubducendo, factitium ex ſudore novumque aerem emergere, (ne quid dicam de ſudore illo ſonoro, ſeu cum ſibilo prorumpente, poros cutis aeris excernicula conſtituente, de quo Rolfincius ſcribit, quod æger & adſtantes ſonum fluentis quaſi rivuli, cum undæ lapillis obviis alliduntur, ſcil. ſuſurrum ac ſibilum perceperint) ſupponit quidem conſtanter, *l. c.* hauſtum reſpirando, aſſumtum in ſanguinis maſſam aerem manere junctum ſanguini ratione maſſæ ſuæ, ſuoque elatere ejus circulationem juvare, ſed dubites, annon inflati in venas aeris experimenta oſtendant, quid ſperandum ſit ab aere ſanguinem diſtincte ac celeriter ſubeunte, ſcilicet adeo non circulationem ejus promoveri, ut potius ea varie turbetur ac interrumpatur, variaque gravia ſymptomata inde ſequantur; quod vero ibidem *l. c.* dicat, aerem illum in recipiente ex ſudore eductum non illum eſſe, qui in pulmonibus ſanguinem ſubierat, ſed illum, qui quam maxime diviſus atque attenuatus, diſperſuſque latuerit in alimentis ſucciſque animalium, hoc ipſo ejus hypotheſin non videtur roborare, aut enim aer in pulmonibus ex hypotheſi ſubiens diſpergitur per ſanguinem eique miſcetur vel in diſtincta manet maſſa, ſi diſtinctus maneat, vivere animal commode nequit, ſed præſto erunt varia ſymptomata, ſi vero intime commixtus ſit, æque ac alter ille ex alimentis proveniens per poros poteſt ac debet cum ſudore & tranſpiratione egredi; ac ultima quidem illa reſponſione ſtabilire modum videtur, quo ſanguinem aer illi vitæque tam neceſſarius ſubeat, nempe per potum, alimenta, ciboſque corpori ingeſtos, quo vehiculo per vaſa lactea abundanter ac ſufficienter ad ſanguinis maſſam defertur. Ita enim *l. c.* "toutes les liqueurs, que boivent les animaux, ſont remplies, de meme que tous les alimens ſolides, qu'ils mangent, d'autant d'air, qu'ils ſont capables d'en contenir dans les pores de leurs petites parties :" Non equidem me latet, quid cum Leuwenhœckio opponi queat, nempe anguſtia vaſorum lacteorum eorumque oſcula ac pori exiles, verum ſalva res eſt, modo diſtinguamus inter aerem ſibi relictum, ac chylo lymphæque probe immixtum, ac quoad minima ſua ſpirulaſque combinatum, ille quidem vix per iſtas anguſtias tranſibit, nec forſan ſecundum ſuperius dicta tutum commodumque eſſet, eum tranſire, hic vero cum liquidis intime conjunctus commodiſſime per ductum thoracicum ſanguini infertur, ulterius intime cum ipſo conjungendus. Imo & noſtra hæc quam præ manibus habemus ruſtici juvenis hiſtoria Meryanam hanc ſpecio-

ſam licet hypotheſin reſpueret, quomodo enim, ſi nulla aeri ad organa tranſpirationis ac ſudoris via acceſſuſque pateat, adeo ubique inflatum fuit corporis illius integumentum, tanta collecta prodeunteque exhalationum copia, ſi ſanguini adeo ſoli aer adhæreat, nec alibi ex vaſis niſi per oſcula arteriarum, uti ſtatuit, congruum inveniret exitum, quo ipſo etiam peculiaris ſupponenda eſſet horum vaſculorum ſtructura ac textura pro hac functione ſpecifica. Quicquid autem horum omnium ſit, aeris jam in ſanguine præſentia ſtabilita, ea nunc ſupereſt quæſtio, an recenſita capite præcedenti phænomena illi ſoli, an vero vel flatibus ac halitibus ex humoribus formatis adſcribenda ſint; aqua enim uti compreſſionem ſenſibilem etiam a fortiſſima antlia patitur, ita ſi a calore in halitus expanditur, ſumme ſit elaſtica, cujus quantum aquæ quantumque intertexto aeri adſcribendum ſit, determinarunt jam phyſici. Cenſemus vero tam aerem factitium quam flatus ac halitus accuſandos eſſe, cum inter eos ſenſu medico vix intercedat differentia notabilis magnique momenti, Cum vero aeris iſtam in ſuccis corporis præſentiam ſupponamus, mirum cuipiam videri queat, aerem illum ſui juris factum dici factitium, cum tamen non fiat nec producatur demum, ſed ſaltim colligatur: verum in verbis faciles erimus, utimur eodem jure, quo phyſici emergentem in vacuo ex corporibus aerem factitium pariter vocant, & quo talem aerem *B. Ds. D. Rud. Jac. Camerarius in diſſ. cit. de Tenſione Cordis p.* 7. *& B. Ds. D. Alex. Camerarius in diſſ. de actu modo uſuque ſorbendi p.* 9. artificialem vocarunt, utut ſaltem ex compedibus corporum, quibus detinebatur, tum liberetur, uti hic quoque factum.

CAPUT III.

Recenſitorum ſupra phænomenorum rationes adducens.

PLaniori nunc ac faciliori via plerorumque phœnomenorum hiſtoricorum ſupra in primo caſu potiſſimum recenſitorum reddemus rationes, eaque ad ſuas reducemus cauſas: primo quidem loco tumorem corporis miramur tantum ac tam cito emergentem; ab externa violentia & compreſſione ortus eſt procul dubio tumor ille ſubitaneus. Factitius, qui in recipiente exhauſto ſeſe extricat, aer, a corporum textura ſine conquaſſatione, ſuo elatere ſe evolvit, ſe ipſum liberat, & ambientis aeris preſſione remota, ſublatoque proin æquilibrio, ex poris corporum, a quibus detinebatur, particularum compedibus, ſeſe cum impetu proripit, quanquam faciliùs explicare ſpirulas ſuas queat, ſi laxatis vario modo corpuſculorum repagulis porta ipſi pandatur, vel ſi ex in-

interſtitiis partium fluidarum, nec cohærentium facile, exſurgere, ſpumamque formare, bullulis & copioſioribus & promtioribus in ſuperficiem liquoris queat: in juvene vero noſtro ruſtico ambientis aeris preſſio non ceſſavit, utpote qui pleno pondere ac elatere læſo corpori incubuit, quomodo igitur liberatæ ſunt ſpirulæ aereæ, quæ in ſuccis corporis illius latebant? Externa violentia turbas ingentes in humoribus paſſim ſtaſin patientibus excitavit ſub turbis illis ac turgeſcentia quaſi fermentatoria (quam ſemper bullularum innumerarum geneſis, hoc eſt aer factitius copioſius comitari ſolet) aer æquabiliter antea humoribus qua ſua minima permixtus, mediantibus gelatinoſis ſanguinis particulis in bullas ſeſe formavit expanditque, quarum plures coeuntes bullas majores, aerem, propriam jam formantem ſphæram maſſamque, efformarunt, quæ aeris maſſi ad circulandum inepta facta eſt, nec capillaria vaſa facile ſubire potuit, ſibi potius oſculorum compreſſione, inſtar valvularum viam occluſit, ac hæſit proin in ambitu corporis, quo ſemel propulſa eſt: tanta vero corporis quaſſatio, mole aratri facta, preſſioque tam inſignis, quæ valeat effringere coſtam, ad turbas ſanguini inducendas aptam ſatis eſſe, vel ideo nemo negaverit, quod preſſio partium enormis, terribiliſque fibrarum tenſio, ſubitaneam inducat in quibuſdam locis humorum ſtaſin, quæ turbationis ac inæqualis circuli ſanguinis prodromus ac cauſa communiter ſit; quales vero ac quanti morbi ab inæqualitate ſanguinis circuitus proveniant *cel. Frid. Hoffm. in med. ſyſtem. lib.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 6. pluribus expreſſit; ſtaſi igitur facta viiſque paſſim ruptis, uti ex vomitu & ſputo cruento palam eſt, partim preſſis, partim conſtrictis, humores mox in craſi ſua ac textura qua minima turbantur, partes a ſe invicem ſecedunt, elaſticæ ſe in libertatem vindicant, imo ex conſortio reliquarum violenta tali conquaſſatione quaſi extruduntur ac ejiciuntur: quo major vero violentia fuit ponduſque aratri, eo major etiam humorum & ſanguinis ſtaſis, eo celerior per conſequens humorum turbatio aeriſque ac halituum liberatio debuit ac potuit contingere; id vero magis admiratione dignum eſt, quod proſtratus læſuſque graviter juvenis potuerit mox ex terra reſurgere, ac de retinendis coercendiſque equis cogitare: notum vero eſt, quantum roboris vis terroris ac animi impetus ſubminiſtret etiam vulneratis, vel alia ratione læſis, ſed ad parvum temporis ſpatium, donec facto illo conatu ſæpius ultimo ſubito concidant ac fatiſcant, quod & hic factum annotavimus, ſubitaneum enim hunc conatum mox lipothymia excepit eo gravior, quo penitius læſum concuſſumque fuerat cor cum omni thoracis ambitu, quoque major erat humorum commotio, ſtaſis ac turbatio; venam vero ſecandam difficulter reperit chirurgus, cum ſuffuſus intertextuſque cuti & cuticulæ copioſior aer æque conſpectum ac tactum ejus oculis & digitis ſubduceret, ac ſolet alias etiam pingue-

guedo nimia; neceſſariam tamen eſſe V. Sm. duxit medicus, tam propter æſtum & orgaſmum ſanguinis & metuendam inflammationem, quam etiam propter vomitum ſputumque cruentum, habitu ægri plethorico non contradicente, contrarium licet ſuadente *Zacuto Luſit. in pr. admir. lib.* 3. *obſ.* 55. ubi ſanguinis miſſionem vena flatu turgente lethalem dicit.

Memorabile autem phænomenon ſanguis exſiliens exhibuit, cum in globulos milii ſemina mole æquantes & ſuperantes disjiceretur & diſpergeretur, eum fere in modum, quo fuſa metalla per ſcopas aquæ infuſa, vel in vaſe agitata in minutiſſima rediguntur ac dividuntur granula; manifeſto quidem indicio, aerem non ſub cute modo collectum, ſed & in ipſis vaſis tumultuari atque extra limites vagari, dum in bullas, globuloſve conquaſſatum, & in mixtura ſuo adeo turbatum cogeret ſanguinem, eumque aperto venæ latere per rimulam impetuoſe propelleret quaquaverſum, unde & ſub flatus fortioris ſpecie & manifeſto cum ſibilo ex vena mox prodiit, uti ſolet excitare ſonum per anguſtos tranſiens meatus, variantem juxta orificii figuram ac moderamen inde enatum: ac non poſſum non mirari, ſi ad iſtam aeris in vena abundantiam modumque egrediendi impetuoſum ac plane ſingularem, quem adſtans obſervavi, attendam, tam cito lipothymiam ceſſaſſe, (brevem autem illam fuiſſe adſtantes teſtati ſunt,) nec ejus tum recurſum annotatum, cum vena ſecaretur, cum ſane tanta copia aeris in vena videatur adfuiſſe, quæ per eam verſus cor dirigi, & ſic tendendo illud lipothymiæ novæ graviorumque ſymptomatum cauſa fieri potuerit, niſi dicere velis, aerem hunc in ramis magis exterioribus hæſiſſe, & ſic data per V. Sm. porta exceſſiſſe; & hæ ipſæ bullulæ ubivis in brachio maxime, tum cutis ſtratis confertim obviæ ita etiam elevabant cuticulam, ut illam fricando non poſſet non ſtridor ille pergamenæ æmulans ſonum excitari, uti ſolent in præparationibus anatomicis partes membranaceæ eundem exhibere ſonum:

Cæterum omnino etiam externæ potiſſimum violentiæ ac quaſſationi adſcribendum erit, quod in hoc juvene cuticula alias non ita facile ſeparabilis, & quæ a cantharidibus non ſine conatu ac dolore elevatur, tam facile aeri tali ac halitibus ceſſerit, ut hunc ſonum ſub frictione ederet: non potuit autem non ſub iſto ſtatu obtuſo ſenſu prædita eſſe corporis ſuperficies, cum nervorum ſurculi a violentia illa undequaque preſſi fuerint, ac profundius etiam ſub elevata illa cuticula latitaverint, notum autem eſt, preſſionem ſæpe ſatis levem nervorum & ab illa pendentem impeditum ſpirituum animalium influxum excipere facile ſenſum partium obtuſum, quem noſtrates per ſomnum partis exprimere ſolent; nec aliunde vox clangoſa quaſi ac peculiaris ille organorum illam formantium obſervatus ſtridor ortum habuit, cum præprimis partes illæ hiſce functionibus deſtinatæ preſſæ quaſſatæque fuerint

ve-

vehementius, ac proin aere tali in interſtitiis non potuerint non tu e-re, quæ inæqualiter partes inflando, non poterat non inæqualem reddere ſuperficiem, ac conſequenter ſoni ipſius moderamen, unde vocis depravatio, ad ſuavitatem autem vocis requiri organorum illorum ſuperficiem glabram, æqualem ac lubricam vel ſolum juxta §. 632. *inſtit. medic. cel. Boerhaave* certum eſt.

Dyſpnœæ præſentiam adeo nemo mirabitur, ut potius ſingulare curioſis videri queat, eam non graviorem longe ac intolerabiliorem fuiſſe thorace adeo graviter læſo, ac ſanguine in ſpumeſcentiam illam turbaſque acto, unde per pulmones circulatio omnino reddi debuit difficillima ac tardiſſima; eo magis, quo notorium eſt, dyſpnœam frequentius a flatibus ac halitibus in inteſtinis hærentibus, ac per ventriculum œſophagumque aſcendentibus, illas partes diſtendentibus ſicque pectus coanguſtantibus, excitari, ſæpius per eorum eruptionem ac diſſipationem ſolvendam, ut & dari ſyncopen & aſthma flatulentum, imo & pleuritidem flatulentam ſpuriam; unde etiam cel. Sylvius cauſam dyſpnœæ atque orthopnœæ occultam in flatibus halitibuſque quærit, ac eoſdem in hypochondriaca ſtrangulatione ſimilibuſque morbis omnem ſæpe paginam abſolvere illud agnoſcere vult, qui attente omnia ægris obvenientia examinaverint, expenderintque ſymptomata. Ac teſtatur maxime de gravi reſpiratoriæ functionis læſione tumor ille inſignis, quem quævis inſpiratio in fractæ coſtæ loco protruſit, mox iterum inter exſpirandum ſubſidens, inflati enim cum conatu pulmones coſta non amplius reſiſtente integumenta extrorſum urgebant, redeuntia in priſtinum ſitum aere ex pulmonibus in exſpiratione iterum extruſo, ipſiſque ad minus volumen redeuntibus; grumoſum vero ſanguinem ex bronchiis derivamus, collectum in iis ex ruptis, ſub tanto impetu ac quaſſatione thoracis, pulmonum quibuſdam vaſculis, cujus moles etiam ventriculo vel deglutiti, (ex naribus enim ſanguis etiam ſtillabat,) vel ibi etiam extravaſati ſanguinis gravis, cardialgiam in iſtam nervorum vicinia & frequentia facile poterat excitare, ipſa grumi ejectione ſolvendam, qui etiam cum compreſſione ventriculi violenta cauſa procul dubio fuit proſtrati appetitus, eo certius, quo ad illius proſtrationem febris illa vulneraria dicenda, a turbis illis in ſanguine deducenda haud parum contribuit.

Suppoſitoria vero ac clyſteres cur aerem & flatus non eduxerunt copioſos? qui tamen naturaliter inteſtinis inhabitant, etiam in ſanis, quos tamen non lædunt, non minus enim naturales ſunt flatus eo ſenſu, quo ipſa excrementa naturalia dicuntur, imo proſunt potius, abſque flatibus enim inteſtina ſubſiderent, & ſubſidentibus iiſdem excrementa difficilius tranſmearent, ac ipſum chylum non debita facilitate tranſmitterent. Non in inteſtinis craſſis, ſed in alia plane corporis regione aer ille ac flatus ſtagnabant, & verſus peripheriam corporis protruſi erant,

quidem ſatis extraordinario, motu tamen critico & ſalutari; unde vero immanis ille ſcroti tumor, capitis æquans magnitudinem? cum ea in parte factam eſſe quaſſationem aut violentiam, non conſtet. Verum in confuſo illo lapſu, corporiſque ſub aratro compreſſione ac volutatione confuſa quis determinare auſit, quænam præciſe partes concuſſæ gravius, afflictæque fuerint, quin & ſufficiebat univerſalis illa humorum cum partibus ſolidis tam graviter quaſſatorum atque agitatorum confuſio ac ſpumeſcentia, ad aerem his quoque in partibus a compedibus gelatinoſarum ſanguinis partium liberandum, cujus ſpirulæ propriam jam quaſi formabant ſphæram, cujus robur ab accedente febrili calore in immenſum fere augebatur, ac accedentibus ex humoribus ſtagnantibus ac quaſi fermentantibus, halitibus pariter elaſticis validiſſima ſcroti integumenta inflatione diſtendebant, cum per membranarum involucrorumque poros anguſtiores penetrare elabique facile ac celeriter non poſſent, ſed firmiter potius iſtas intra anguſtias coercerentur, donec ſcalpello parata via in apertum aerem explodebantur, idque cum ſibilo, ob exilem foraminuli aerem in ſonum modificantis rimulam, & cum frigore quidem egredientis aeris ſenſu percipiendo, cujus & ipſa orificii anguſtia, & violenta protruſio proruentis celeriter aeris cauſa fuit, eum plane in modum, quo ex ore aperto halitus cum calore in admotam manum elabitur, cum eidem frigus adſpiret manifeſtum, ſi compreſſis arctius labiis celeriter ac cum impetu rectaque linea protrudatur: ac debuere omnino collabi expulſo tum aere ac halitibus elaſticis, tum reſtituente ſe poſt violentam adeo diſtenſionem robore fibrarum ſcroti, debebant inquam collabi mox latera æolipilæ hujus viventis, ſcrotumque ad priſtinos redire terminos, donec coaleſcente citius rimula novus tum aliunde huc truderetur aer factitius, tum ex ipſis forſan in ſcroti cavitate ſtagnantibus humorum reliquiis aſſurgeret ac prodiret, qui novam diſtenſionem promptiſſime efficiebat, donec denuo deducti halitus novaque apertione dimiſſi prætumidum antea ſcrotum in integrum reſtituerent.

Quid vero dicemus de formatis illis aeris factitii portionibus globoſis, quæ fricando ac palpando ſub cute brachii deprehendebantur, ac de loco in alium moveri poterant? Non alia hic a prioribus ratiocinia ſuppetunt, nec aliis opus eſt: neminem latet fermenteſcentia liquida in bullas intumeſcere, agitatos fortius liquores in ſpumam agi, & eos quidem, qui tenaciori gaudeant textura largiori quoque ſpuma atque altiori elevari, exemplo albuminis ovorum, quod aſſidua quaſſatione in ſpumam ſeu efformatas cum aere ex proprii humoris glutine bullas, totum abit, indeque penitus albeſcit; verum & illud notum perſpectumque eſt, ceſſante agitatione, bullulas, quarum quælibet antea ſeorſim ſubſiſtebat, coire, rumpi, majoreſque formare bullas, multum aeris iterum dimittere, ac in liquorem tandem priſtinum, aere ſe penitus extri-

tri-

tricante, redire bullis carentem. Sanguis igitur quaſſatus & efferveſcens in ſpumam actus eſt, ac aer ille factitius ſecedens non potuit æquabiliter ubique elevare cuticulam, ſtrataque cutis æquabiliter diſtendere, & quia elabi omnino non poterat, coercitus membranarum ſpiſſitudine, ſub cute iſtos formavit globos huc illucque propellendos; major vero pars circa cubitum in ampliori hæſit ſpatio, donec cum ſibilo per rimulam inveniret exitum; maxima vero pars hæſit circum quaſſata præcordia, ibi enim maximæ obortæ fuerunt turbæ, unde cum tanta aeris ibi collecta moles portam haud reperiret, aperta prope claviculam tantilla via plurima ejus moles per eam promtiſſime elapſa eſt: ſedata itaque remediis convenientibus, ſupra jam deſcriptis febri, ſanguine intra cancellos ſuos juſtum in ordinem ac ſedatiorem redacto motum, calloque circa coſtam diffractam enato, feliciter convaluit juvenis; ſcilicet haud adeo gravia paſſum erat caput, & ſub terribili violentia feliciter tamen adhucdum ceciderunt corporis periculoſæ quaſſationes.

Quantum calori competat virium in excitando fortiorique elatere inſtruendo aere factitio ſupra jam diximus, at non eadem id facilitate a frigoris hyberni exceſſu deduxerimus, reipſa tamen Cappucinus, quem allegavimus ſupra, Monachus eadem, qua ſcroti tumorem, fata cum juvene noſtro expertus eſt, utut ambulaverit in aura frigidiſſima, nec externa alia acceſſerit violentia. Quamnam igitur mali originem licebit allegare? Duo concurrerunt tum ad effectum tam extraordinarium præcipua, utut contraria quaſi principia, frigus & calor: frigoris actionem cohibita tranſpiratione inſenſibili male munito præſertim corpore, humorum incraſſatione, tardiore ſanguinis & ad ſtaſin inclinante circulatione ſe hoc in caſu exſeruiſſe nemo iverit inficias, præſertim ſi conſideret effectus frigoris in partibus externis varios, de quibus vid. *B. D. D. El. Camerarii diſſ. d. analogia machinæ hum. cum therm. barom. & hygrom. ut & cel. Langii diſſ. d. homine aereometro.* Calorem hinc intra ambitum corporis is facile agnoſcet, qui motum in profunda nive laborioſum cum multo conatu, humoreſque hinc valide agitatos, tranſpirationem tamen ſimul ob poros ab inclementi illa aura conſtrictos cohibitam conſideraverit, ita enim ſpumeſcens quaſi ſanguis halituſque & factitium aerem de ſe dimiſſurus, ab eo plene liberari, cohibente frigore externo, non potuit, in debilem igitur læſamque a frigore partem, ſcrotum ſc. vim illam protruſit, accedente etiam fibrarum laceſſitarum ſtrictura. Quorſum vero hi ſe proripuerunt flatus? Cum nullam hic lanceola indulſerit viam, ſed fotu calido diſcutientibuſque externis & internis remediis diſſipatum fuerit, quicquid tam ſubito enatum elatumque fuit flatulenti tumoris: redit adeoque hic quæſtio ſuperius cap. 2do facta; an inter aerem factitium, flatus, halituſque differentia ſit; notavimus enim aquam, utut experientia teſte ne tantillum quidem validæ cedat preſſioni, nec comprimi poſſit, in halitum

tamen reſolutam ſumme elaſticam eſſe, ac diſtendere partes; dubites hinc merito an inter aerem & talem halitum ac flatus diſcrimen aliquod alicujus momenti intercedat, ſiquidem in elaſtica indole vix ullum agnoſcas, hinc etiam halitus deſcribuntur, quod ſint aer non quidem ſimplex ac purus, ſui juris tamen & rarefactus ſe expandens dilatans, vid. *cit. phyſographia B. D. D. Eliæ Rud. Camerarii p.* 4. §. 3. quanquam negari non poſſit, *cel. Gliſſonium in tr. de ventriculo & inteſtinis*, flatum in genere deſcribere, quod ſit halitus in corpore excitatus atque obfirmatus, ut nec facile iterum condenſari, nec per partes in quibus concluditur, perſpirare queat, eo enim partes inflare, quod nec coerceri nec permeare poſſit; duobus itaque ſimplicem halitum & flatum diſcrepare ſtatuit, nimirum quod hic tum ad coagulationem, tum ad permeationem plane ſit ineptus, ille ad neutram; hinc etiam eſt, quod Helmontius ſtatuat, vapores quidem ut & exhalationes ordinarias facile poſſe condenſari, ſive in aquas, ſive in olea, ſive in aquam ardentem, ſed ſuum inventum Gas, per quod intelligit flatus, volatilitatem pertinaciter affectare, omnemque coagulationem ſpernere; ratio hujus, quam reddit, eſt, quod vapor ſit tantum aqua rarefacta, & conſequenter in aquam facile recidat, verum Gas inſuper extravertere ſuum ſulphur, intra quod ejus mercurium & ſalem glaciari; eodem plane modo *cel. Ettmullerus in pathol. inſtit. med. theſ.* 32. ſtatuit, flatus neque ad vapores, neque ad exhalationes referri poſſe, & hinc merito ad tertiam claſſem hujuſmodi entium ſive ad Gas ſylveſtria ſive ad ſpiritus coercibiles revocari, & in *diſſ. d. dolor. hypochondriac.* §. 3. expreſſis verbis dicit, flatus eſſe novum quoddam ens ſpirituoſum, ſpiritus ſcilicet ſylveſtres incoercibiles & non coagulabiles, qui neque ſint præciſe ſalinæ neque ſulphureæ naturæ, ſed ex utriuſque actione aliquod emanans tertium, & cel. Sylvius horum differentiam in eo quærit, partim quod flatus propter materiæ ſuæ viſciditatem adhæreant magis ventriculo & dificilius excludantur, halitus vero & vapores facilius erumpant ex ventriculo, partim quod flatus erumpant in eructatione, halitus vero in oſcitatione & hypochondriaca & hyſterica ſuffocatione. Id tamen æque certum videtur, aerem condenſatione in aquam ſeu liquidum palpabile non condenſari, quod ſtatim halitui accidit.

An igitur dicemus, factitium aerem, qui non purus ac ſimplex concipiendus, cum in ſinu ſuo foveat variæ indolis partes innumeras, quæ ipſius elaterem ac preſſionem varie alterant, (quem aeris elaterem ac preſſionem in collegio phyſico experimentali, ante paucas ſeptimanas elegantiſſimis experimentis demonſtravit *excell. D. Prof. Creulingius* patronus ac adfinis noſter honoratiſſimus) ſi non facilius per poros partium exhalet quam aer, facilius tamen diſcuti, diſſipari tumoremque quem effecit ſubſidere, quam qui aere ſolo conſtat, ut pote qui non ita facile dimittitur per poros & integumenta, exemplo veſicæ inflatæ,

cum halitus iterum denſari in guttas & ad priores redigi anguſtias queant, utut non exhalent, aut foras ejiciantur, hinc idem Sylvius diſcuſſionem flatuum ac halitum ſibi ita concepit, quatenus nimirum ipſorum materia tenax inciditur & rumpitur, unde ſubſideat materia pituitoſa hoc modo diſtracta ac diſtenta, concidatque ac coeat in exiguum ſpatium, modo haud plane diverſo illi, quo pueri ſoleant ex ſapone aqua ſoluto per ſtraminis tubulum excitare bullas, quæ ulteriore rarefactione tandem ſponte rumpantur, liquore illo iterum ſubſidente; quanquam haud dubitem aſſerere, poſſe tales & halitus & factitium aerem tumorem alicubi efformantem, urgente calore, diſcutientibus adhibitis, accedente fibrarum jam ad priſtini toni vigorem redeuntium ſtrictura retro urgeri pellique nova reſorptionis ſpecie per oſcula venarum in ſanguinem, illiuque iterum immixtum qua minima, partem antea tumidam deſerere, id quod in infantilis quoque tumore ſcroti flatulento evenire ſæpius haud dubito; interna enim æque ac externa diſcutientia tenuium ſunt partium, attenuant halitus ac diſpellunt, oſcula aperiunt, fibras ad amoliendum hoſtile flatulentum invitat & laceſſunt, mineramque ac fomitem factitii aeris, humorum viſciditatem incidunt, gluten diſſolvunt, cruditates corrigunt ac eliminant; ſic in *cel. Riverii obſ. ac curat. med.* curati leguntur tumores flatulenti tam totius corporis, quam etiam ſingularum partium e. gr. ſcroti, ſolis diſcutientibus ſacculis incluſis & calide applicatis e. gr. vili alias furfure torrefacto, qualis curatio emphyſematis a vulnere pectoris haſta inflicto p. 347. ac alia inſignis ſcroti tumoris a percuſſione in regione pubis ab equo facta ſolo cataplaſmate ex farinis hordei & fabar. ſem. cumin. flor. chamom. melil. facta recenſetur, ſimiliter in *obſ. phyſ. med. cel. Hellwigii obſ.* 130. hiſtoria tumoris ſcroti rari ad capitis infantilis magnitudinem accedentis flatulenti ſola diaphoreſi & tranſſudatione ſpontanea per poros cutis exterioris curari traditur, ubi in ſcholio *cel. Schreckius* cauſam illius tumoris in reſolutione ſeri craſſi & pituitoſi poris a frigore obſtructis quæſivit, & ſimul alius ſcroti tumoris ex Thonero ſolo reſolventium & carminativorum uſu curati mentionem fecit, ut plura alia in obſ. libris paſſim obvia ſilentio prætereaм.

Quid denique dicemus de tumoribus illis abdominis flatulentis in femina illa obſervatis? Totum vero negotium in hiſtoria recenſita paucis abſolvi poſſe videtur, habita ratione impediti potiſſimum fluxus lochialis, ſive purgationis illius poſt partum adeo neceſſariæ ac utilis, quam varia enim quamque gravia mala ſuppreſſum hunc fluxum ſequantur, quotidiana loquitur experientia, adeo ut nullus fere ſit morbus, quem non metuant, & qui non cum illius ſuppreſſione connexionem habeat, præſertim ſi tardius poſt puerperium ſuccedat menſium fluxus, uti huic noſtræ fœminæ accidit; unde a tali reſtagnatione ſanguinis tormina varia hyſterica, tenſionis abdominis variæ, anguſtiæ præcordiorum, pal-

pitationes cordis, vel in capite hemicraniæ, vel in membris externis rheumatiſmi, arthritides, & coarctatis nimium ulterinis vaſis varices, imo polypoſæ concretiones, inflammatio uteri, febris acuta, convulſiones & quæ non? oriuntur, ut hinc practici in hoc conſentiant, quod vix detur hæmorrhagia, cujus defectus tam præſentia vel tam preſſo pede ſuccedentia pericula ac damna inferat, quam ſuppreſſio fluxus lochialis, quæ a tam levi ſæpius cauſa externa, e. gr. refrigeratione corporis, potu frigido, vel animi pathemate, præcipue terrore & iracundia, ortum ſuum trahit, quorum omnium autem ratio vel ex hoc ſolo patere poteſt, quod lochia & menſes vix alia ratione differant, quam tempore, quæ enim ante conceptum erant menſes, illa poſt partum ſunt lochia ſtricte ita dicta; quantum autem ſalutis in fluxu menſium naturali, ac damni vel periculi in præternaturali ſitum ſit, omnibus notum eſt. Sed vela ſunt contrahenda, nec plura admittit pagellarum anguſtia.

Liceat nobis coronidis loco theſin pluribus probatam *diſſert. d. Tenſ. cord. p.* 8. qua dicitur, non raro inflari corpus humanum, ac ſiquis aerem ſeſe expandentem inflatione immitteret, ut & verba B. Soceri noſtri *D. D. El. Camerarii in diſſ. d. ſubſid. pro arte med. ab antl. pneum. pet. p.* 29. heic adponere; flatus per totum corporis ambitum in vaſis etiam poſſe reperiri, quis dubitet? Confirmante id authorum experientia & practicorum obſervationibus, ubi mira adeo ſæpe occurrunt phænomena, in quibus ſolvendis (quod & in aliis caſibus crebro contingit) niſi idem per idem, obſcurum per æque obſcurum velis explicare ad *το επεχειν* recurrendum erit; oſtendit clare inclytus Boyleus, productionem bullarum aerearum in minutiſſimis etiam corporis humani partibus contingere, dum obſervavit in vipera in recipiente exhauſto torta, manifeſto adparuiſſe conſpicuam bullam hind inde moveri in aqueo humore oculi; poſſe autem pari ratione e ſanguine nonnunquam aerem intertextum emergere, & ſub flatuum bullarumque forma per corporis compagem ferri, varieque lædere, nullus dubito.

T A N T U M.

ABRAHAMI

LXXXII.

ABRAHAMI VATER

ET

J. LAURENTII WEIDNER,

CHORDAPSUS CELSI

OCCASIONE

VENTRIS ENORMITER CONTRACTI

IN

HOMINE SUBITA MORTE

EXTINCTO OBSERVATI.

Witemberg. 14 Octobr. 1738.

Q. D. B. V.

VItam humanam fragilem & caducam eſſe, omnes quidem mortales ſuo exemplo comprobant, eam vero aura fugaciorem eſſe, inprimis exempla eorum confirmant, qui nullo præcedente morbo, mortis prodromo, inopinato ac ſæpe momento citius, e vivis tolluntur. Veriſſime propterea vita humana in Sacro Codice fumo, umbræ, aliiſque rebus fugacibus æquiparatur. Cur vero ac quibus ex cauſis, homines non tantum ſenes, ſed interdum juvenes, ac in flore ætatis conſtituti, robuſti ac bene valentes, ſaltem apparenter ſani, adeo ſubito, aut paucarum horarum ſpatio interjecto, e vita migrent, ob cauſas abſconditas & in obſcuro latentes, adeo manifeſtum non eſt. Obſervamus contra alios cum graviſſimis morbis conflictatos, atque manifeſta viſcerum vitalium corruptione laborantes, impatibilibus cruciatibus afflictos, propterea mortem anxie appetentes, ejuſque deſiderio oblangueſcentes, voti ſui compotes non reddi, ſed lento greſſu ad mortem properare. Communiter quidem, ubi homo ſubito moritur, vel mortuus reperitur, culpa in apoplexiam, ſyncopen, catarrhum ſuffocativum, ſine cauſæ cognitione, conjicitur, quod merito reprehendit *Nobil. Dominus de Heucher in diſſert. Academica, de erroribus circa cauſas mortis ſubitæ, antehac Anno* 1703. *hic habita.* Luce quidem meridiana clarius apparet, ipſam vitam primario conſiſtere, in circulari ſanguinis per corpus motu, huncque non tam inſtrumentum, quam ipſum vitæ fundamentum dicendum eſſe, recte indicat *Kornmannus*, autor *diſſert. de morte ſubita præcavenda*, ſub Præſidio Excellentiſſimi *Hoffmanni Anno* 1707 habitæ. Videmus quippe vitam cum ipſo circulo vitali terminari, ac non niſi eodem deſtructo, finiri. Non minus certum eſt, circuitum ſanguinis, abſque reſpiratione atque influxu liquidi nervoſi, ne per momentum continuari poſſe, adeoque intercepto hujus motu ad organa vitalia, inprimis ad viſcus primarium, cor, vel ſufflaminata penitus reſpiratione, ſanguinis circulatio illico ut deſtruatur, neceſſe eſt. Non tamen omnis ſuffocatio fit a catarrho ſuffocativo, ſicut nec in apoplexia mortuis, ſemper labes cerebri patet. Non enim adeo anguſtis limitibus cauſas mortem inferentes comprehendere licet, uti quidam antehac fecerunt, qui neminem abſque febre mori, aſſerere non dubitarunt. Nec enim ſufficit dixiſſe, hunc vel illum apoplexia, ſyncope aut catarrho ſuffocativo periiſſe, ſed ubi judicium, inprimis in foro, de morte ſubitanea ferendum, interiora corporis defuncti rimari, ac viſcerum ſingulorum conſtitutiones examinare convenit. Culter quippe anatomicus hactenus cauſas pene multas, in obſcuro latentes, ac ſpiſſiſſimis in tenebris involutas, detexit ac in lucem protraxit. Ante duos annos menſe

Decembr. cadaver hominis mortui, in via reperti, in theatrum anatomicum illatum eſt, ut præmiſſa judiciali ſectione, quo de cauſa mortis ſubitaneæ, & utrum naturali vel violenta morte homo periiſſet, conſtaret, poſtea cadaver diſſectum in publica anatome demonſtraretur. Nulla in hujus apertione ſigna violentiæ perpeſſæ apparuerunt, viſcera etiam omnia bene conſtituta fuerunt, ſolus canalis alimentorum cum abdomine extreme contractus, ac præterea polypus inſignis in aorta repertus eſt. Dignus hic nobis videtur caſus, qui in præſenti, loco ſpeciminis inauguralis proponatur. Conſiderabimus itaque enormem canalis alimentoſi coarctationem, hujuſque pariter ac mortis ſubitaneæ inde ſecutæ, cauſam enodare ſtudebimus. Faxit Deus T. O. M. ut hoc cedat in ſui honorem.

HISTORIA.

Accidit ante duos annos d. 2 Decembris, qui erat dies Dominica 2. Adventus, ut rhedarius, 24 circiter annorum, apud nobilem in prædio, dimidio abhinc lapide diſtante, ſervitia faciens, animi recreandi, ac pro more vulgi, ſtomachum cereviſiæ potu replendi cauſa, ad urbem noſtram ambularet. Hic poſtquam in caupona cereviſiaria perpotaverat, veſperaſcente cælo, ante portarum occluſionem, urbe exiit, at nondum ſatiatus, atque ſat temporis ſibi ſupereſſe ad remeandum, ratus, in ſuburbio moras nectendo, compotationem multam in noctem protraxit. Tandem domum reverſurus, viæ ſe commiſit, ſed in medio itinere morte ſubitanea oppreſſus, altero mane mortuus repertus eſt. Quandoquidem ergo, ubi de cauſa mortis non conſtabat, inſpectione legali opus fuit, juſſu Magiſtratus Academici, cui juriſdictio eo in loco competit, cadaver, vi mandati regii, in theatrum anatomicum illatum eſt, ut prius legaliter, cauſam mortis detegendi ſcopo, inſpiceretur, ac poſthac in anatome publica diſſecaretur.

SECTIO CADAVERIS.

Nihil exterius in cadavere obſervavimus, quod ullam violentiæ perpeſſæ ſuſpicionem in animo excitaret, neque etiam gelu eo tempore urgebat, ut eidem mors repentina adſcribi potuiſſet. Unicum, quod in oculos incurrebat, & admirationem omnium excitabat, fuit contractio enormis abdominis, ac retractio ad interiora, qua foveam ſat profundam, inter coſtas ſpurias atque oſſa ilei eminentia, formabat, quaſi homo diuturna inedia, aut macie conſumptus eſſet, cum tamen reliquum corpus, quoad faciem & artus, carnoſum & ſucci plenum appareret.

Aperto

Aperto abdomine inteſtina omnia adeo coarctata fuerunt, ac ſi nullam intus cavitatem haberent, nihilque continebant, ac lumbis-quaſi agglutinata jacebant. Colon quidem juxta valvulam magnam, naturalem amplitudinem ad palmæ latitudinem monſtrabat, ſed reliqua pars, quæ aſcendendo in latere dextro, ſub hepate, ventriculo atque liene tranſit, ac in ſiniſtro hypochondrio verſus inferiora reflectitur, ad principium uſque recti adeo contracta erat, ut inteſtino tenui anguſtius eſſet. Ipſe ventriculus ita anguſtatus, ut in inteſtinum illum mutatum dixiſſes, qualem figuram nobis exhibuit *Ruyſch. in obſ. anat. chirurg.* 68. *figur.* 13. Rectum tandem inteſtinum a fecibus, cunei ad inſtar intruſis, valde extenſum erat, atque veſica urinaria repleta turgebat. Dextrum ventriculi orificium, cum parte duodeni rubedine affectum, levem inflammationem arguebat, vaſa etiam ventriculi ſanguine grumoſo turgeſcebant. Reliqua viſcera abdominis æque ac thoracis, omni labe viſibili immunia erant, ſicuti etiam in apertione capitis poſtea facta, nihil peculiaris obſervatum eſt.

THESIS I.

QUandoquidem in ſectione hujus hominis nulla violentiæ ſigna reperta ſunt, neque vitium notabile viſcera monſtrarunt, ſed ſola anguſtia præternaturalis canalis alimentoſi obſervata eſt, nullibi alias, quam in tubo inteſtinorum, cauſam mortis quærendam eſſe, quilibet videt. Anguſtia enim illa canalis alimentorum abunde teſtatur, vehementes convulſiones ejuſdem præceſſiſſe mortem, utpote quæ aliunde derivari nequit. Non enim exiſtimandum, ſenſim ac tarde hanc coarctationem ortam fuiſſe, uti propter diuturnam inediam, abſtinentiam a potu, vel uſum largum potus ſpirituoſorum liquorum, abuſum alimentorum, aut medicamentorum ſiccorum, auſterorum atque ſtypticorum, aromatum, & ſi quæ ſunt aliæ cauſæ, quæ lente eundem effectum producere queunt, fieri obſervatum eſt, utpote quarum omnium cauſarum nulla in noſtro locum invenit. Potius ſolam convulſionem hic accuſandam eſſe, confirmat inſuper contentorum omnium ac potulentorum, in copia aſſumptorum, ex ventriculo & inteſtinis tenuibus expulſio, per vomitus copioſos & iteratos, quos quidem nemo vidit, cum nullus adfuerit teſtis, vacuitas tamen tubi inteſtinalis ſatis demonſtrat.

THES. II.

Eſt enim ſpaſmus, ſeu convulſio, contractio præternaturalis, valida ac violenta partium membranoſarum ac carnoſarum, ab irritatione fibrarum nervearum iiſdem intertextarum, atque hinc pendente influxu &

 preſ-

preſſione fortiori liquidi nervorum elaſtici oriunda. In tales enim ſuccuſſiones, monente *Bellino Opuſcul. propoſ. l. 2. de ſtimulis*, veniunt partes ſentientes, quoties ſentiunt, hoc eſt, in mille & frequentiſſimas contractiones & diſtractiones, quæ majoris ſunt impetus, quo vividior eſt ſenſus. Quanto enim dolor eſt vehementior, dicit *Barth. de Moor Pathol. cerebri c.* 11. *p.* 344. quanto partes afflictæ magis ſenſiles, tanto citius & gravius poterit ſuccedere convulſio. Convulſionem quidem fieri, vel a repletione, vel ab inanitione, ſtatuit *Hippocrates*; ſed hanc ſententiam optime cum neotericorum irritatione conciliari poſſe, ille l. c. exponit, remque exemplo puncturæ nervorum, quam preſſo pede convulſiones ſequuntur, illuſtrat, his verbis uſus: *Quandoquidem punctura nervi ſuppeditat argumentum maximi roboris, meo quidem judicio, ad evincendum, irritationem eſſe cauſam convulſionis, non erit inutile hanc cauſam penitius perſcrutari. Concedo convulſiones ſubſequi puncturam nervi, verum velim diligenter attendi, quomodo illud contingat? Dico ergo, non ſequitur ſtatim ab ipſo inflictu convulſio, ſed plerumque dolor vehementiſſimus, tumor, inflammatio partis affectæ, cum æſtu inſigni, ſolent præcedere. Hinc concludo irritationem ipſam non debere ſeparatim conſiderari, verum prout ſtipata eſt omnibus hiſce ſymptomatibus.* Exquiſitiori autem ſenſu præditæ ſunt membranæ, atque partes membranoſæ, adeoque irritatæ & laceſſitæ, dolores acutiſſimos excitant.

Thes. III.

Conflatur enim canalis alimentorum, ex quatuor tunicis diverſis, lamellatim ſibi invicem impoſitis. Harum exterior communis audit, quia cum partibus circumjacentibus communis, atque gulæ in thorace ſitæ, a pleura, reliquo vero canali, ventriculo atque inteſtinis a peritonæo accedere creditur, iiſdem certe continua eſt. Altera muſculoſa, ex fibris carneis longitudinalibus atque circularibus conſtat, quibus in ventriculo intertextæ ſunt aliæ, oblique excurrentes. Tertia ſub hac, tunica nervea, in canibus quidem firma atque tendinea, in homine vero ex filamentis laxius cohærentibus conſtat, unde etiam flatu immiſſo, in mirabilem cavernoſam texturam expanditur. Diverſitatem hanc tunicæ nerveæ, in præparatis inteſtinorum tunicis, ex homine & cane deſumptis, & ab invicem ſeparatis, monſtrare ſoleo in muſeo. Hæc judice *Albino*, in deſcriptione nova tenuium inteſtinorum, tunica potius cavernuloſa, altera & interna nuncupanda venit, diſtinguendo hac ratione hanc ab illa celluloſa externa *Ruyſchii*, inter communem & muſculoſam ſita, vid. *Heiſteri Compend. Anat. T. II. p.* 58. Quamvis hæc, noſtro judicio, tunica ſeparata dici non poſſit, quia eodem *Albino* obſervante, non ambit inteſtina, & ad partem ſuperiorem, a meſenterio averſam, non pertingit, ſed digiti tranſverſi circiter latitudine a meſenterio terminatur, ac pingue-

gucdinem continet, qua iſta interior penitus deſtituitur. Hanc tamen celluloſam & cavernoſam minime ipſam tunicam nerveam, ſed inter hanc & villoſam expanſam eſſe, indicat *Waltherus in diſſ. inaugural. de inteſtinorum anguſtia, ex obſirmato eorum habitus vitio* §. 5. qua de re ita exiſtimare cœpit, ex quo experimento, ita forte cedente, novo ac longe minori contextu aliam, ſed veram & diſtinctam, firmioremque nerveam tunicam, a muſculoſa ſejungi vidit, uti ibidem profitetur. Perluſtravi propterea oculo nudo & armato, omnes inteſtinorum portiones, in quibus tunicam iſtam celluloſam præparavi, quarum haud mediocris eſt numerus, utrum forte tunicam talem nerveam, ab expanſo iſto lanuginoſo & celluloſo diſtinctam, obſervare liceret, ſed voti compos redditus non fui. Aſſervo etiam tunicas inteſtinorum ab invicem ſeparatas, in liquore pendulas, in quo præparato tunica nervea, inſtar telæ laxius contextæ, apparet, per quam vaſa ſanguifera intertexta, elegans ſpectaculum exhibent, nihil vero inter hanc & muſculoſam, cujus fibræ annulares nudæ, ac nulla alia membrana tectæ conſpiciuntur, obſervavi, quod tunicæ nomine venire poſſet. Propterea tamen nullatenus id negandum cenſeo, ſed ulteriore indagine dignum judico. Quarta tandem & ultima canalis alimentoſi tunica villoſa, a villis tenuiſſimis, quaſi in holoſerico, in ſuperficie interna eminentibus, ita dicta, in qua *Ruyſchius* papillas obſervavit, ac villo papilloſam eam appellavit, *Helvetius* vero hos villos meras papillas eſſe, pronunciavit, ac propterea tunicam potius papillarem appellandam eſſe judicavit. Videntur autem hæ eminentiæ nihil aliud eſſe, quam apices vaſorum ſanguiferorum, qui repletione materia ceracea colorata facta, eriguntur ac turgidi evadunt.

Thes. IV.

Hæ tunicæ canalis alimentoſi, uti ſubſtantia diverſæ ſunt, ita etiam uſibus ſpecialibus deſtinatæ. Tunica quippe villoſa organon ſecretionis eſt, in qua ex extremis arteriarum propaginibus, tranſſudat perpetuo latex lymphaticus, quo irroratur canalis, atque intus contenta alimenta ſolvuntur. In inteſtinis præterea tenuibus per hanc tunicam, quæ accuratius examinata, cribri inſtar, copioſiſſima foraminula monſtrat, percolatur chylus, atque ad vaſorum lacteorum oſcula ducitur. Altera, nervoſa dicta, ſenſum canali alimentorum conciliat, quo ille adeo exquiſito pollet, ut, ſicut a gratis alimentis, naribus perceptis, aut lingua ſaltem deguſtatis, appetitus, ita ab ingratis nauſea, vomitus ac purgatio per inferiora ſequatur, & a quocunque ſtimulo irritata hac tunica, dolores acutiſſimi, ſpaſmi ac motus convulſivi oriantur. Tertia, muſculoſa vocata, ex fibris carneis conſtat, quarum ordo, obſervante *Heiſtero in comp. anatom. n.* 209. in ventriculo varius, & quaſi inextricabilis, cum quædam quaſi circulares a parte ſuperiori ad inferiorem deſcendant, aliæ

 in

in ſuperiori ventriculi parte, inter utrumque orificium, aliæ a ſiniſtro orificio ad dextrum oblique excurrant, quædam orificia ambiant. In œſophago vero & inteſtinorum tubo annulares atque longitudinales, & hæ quidem in inteſtinis rariores, ac maxime in parte meſenterio oppoſita, obſervantur. Hujus muſculoſæ beneficio, gaudet canalis alimentorum motu dilatatorio ac conſtrictorio, qui periſtalticus dicitur, in gula atque ventriculo, extra deglutitionis atque digeſtionis actum, obſcuriori, in inteſtinis autem manifeſto ac perpetuo & ſucceſſivo, quo lumbrici reptatum repræſentant, propterea ab *Albino l. c.* lumbricali dicto. Quarta tandem & extima membranoſa, communis dicta, connexionem atque ſitum naturalem viſcerum internorum conſervat.

Thes. V.

Quemadmodum igitur motu hoc naturali periſtaltico, juvante actione diaphragmatis & muſculorum abdominis, alimenta in ventriculum deglutita, abſoluta in eo digeſtione, per orificium dextrum ad inteſtina, ac per horum longum & anfractuoſum ductum, uſque ad inferius guttur feruntur; ita non raro contingit, ut non tantum ventriculi contenta, ſed etiam, quæ longius jam per inteſtinorum tenuium canalem progreſſa ſunt, imo in extremo caſu, ipſa excrementa, motu convulſivo, eoque inverſo & retrogrado, verſus ſuperiora urgeantur, atque vomitu rejiciantur, quem motum antiperiſtalticum vocant. Hunc ad eum uſque gradum interdum augeri, atque adeo vehementem fieri poſſe, ut non tantum alimenta & excrementa, ſed etiam clyſteres injecti, atque, quod magis mirum eſt, ſuppoſitoria per os rejecta ſint, autores tradunt. Duos tales caſus *Sennertus lib.* 3. *prax. p.* 2. *ſ.* 2. *c.* 1. conſignatos reliquit. Primam, a *Jo. Matth. de Gradibus* obſervatam, hiſtoriam puellæ duodecim annorum, qua illa ileo laborans, non modo feces, ſed clyſteres injectos, & poſtea malo per triduum invaleſcente, ſuppoſitorium pariter, & inſuper, quod fere omnem fidem ſuperat, duo alia ſuppoſitoria, alterum ſimplici, alterum quadruplici filo ad coxam alligata, ruptis his vinculis, vomitu rejeciſſe fertur. Alteram, a *Jacobo Oetheo* obſervatam, qua partem candelæ ſebaceæ, ſuppoſitorii forma in anum immiſſam, poſtero die a fabri ferrarii Toldani uxore per os rejectam eſſe, dicitur. Peculiarem hac de re quæſtionem movit *Andr. Flach Argentinenſ. in diſſ. inaugural. de paſſione iliaca quæſt. 6. num motus periſtalticus in ſtatu præternaturali inverti adeo poſſit, ut non ſolum feces alvinæ, ſed & clyſteres immiſſi, nec non ſuppoſitoria applicata, per os rejiciantur?* Hic licet id de fecibus alvinis ac clyſteribus admittat, de ſuppoſitoriis tamen negat, aut ſaltem dubitat.

Thes. VI.

Hæc utcunque tradita ſunt, in medio quidem relinquimus, propterea tamen motus antiperiſtalticus canalis alimentoſi non penitus negari debet, uti fecerunt *Haguenot Societ. Montiſpeſſul. Socius*, *&* *de St. André Societ. Angl. Sodalis.* Hi quippe *in Bibliotheca Angl. T. II. Part. II. Artic. VIII. p.* 492. motum inteſtinorum præternaturalem antiperiſtalticum, ex iliaca obſtructione ortum ducentem, allegatum oppugnarunt, cumque imaginarium eſſe judicarunt, malum iliacum, non per obſtructionem inteſtinorum, ſed per violentam muſculorum abdominis contractionem produci, affirmantes. *Dn. de St. André* ſeorſim Anno 1717. d. 21 Mart. ſuam, circa ilei naturam, erga Societatem Anglicanam explanavit mentem, ſupponendo morbum hunc conſiſtere in contractione violenta muſculorum abdominis, inductam a reſiſtentia contentorum in inteſtinis. Ex comparatione enim ſymptomatum in hoc morbo obſervatorum, cum iis, quæ concomitantur hernias, manifeſtum eſſe, Chordapſum, *Celſo* dictum, eſſe morbum, in quo inteſtina & omentum, interdum etiam pancreas, lien & meſenterium ipſum, ita verſus ſuperiora propellantur, ut per diaphragma dilatatum, vel ruptum, in thoracem penetrent. *Celſo* autem, monente *Goblio* in *Act. Berolin.* hic affingitur deſcriptio morbi, quam nemo unquam iiſdem expreſſionibus ibi inveniet. Ita enim *Celſus l.* 4. *de medicina cap.* 13. *Diocles Caryſtius tenuioris inteſtini morbum Chordapſum, plenioris ileon appellavit. A pleriſque video nunc illum priorem ileon, hunc colicon nominari.* Confirmare inde im *St. André* ſuam ſententiam nititur, ſectione hominis, in qua muſculos abdominis adeo contractos invenit, ut fere impoſſibile fuerit, eoſdem cultro acutiſſimo perforare, colon vero & maxima pars omenti, per dilatatum diaphragma eo in loco, quo nervus intercoſtalis tranſit, in thoracem pene raſſe, obſervavit. *Dn. Haguenot* vero ſententiam ſuam inſeruit *Diario Academ. Scient. Pariſienſis Anno* 1713. qua excluſo omni motu antiperiſtaltico, a ſolo motu diaphragmatis & muſculorum abdominis dichrono & reciproco, & naturalem & præternaturalem in inteſtinis, contentorum progreſſum perfici, ſtatuit. *Vid. Acta Med. Berolin. Dec.* 2. *Volum. IV. n.* 1.

Thes. VII.

Dicto loco, auctor horum actorum *Goblius* examinavit, pluribuſque argumentis confutavit hanc theoriam, monſtrando, allegatum a *St. André* caſum nihil aliud evincere, quam quod dentur caſus, qui præ ſe ferant externam ſpeciem paſſionis iliacæ, in vera tamen rei eſſentia, ſiſtant morbum, in læſione ſitus partium conſiſtentem, admodum rarum, quem apto nomine, herniam ventriculi appellari poſſe, idem exiſtimat, ad

ad quem violenta magis cauſa omnino requiratur, quam in ordinaria paſſione iliaca. Dicit autem *idem*, theorema iſtorum virorum merum ſapere mechaniſmum, & neceſſitatem immutabiliter, ſecundum conceptum & præjudicium, fiendi implicare, quod autem a corpore vivo, & a principio, libertate agendi inſtructo, longe alienum ſit. Supponit quippe in corpore animali vivo, motus non pro ſimpliciter mechanicis, ſed mechanico-organicis habendos eſſe, totumque corpus vivum, ſyſtema nervoſo-fibroſo-tubuloſum, inſervire ſuo moderatori pro inſtrumento, mediante quo, fluidarum partium curſum ex arbitrio dirigere queat. Hac ratione cadere omnia, a *Haguenotio* ſuppoſita, & contra motum inteſtinorum periſtalticum mota dubia, concludit, dicens, Mechanicos iſtos contrarios, in eodem viſcere, motus non capere, utpote qui cum puro puto mechaniſmo conciliari non poſſint. Negotium tamen ex organiſmo optime explicari poſſe putat, qua anima, quæ vitæ præſidium tenet, agat vel faciat pro lubitu.

THES. VIII.

Nos quidem nullatenus cum dictis viris *Haguenotio* & *de St. André* motum antiperiſtalticum negantes, facere poſſumus, ſed potius cum *Goblio* judicamus, neminem ſibi perſuaderi paſſurum, inteſtina in morbo iliaco manere in inactione, & habere ſe inſtar utriculorum plenorum, ab extra ſaltem compreſſorum. Nullatenus tamen fundamentum hujus theorematis, cum *ipſo* mechaniſmo tribuimus, ſed potius mechaniſmi male applicati, vitium eſſe judicamus. Nemo mechanicorum, præter dictos viros, negavit motum antiperiſtalticum, omnes admittunt, motus contrarios, diſtinctis temporis momentis, in canali alimentorum, fieri poſſe, & eodem quoque tempore, in diverſis ejus partibus peragi, uti ipſa experientia id confirmat, ac vel ſola cholera evincit. Sed quis motus contrarios, uno eodemque tempore, ac in una eademque parte, fieri credat, aut unquam obſervavit? Quis ſibi perſuadere poterit, animam pro lubitu, hos motus contrarios, producere poſſe? Videmus quippe animam, omni ſua cogitandi vi, qua pollet, efficere non poſſe, ut pulſus cordis & arteriarum per momentum ceſſet, ut motus periſtalticus inteſtinorum quieſcat. Aliter ſe res habet cum motibus mixtis earum partium, qui propter nervi vagi ac intercoſtalis conjunctionem fiunt, adeoque partim involuntarii, partim voluntarii ſunt, de quo vid. *Vieuſſens in Neurographia l.* 1. *cap.* 20. *& lib.* 3. *cap.* 4. Quemadmodum autem motus naturalis & digeſtorius contentorum, eorumque per canalem alimentoſum promotio, æque ac fecum excluſio, non ſolo motu periſtaltico inteſtinorum perficitur, ſed actione diaphragmatis atque muſculorum abdominis reciproca, apprime juvatur, ita quoque in malo iliaco, ac aliis morbis, vomitus non a ſolo motu antiperiſtaltico inteſtinorum pendet, ſed diaphragma atque muſculi abdominis, utpote cauſæ ſociæ, ſimul

ſimul agunt. Comprobat hoc pulchro experimento, frequenter facto, *Bayleus in Inſtit. Phyſic. Tom. III. Tr. II. l. 2. c. 2. ſect. 1. diſp. 1. artic. 7.* ubi docet, ſi cani cum cibo aut potu, detur ſublimatum corroſivum, ſtatim ac ventriculus veneni aculeis pungitur, potum ingeſtum rejici vomitu, hunc tamen abdomine aperto, ſtatim ceſſare, ſed mox redire, ſi partes abdominis ſejunctæ conſuantur.

Thes. IX.

Sed revertendum nunc ad noſtrum caſum, ut videamus, quonam morbo defunctus laboraverit, qui illum tam ſubito, & adeo brevi temporis intervallo, jugulavit. Nullam viſceris nobilioris labem manifeſtam adfuiſſe, ex ſectione cadaveris, ſupra expoſita, conſtat. Sola itaque conſtrictio præternaturalis, totius canalis alimentorum ſupereſt, quæ de morbo fatali teſtatur. Hanc vero non aliunde, quam a prægreſſo ſpaſmo ac motu convulſivo, a ſtimulo atque dolore undecunque orto, derivari poſſe, ſupra vidimus. Quamobrem colicam convulſivam, aut malum iliacum hic accuſandum eſſe, quilibet videt. Utrumque quippe inteſtinum, vel totum potius canalem affectum fuiſſe, circumſtantiæ, in ſectione annotatæ, declarant. Cauſas mali iliaci ex ſectione cadaverum, allegat *Ruyſchius in obſerv. anatom. chirurg.* 91. primum nervorum in inteſtinis, ſi non in totum, ſaltem ex parte obſtructionem; unde inteſtina præſertim tenuia otientur, ac a motu periſtaltico deſiſtant, ſecundo, obſtructionem inteſtinorum a fecibus, rebus præternaturalibus e. g. oſſibus ac ſimilibus ſolidis deglutitis, tertio, ſuſceptionem ſeu ingreſſum inteſtini, quarto, contractionem & coarctationem inteſtini, quinto, herniam inteſtinalem, ſexto, inflammationem inteſtinorum. In noſtro exemplo, tum obſtructio inteſtini recti a fecibus ſpiſſis, in illud cunei inſtar, intruſis, & ilei circa valvulam Bauhini, unde principium coli, juxta illam extenſum, repertum fuit, tum coarctatio non partis inteſtini, ſed totius canalis, tum etiam inflammatio in duodeno ac jejuno adfuerunt. Quænam vero harum cauſarum prior reliquis extiterit, ac iſtas produxerit, difficile determinari poteſt. Sufficit, quod unaquæque earum ad morbum excitandum, ac niſi removeri queat, mortem inducendam, apta ſit.

Thes. X.

Hoc tamen mirum, mortem adeo brevi temporis intervallo inſecutam fuiſſe, cum alias homines, interdum ileo fataliter decumbentes, per plures dies torminibus atrociſſimis, aliiſque graviſſimis ſymptomatibus affligantur, antequam vitæ finis imponatur. Accelerationem mortis in noſtro maxime tribuendam eſſe, polypo ex aorta juxta lumbos prodeunti, non ſine ratione judicamus. Concreta talia fibroſa, quæ polypi appellantur, in vivis non præexiſtere, ſed nihil aliud eſſe, quam ſanguinem, poſt animalium

 mor-

mortem refrigeratum & grumoſum, aſſerere auſus eſt *Kerckringius ſpicileg. anat. obſ.* 73. eoſque ideo pſeudopolypos appellavit. Polypos tamen veros a ſanguine grumoſo toto cœlo differre, ipſa autopſia monſtrat, taleſque haud raro in cadaveribus reperiri, ſectiones anatomicæ confirmant. Eoſdem etiam in corde ipſo, aut canalibus circulantibus hærentes, pro ſubjecti, in quo latent, item magnitudinis, conformationis atque ſitus diverſitate; inſignes in viventibus ludere poſſe tragœdias, nemo inficias ibit, qui œconomiæ animalis levem ſaltem notitiam habet. Sanguinis quippe motum retardando atque turbando, varia ſymptomata, palpitationes cordis, lipothymias, aſthma, ac, ſi inprimis grandiores ſint, aut loco moveantur, apoplexiam, ſuffocationem, ipſamque mortem repentinam producere poſſunt. Quandoquidem igitur in noſtro polypus, in reſectione aortæ, in regione lumborum, nullibi adhærere viſus eſt, ſed ex arteria libere prodiit ac excidit, haud levis adeſt ſuſpicio, eundem forte ſublimius in aorta hæſiſſe, & ſive ob convulſiones, ſive alia ex cauſa, ſede ſua exturbatum atque propulſum, circulum ſanguinis in meſenterio ac reliquo canali alimentoſo cohibuiſſe, quod turgeſcentia vaſorum meſentericorum ſuadet. Huic enim obſtaculo, libero ſanguinis, per aortam inferiorem, progreſſui oppoſito, adſcribendum eſſe judicamus, quod dolores & motus convulſivi in inteſtinis eo uſque increverint, ut his una cum muſculis abdominis ad interiora validiſſime contractis, accedente convulſione reliquorum abdominis viſcerum, ac ipſorum truncorum circulantium, circuitus ſanguinis vitalis interceptus, vitæque finis impoſitus fuerit.

FINIS.

JOHAN.

LXXXIII.

JOHAN. ZELLER

ET

IMMANUEL WEISMANN

DOCIMASIA, SIGNA, CAUSÆ

ET

NOXA VINI LITHARGYRIO MANGONISATI, VARIIS EXPERIMENTIS ILLUSTRATA.

Tubing. 23 April. 1707.

Σ. Θ.

E*Quidem mens erat*, *hanc*, *quam ſupremis*, *ut ita dicam digitis tactam jam ſiſtimus*, Diſſertationis Inauguralis, *materiam fuſius excutiendi*, *atque variis experimentis*, *non ab uno hinc inde artis* Antiſtite *curioſo non minus*, *quam felici ſpecimine factis*, *clarius illuſtrandi*, *idque eo magis*, *quo plus labes quædam* epidemica *non tam ægrotantium viſcera*, *quam medentium animos hactenus torſerat*, *imo quoſdam vina noxia dulcedine adulterata bibere ſolitos letho dederat*, *& funere merſerat acerbo. Non licuit autem illud præſtare*, partim, *quod varia nobis intervenerint negotia*, partim, *quod nimis cito* Solennitas Doctoralis *dies indictus ſit. Coacti hinc fuimus in compendium omnia redigere*, *atque breviſſimis exequi*, *quod prolixius* Lectori Benevolo *ſiſtere voluimus.* Faveat *Deus* T. O. M. inſtituto noſtro.

CAPUT PRIMUM.

Recenſens Phænomena.

§. 1.

TEmere ſatis, ac infauſto ſpecimine repetitæ fuerunt præterito anno 1705. quo propter aëris inclementiam nec uvæ maturitatem, nec vina dulcedinem ſuam erant adepta, peſtiferæ illæ fraudes vinoſæ, *die Wein-Verfälſchungen*, quæ ante duo, & quod excurrit, luſtra ob eandem vini immaturitatem & auſteritatem *Sueviam* noſtram permearunt: prius autem iſtæ jam a plurimis adhinc annis imo ſeculis circa vina factæ ſunt, affirmantibus id receſſuum ab annis 1487, 1498, 1500, 1548, & 1577. ab Imperatoribus factis promulgationibus. Videantur quæ in E. N. C. Dec. 3. A. 5. & 6. obſ. 261. a Celeberrimo Dn. D. *Reiſelio* juſſu *Sereniſſimi* typis excuſa ſunt; quos receſſus ſi cui libuerit integros, eoſque ab erroribus typographicis correctos, una cum *Conr. Celtis primi inter Laureatos Germanos Poetæ* gravi invectiva in vini corruptores adſpicere, legat JCtiſſimi Dn. *Joh. Phil. Dattii*, *Conſiliar. Würtemb.* fol. 632. uſque 639. in Voluminis Rerum Germanic. Noviſſ. de Pace Publ. lib. 3. cap. 14. Non autem in ſola noſtra *Suevia* artes hæ malignæ reſurrexerunt, quibus vina acida, aſpera & auſtera ad bibaculorum palatum nebulones accommodarunt, ac lithargyrio & marcaſita edulcorarunt. Sed & eodem plane tempore, anno ſcil. 1695. eadem penitus methodo, eodemque infelici ſucceſſu parilis fraudulentia in aliis vel regnis, vel regionibus

obſervata fuit, in *Gallia* præſertim, (cui alias natales ſuos dicitur debere,) ac *Lotharingia*, ita ut Rex, qui nec minores circa vina fraudes fert, diras contra ejuſcemodi Impoſtores pœnas capitis exercere, & ad triremes relegare illos coactus fuerit. Nec ab his mangoniſationibus *Auſtria*, nec *Franconia*, nec etiam loca *cis & trans Rhenana* audiebantur immunia.

§. II.

Tutius alias inclementioribus iſtis temporibus vina acida & aſpera edulcorare nonnulli ſtuduerunt, paſſulis nempe, ſaccharo, aliiſque aromatibus, quod, licet non cum periculo hominum fiat, non tamen ſine fraude ſuccedit, dum vina acida divendere pro generoſis cariori pretio conantur. Alii vina nobiliora dulcia reddunt, muſtum a fermentatione impediendo, quæ vulgo *Gefangene Wein* dicuntur; qualia ſunt *Gallica*, *die Franzwein*, quæ Angliæ, Belgio præprimis, atque Regnis Septentrionalibus pro potu ordinario inſerviunt, in loco autem ſuo natali talem ſaporem non habent. Hæc vina cum tenuioribus noſtrates miſcent, ut majorem ipſis gratiam atque dulcedinem concilient.

§. III.

Maledictum vero illud artificium eſt, quo deteſtando conamine, ac temerario auſu lithargyrii vel Saturni ſaccharo, vel vitriolo vina immatura, acida, & auſtera grata atque dulcia reddunt, & ſub iſta dulcedine ficta generoſiora illa ac fortiora quaſi exhibent.

§. IV.

Præſtant hoc variis modis. Nonnulli, teſte *Brunnero* in E. N. C. A. 4. Dec. 3. obſ. 92. lithargyrium in ſubſtantia vinis immittunt. Biſmuthum alii huic addunt, abſque, vel cum tæniis ſulphuratis. Alii tincturam inde parant, ac certa doſi vinis illam immiſcent. Diu autem vina hæc hoc modo infucata dulcedinem & ſuavitatem ſuam non retinent, ſed ſpatio 3 vel 4 menſium illam vel dimittunt, vel tenuia admodum evadunt. Jubent hinc impoſtores, ut, quantocyus fieri poſſit, vendantur.

§. V.

Turbæ & ſymptomata, quæ ab adulterato hoc vino moventur, varia ſunt, pro diverſitate temperamentorum, naturæ roboris, vitæ generis, quantitatis hauſtæ, atque continuationis. Qui eo ſeſe ingurgitarunt nimium, dolores capitis enormes paſſi ſunt, deliria, furorem quaſi maniacum, atrocioremque longe, ac ab alio meri potu nimio, & ad ebrietatem uſque

uſque hauſto fieri ſolet, diutius multo durantem, pectoris & præcordiorum gravitatem, dolorem, tuſſim & febrem. Quibus potus hic vel quotidianus, vel frequentior eſt, non tamen adeo largus ad inebriationem uſque, illico quidem exinde non læduntur, ſenſim autem ſenſimque varia experiuntur mala, quæ cum ab initio levia ſint, neque curant, neque animadvertunt; ſucceſſive autem dolorem hypochondrii ſiniſtri, ventriculi gravitatem, inflationem & tabem ſentiunt: alius robuſtior pariles ſtomachi dolores, tolerabiles tamen ſuſtinuit, ab initio mox ceſſantes, mox redeuntes, dolorem gravativum circa præcordia, de quo tamen primis annis graves querelas agere noluit; huic aſthma ſucceſſit perpetuum, certis temporibus ſuffocationem minans, non niſi largiſſimis & frequentioribus cedens venæſectionibus: intermedio tamen tempore reſpiratio facilior erat, ita ut operæ ſuæ vacarit. Crevit autem aſthma, pedes intumuerunt, evanuit appetitus, corpus a parciore paſtu multo ſudore diffluxit, vinum etiam generoſum tolerare non potuit, pectus aqua replebatur, donec rupto ventriculi poſticam mediam & ſiniſtram partem occupante abſceſſu, non autem niſi poſt mortem cognito, ſanguineque cum multo pure rejecto obiit. Alius ab eodem potu frequentiore, non tamen exorbitante, in tormina levia ventriculi incidit, quæ, poſtquam ſeſe inebriaſſet, elapſis poſt aliquot horis adeo acuta fuerunt reddita, cum tanto ardore, quaſi continuus ignis ureret in ventriculo, ut vix eadem tulerit. Febris hinc accendebatur continua, cum deliriis, perpetuo ventriculi ardore, & dolore certi alicujus ſpatii in ſiniſtro hypochondrio, (quod præ dextro ſolet affici;) magnitudine quartæ partis floreni, conſtante ad hunc uſque diem, licet nunc mitior longe ſit, per decem jam menſes durante. Diu miſeram vitam æger traxit, totus contabeſcens, melius tamen nunc ab aliquo tempore degens. In *vietore*, qui exitialem & diabolicam hanc artem bene calluit, atque ante duo jam luſtra, cum multorum nece ac damno, neſcius forſan tum, num adeo maligna ſit, exercuit, eamque præterito anno 1705. repetiit: iſtius tamen tam feriæ ac ſeveræ Prohibitionis optime gnarus, ac tantam ſtragem inde illatam, tantaque mala ab ea inducta fuiſſe, (poſtquam cognoverunt medici, illam tot ſymptomatum cauſam eſſe, & originem, atque hinc in Caupones & Oenopolas ſeveriſſime inquiſitum fuit, utut alii transfugæ vitam ſalvarint ſuam) nihiloſecius pagos hinc inde dolo malo permeavit, cauponibus tincturam ſuam, tanquam innocens medium & mixturam, in ſe humanis corporibus non damnoſam, cum additamento, ni miſceatur & bibatur nimium, doloſe, & ſub variis ſpecioſis prætextibus dedicavit, obſtinate extulit & obtruſit: atat ob nefandum id ſcelus præprimis propter vinorum totupliciter commiſſam falſificationem & damnoſam iſtius artis diſſeminationem elapſo anno capite plexus ſectioni publicæ (*juſſu Sereniſſimi Domini Noſtri, qui ſingulari Gratia in ſtudia tot quovis anno nobis cadavera concedit, atque ſuis advehi ſumptibus curat, quot ab Ipſo ſubmiſſe*

petun-

petuntur; pro qua Ducali Clementia publicas Ipſi atque humillimas gratias dicimus, & omnia proſpera Tanto Principe digna vovemus) ſubjectus fuit, in quo ſequentia fuerunt obſervata: ventriculus erat inflammatus, potiſſimum in ſiniſtra parte: hinc omnia vaſa capillaria, quotquot ibi exiſtunt, turgebant ſanguine, adeo inde conſpicua, ut ceram illis injectam fuiſſe putaſſes, abſque tamen corruptione ſubſtantiæ, ejuſque corroſione. Inteſtina cernebantur ſalva, & quidem tam duodenum cum reliquis tenuibus, quam craſſa; glandulæ eorum erant naturalis magnitudinis, æque ac illæ in Meſenterio, ut nec minimus in illis tumor viſus fuerit. *Vaſorum lacteorum* ramificationes in inteſtinis ſucco lacteo ſeu chyloſo tumebant omnes adeo nitidæ in toto jejuni ac fere ilei decurſu, ut cujuſvis ramuli majoris ex dictis inteſtinis verſus pancreas Aſellii egredientis (qui innumeri ſunt æque ac ſanguivehi) origines capillares eodem modo, ac vaſorum ſanguivehorum extremitatum ramificationes multivariæ per felicem alias ceræ injectionem conſpicuæ egregie videri potuerint, & ultra menſem ita perſtiterint. Chylus in illis erat difficulter mobilis. Maleficus parum edit, neque ipſo executionis die, neque antecedentibus; hinc & ventriculus & inteſtina tenuia chylo & excrementis obſervabantur vacua. *Lien* erat putridus ea parte, qua ventriculum reſpicit ad medium uſque corpus ſuum. *Hepatis* (quod admodum intumuit, & ad lienem uſque exporrectum fuit, cui etiam adhæſit,) pars concava colorem habuit lividum & cœruleum, abſque tamen corruptione. In aliquibus *pulmonum* partibus, ut & in *pleura* varia apparuerunt *inflammationum* ſtigmata.

§. VI.

Cæterum communiſſima & frequentiſſima ſymptomata a vino iſto produci ſolita fuere colica convulſiva, tuſſis, aſthma, halitus ſtercoraceus, alvi conſtipatio, pareſis, arthritis, & tandem convulſiones, quæ mors excepit ægrotantibus dolorum ſævitie conſumptis atque emaciatis. Variant autem illa, nec omnia pro ſubjectorum aliarumque ſupra memoratarum circumſtantiarum varietate uno modo ſeſe habent, ut quivis medicus præter conſueta & familiaria quoque particularia obſervaverit; *Vicarius* in E. N. C. Dec. 3. A. 4. obſ. 100. hæc notavit: *Omnes, quotquot biberunt, conſtrictionem gulæ & compreſſionem, dolorem, ac ulceroſam diſpoſitionem,* (ut ſibi ipſis videbatur) *ventriculi ac præcordiorum patiebantur, quibus acceſſit, neſcio, quæ colica & circa ventriculum & circa umbilicum, hinc & excrementa in ſcybala cogebantur, conquerebantur multoties de flatibus moleſtis, qui tamen nec ſurſum, nec deorſum efflabantur, excepit priora ſymptomata vehemens & inanis tam dejiciendi, quam urinandi conatus & teneſmus. Urina penes tincta erat, ac continuo turbabatur. Pulſus erat durus & tardus, æqualis tamen, flaveſcebat albugo oculorum, genæ ſolæ rubebant, facies cætera virorem judaicum præ ſe ferebat, ſicceſcebat os,*

ac

ac vomituriebant, *anxiique inſigniter toto temporis decurſu erant*, *quam anxietatem adauxit horrida & inſignis cordis palpitatio.* Eadem ſigna & ſymptomata etiam apud *Gockelium* & *Jægerſchmidium* reperies. Multi tamen, imo innumeri ab eo læſi non fuerunt, utut ad ebrietatem uſque illud hauſerint: alii leviter ſolum.

§. VII.

Excuſavit autem lithargyrium in vinis eo mangoniſatis inſigni verborum pompa medicus quidam Hafnienſis *Seerup.* in *Triumpho ſuo Lithargyriatorum*, ſeu diſputatione Medico-Chymica eruditiſſima ſane, multiſque experimentis tam propriis, quam ab Authoribus collectis referta, qua ſaccharum ♄ni a *Joh. Victor. Jægerſchmidii*, *Medici & Phyſici tum Ulmenſis*, *nunc Giengenſis* animadverſionibus in tractatu, cui titulus eſt, *Der in denen durch die Silberglette beſtrichenen Weinen verborgene*, *nun aber entlarffte* ☿ius, contentis vindicare magnopere allaboravit, atque contendit, omnia iſta mala a vini hujus potu obſervata non a lithargyrio, ſed ab +do potius auſtero vini immaturi provenire, inſontem ♄num accuſari, ac morbos iſtos falſo illi adſcribi, idque ex ſequentibus rationibus, quas ex diſputatione breviter recenſebimus, cum in paucorum manibus illa verſetur. Scilicet, quod eadem ſymptomata, & quidem colica, quæ communiſſimum conſtituit, & a lithargyrio deducitur, ab acido auſtero vini nondum maturitatem nacti, ſint derivanda; quia ipſe *Jægerſchmidius* in affectibus colicis producendis acidum in vino latitans ex *Drawizio* de ſcorbuto, *Sennerto* & *Helmontio* recenſuerit, & *Theodorus Zwingerus* in E. N. C. Dec. 2. A. 6. p. m. 497. colicam in juvene cum motibus convulſivis ex vino nimis acerbo & auſtero immodice ingurgitato obſervaverit; *Waldſchmidius* in monit. medic. colicæ habitualis & endemiæ ex vino acido oriundæ meminerit; & *Boyle* de utilit. ſimpl. med. p. 162. colicam famulorum textrinæ Magiſtri copioſis aceti vaporibus in ipſius opere adhibitis adſcripſerit, *Wepferus* hanc integra monaſteria invadentem ab auſtero vino albo in E. N. C. Dec. I. An. 2. obſ. 39. deduxerit. *Alvi conſtipationes* naſci ob vinorum acidorum vini adſtringendi maximam fluida coagulantem, ut albuminis ovi a ſpiritu ſalis, lactis a ſucco limoniorum, +to & ſpiritu ſalis; infringere acida vina vim purgantium, teſte linearum medicarum apelle-medico *Riedlino* lin. med. 10. ann. 1697. menſ. April. Menſes inde ſufflaminari; *tabem* provenire ab illo ob denegatam bene nutriendi facultatem, teſte *Galeno* de ſucco bon. & vit. cap. 2. Oriri artuum dolores ab eodem vino ob vermes copioſiſſime in eo ſcatentes; evincere id omnia medicamenta anticolica, *Jægerſchmidio* familiaria, oleoſa ſcilicet, vinum aduſtum, vomitoria, terebinthinata, chalybeata, cinnabar. & ☿rialia, tanquam anthelminthica. Porro, quia *Jægerſchmidius* ex Dioſcoride lithargyrium ve-

nenoſæ naturæ eſſe dixit, & quod ex hoc capite dicta ſymptomata producere debeat, illum rejicit, ceu rei metallicæ ignarum, quod exinde eluceſcat, quia ☾am materiam lithargyrii ſtatuat. Nec admittit argumentationem a fumis vel hujus vel aliorum metallorum, ad eorum naturam venenatam concludere, cum nec vinum, nec carbones, nec candelæ, nec ſulphur venena ſint, utut eorum exhalationes vel ſuffocent vel convulſiones pariant. Nec procedere id, quod referente *Borello* ex nimio ſacchari ♄ni uſu quidam paralyticus evaſerit; & obſervante *Riedlino* maniaca inde contabuerit. Lin. med. ann. 1695. menſ. Maj. lin. 31. cum aliud ſit uſus, aliud abuſus, hocque modo optima fieri peſſima poſſint. Nec exitium afferre ♄ninis obſervationes practicorum, e. gr. Timæi de *Guldenklee*, qui libr. 7. de morb. malign. & venenat. caſ. 10. narrat, figulum, quotieſcunque in fictilibus incruſtandis occupabatur, in dolores inteſtinorum vehementiſſimos incidiſſe cum præcordiorum inſigni anguſtia & reſpirandi difficultate, membrorum tremore, totius corporis maxime vero articulorum debilitate. Nec *Waldſchmidii* obſervationes quid obtinere de figulorum quorundam contractura & paralyſi, eorumque colore faciei cadaveroſo; & figuli cujuſdam uxoris arthritide, cum ipſe *Timæus* plumbum ſtrenue vindicet, quod crudum & integrum intra corpus ſumptum nil damni inferat, & incommoda hæc potius a ♄no uſto, & in pollinem redacto naſcantur, figuliſque nil horum accidat, ſi plumbi liquore convenienti ſubacto & humectato ſua incruſtent fictilia. Denique a plumbo uſto ad vinum lithargyriatum non felicius procedere conſequentiam, quam a ♎to ☿riali ad liquores hydrargyro affuſos; indeque colligit, tantam noxam male illi attribui; conſtare enim, quoad externum ejus uſum illud chirurgorum columnam eſſe, uti omnes fatentur: uſum ejus internum ſatis felicem evincere, eo debellatos affectus ſpleneticos ex acido oriundos, malum hypochondriacum, phlogoſes corporis ſubitaneas, colicas a bile æruginoſa, ſcorbutos, peſtem, quartanam rebellem, pulmonum aliarumque partium exulcerationem, teſtibus *Ettmüllero*, *Grülingio*, *Glaubero*, *Dolæo*, aliis. Propinari aquam Saturni verminoſis ſummo cum fructu, mortique proximos illam reſtituiſſe, docentibus *Harlæo*, *Danſæo*, *Welſchio*. Leproſos curaſſe ſpiritu ♄ni *Hartmannum*; hunc in mania *Paracelſi* ſpecificum fuiſſe, atque in gonorrhœa, variolis, omnibuſque inflammationibus internis optime conducere, teſte *Bateo*, *d'Aviſſon*, *Ettmüllero*, & *Dolæo*; fortunatum Arcani medicorum ſiderati, Amuleti ♃alis & ☿rialis Dni *Menonis Matthiæ*; ſudoriferi magni *Fabri*; optimi hepatici pilularum myrrhinarum D. *Petri Matthiæ* ſucceſſum *ſaccharo* ♄ni, aliiſque e *plumbo* præparatis deberi: *Ettmüllerum* reſtituiſſe aliquot hypochondriacos ♄ni ſale. Magiſterium ♄ni *Mynſichti* ſecretum eſſe in phthiſi, lienis affectibus, colica & libidine ♀rea. Augerique vim lithargyrii effluviis illis ☉lis & ☾æ, eorumque tantam vim eſſe, ut ſpiritu Saturni cum calce

ſolis

ſolis morti vicinos reſtituerit, multumque in paralyſi, caduco & apoplexia præſtiterit *Hartmannus.* Imo ad nobilitandum lithargyrium reliqua metalla ♃m, ♂tem & ♀rem in fodinis addere particulas, quæ in affectibus uterinis, menſiumque obſtructionibus illum mirifice operari faciant. Nec ſaccharo Saturni obſtructiones alvi poſſe adſcribi, cum referente *Anton. de Heide* in obſerv. med. ejus grana 5. cum ocul. 69. illas reſerarint.

§. VIII.

A *lithargyriato* autem *vino* orta fuiſſe hæc mala & cruciatus non ſtatim cognitum fuit a medicis, ſed plurimi vel doloribus relicti, vel neci fuerunt dati, donec noſtris temporibus ante duo luſtra non ſolum, ſed & proxime elapſis annis a pluralitate ægrotantium, &, quod illi ſolum corripiebantur, qui vinum biberant; alii non, quibus cerevisiæ vel ▽æ potus ordinarius erat, deprehenſum fuit ex vino illa provenire. Cœperunt hinc fraudes & dolos vinoſos cauponibus & aurigis olim familiares in memoriam revocare, dolia aperire, & varie vina examinare. In *fecibus* reperiit *Gockelius* varias ſordes viſcidas & tenaces, ut Vietoris filius illa repurgare omnino abhorruerit. Evolv. ejus tractatus, *die Wein-Kranckheit &c.* dictus, p. 18. Alii pulverem gryſeum, ſplendentem in illis deprehendiſſe aſſeverant. Ad Collegium Ampliſſimæ Facultatis Juridicæ hujus Univerſitatis allatum fuit vitrum, in cujus fundo ſedimentum cernebatur quaſi mercuriale, argentei coloris, & ſpecularis nitoris, uti Excell. *Dn. Præſidi* relatum fuit. De fecum harum ſpurcitie, & quid ulterius in iis fuerit repertum videatur pluribus Magnif. atque Excell. D. D. *Harpprechti*, *Com. Palat. Cæſ.* Profeſſ. & Anteceſſoris Celeberrimi Reſponſ. Criminal. LXXV. Volum. IV. ubi tota facti ſpecies prolixe deſcribitur.

§. IX.

Cum autem non cuivis contingat dolia inſpicere, in hoſpitiis præſertim & cauponariis, partim ab authoribus, partim ex analogiſmo aliarum operationum Chymicarum, ▽tionum & mutationum Saturninorum cum aliis, varia ſuppeditata fuerunt media ad cognoſcendum in momento fucum. *Williſius* a. pharmac. rational. p. 2. ſ. 3. c. 5. p. m. 471. jam ante docuit ſolutionem lithargyrii in aceto deſtillato factam ab oleo Tartari per deliquium affuſo in liquorem inſtar lactis præcipitari. Et *Joh. Zwelferus* in Animadv. ſuis in Pharmac. Auguſt. pag. 300. *ſolutiones aluminis* & lithargyrii ſe invicem ♎te, ut neutrum horum ſuas operationes proprias rite exſerat. *Gockelius* juſſit infundere in vini lithargyriati ℥iij vel ℥IV. *ol. vitrioli rectificatiſſimi* a guttis 10. ad 11. atque vinum mangonio ſpurca-

 tum

tum ſtatim turbari, & albeſcere inſtar ſeri lactis ſtatuit. Eundem in modum Excellentiſſ. D. D. *Rudolph. Jacob. Camerarius*, *Præceptor & Promotor meus Paterno cultu ætatem ſuſpiciendus* nobis exhibuit in lectione publica ſchematiſmos vinorum lithargyro infectorum, quæ mediante *ſpiritu vitrioli & oleo tartari per deliquium* examini ſubjecit, non ſine naturalis coloris in vino immutatione. Ad explorandum hunc dolum in ducatu noſtro *liquor auripigmenti cum calce viva præparatus*, aut *lixivium calc. vivæ cum auripigmento* ſumebatur, cujus guttulæ 5, 6, 7. vini lithargyrio falſificati ℥j. affuſæ non ſolum illud valde turbarunt, ſed etiam colorem nigrum & atramentoſum ipſi conciliarunt. *Solutio tartari cum calce viva pauliſper calcinati* vinum adulteratum pariter turbat & præcipitat.

§. X.

Affuſi autem hi modo dicti liquores omnes vel nullam coloris mutationem, vel non ingratam in vinis omni mangonio carentibus faciunt. *Oleum tartari per deliquium* vel alius cujuſdam *Alcali* conciliabit colorem aliquantulum rubicundum, aut potius flaveſcentem. Dictus auripigmenti liquor in debita, nec juſto majori inſtillatus doſi colorem naturalem non mutabit; nec ſpiritus vitrioli, aut ejuſdem *oleum*, nec dicta ſolutio tartari cum calce viva, ſed vina inde clara, ſicuti ante affuſionem fuere, manebunt.

§. XI.

Ubi *levior* in vino *tinctura*, vel parum *mangonii lithargyriſ.* (quod ſæpiſſime minuitur, & debilitatur frequentioribus vinorum trajectionibus ex uno vaſe vel dolio in aliud,) illud neque ſpiritus, neque oleum vitrioli, neque ſolutio aluminis, neque tartari cum calce viva calcinati produnt, nec iſtiuſmodi vina, quæ vel ſubtiliorem, vel parum tincturæ adhuc continent, colores ab eorum inſtillatione immutant; econtra ſolutio auripigmenti ea turbat, uti ab Excellentiſſ. D. D. *Meglingio*, *Sereniſſ. Ducis Noſtri Archiatro Experientiſſimo ac feliciſſimo* edoctus fui, qui mihi retulit, *Ampliſſimo Dominorum Archiatrorum Collegio VII.* vina fuiſſe expoſita, ſuſpecta habita, quorum pleraque a dictis ſpiritibus & ſolutionibus plane nullam in colore mutationem ſubierint, ab affuſione autem hujus ſolutionis auripig. cum calce viva obſcuriora paululum, & rubicundiora fuiſſe reddita, alia magis, minus alia, prout ſæpius vel minus elutriata fuerint, & vel plus vel minus tincturæ continuerint, adeoque huic ſolutioni auripigmenti cum calce viva in examine hujus mangonii plus dandum eſſe, ac reliquis recenſitis liquoribus. Quæ autem vina vel multum lithargyrii admixtum habent, aut ſufficientem quantitatem ad edulcorationem neceſſariam, illa quoque conſtanter dictam a ſpiritibus & ſolutionibus dictis experiuntur mutationem.

§. XII.

§. XII.

Recenter autem paratus hic auripigmenti liquor eligi debet, & ſumi ad vinorum horum examina, ſi effectum ſuum ſcrutatoribus exoptatum debeat præſtare. Vetus enim neque in adulterato, neque puro aliquam mutationem efficiet, in quacunque affundatur quantitate: cum e contrario noviter factus, & in majori juſto doſi puro additus ſumme illud turbet, coloremque flavum inducat, qui vel difficulter, & tardius, vel facilius, pro diverſitate acidi vinorum in ſedimentum flavum præcipitatur.

§. XIII.

Utut autem *color niger & atramentoſus* infallibile ſignum ſit vini vel lithargyriſati, vel a Saturno infecti: non tamen ille nequitiam & impoſturam ſemper involvit & denotat. Nec ab atro colore certæ alicujus quantitatis vini in vaſe ſtanneo detenti, & per dictam ſolutionem auripigmenti tincti ad integra dolia licet argumentari.

§. XIV.

Deprehenſum eſt, vina tenuia ſuſpecta habita & in lagena ſtannea aſſervata, atque ultra 3. ſeptimanas ibi detenta, & quidem in digeſtionem poſita in loco calido a lixivio ſæpius dicto calcis vivæ cum auripigmento nullam plane in colore paſſa fuiſſe mutationem; diutius autem retenta demum ibi ab inſtallatione ejus in obſcuro rubicundum & nigrum abiiſſe colorem: alterum autem plane non mutatum fuiſſe. Eadem vero, poſtquam adhuc eſſent aſperiora, vaſi ſtanneo commiſſa, (ſucceſſu temporis enim vina iſta immatura aculeos ſuos amittunt, & tenuia admodum evadunt,) in momento a ſæpius memorata ſolutione auripigmenti atramentoſa facta fuerunt.

§. XV.

Relatum fuit excellentiſſ. domino Præſidi ante duo luſtra in pago quodam hujus diſtrictus, *Gonningen* dicto, vinum immaturum, acidum, auſterum, valdeque tenue clarum e dolio emiſſum, & horas aliquot in cantharo ſtanneo aſſervatum intra breve temporis ſpatium nigrum contraxiſſe colorem.

§. XVI.

Alibi factum eſt ante annum & dimidium, quo vina juſſu ſereniſſimi

noſtri omni cura & ſolicitudine examinabantur, cum vir quidam probæ alias vitæ & fidei vinum vendiderit, quod e dolia recenter emiſſum clarum quidem fuerit, aeri autem liberiori diutius expoſitum vel in vitro, vel in cantharo retentum obſcurum colorem ſponte contraxiſſe. Juramento ſemet obſtringere vir voluit, nullum ſuis vinis ſe mangonium immiſcuiſſe.

§. XVII.

Vina acida, auſtera & mordacia nihil lithargyrii habent, & hoc ipſo ab omni mala ſuſpicione ſeſe liberant & exſolvunt.

§. XVIII.

Eadem vina immatura, aſpera & acida pura ab affuſione ſolutionis hujus auripigmenti nigrum colorem non induunt.

§. XIX.

In examine vinorum lithargyriatorum feces quam maxime explorandæ, ignique fuſorio ſubjiciendæ ſunt.

§. XX.

Loco vini ob mangonium lithargyriſatum ſuſpecti ſpiritus ejus, poſtquam illius copia amplius haberi non poterat, ab eodem vino deſtillatus, a ſolutione auripigmenti pariter colorem ſubnigrum contraxit.

§. XXI.

Potiſſima cura mali recentis & primorum ſymptomatum conſiſtit in vomitoriis, purgantibus, oleoſis, lacte diu continuando, terreis ex bol. armen. terra ſigillat. ocul. ♋. unicorn. foſſil. balſamo peruviano & vulnerariis; reliquorum, vid. *in diſp. de colic. paretic. epilept. D. D. Rudolph. Jac. Camerarii.*

CA:

CAPUT II.

Proponens varias obſervationes & experimenta, tanquam fundamenta & principia ad explicanda phænomena eorumque cauſas reddendas.

§. I.

QUæ ſint principia atque elementa lithargyrii, nolumus ex authoribus repetere, quo benevolum lectorem remittimus; ſufficiat dixiſſe, illud eſſe progeniem plumbi, atque variorum recrementorum auri & argenti, ex quorum coctione & deſpumatione, quæ mediante plumbo ſuſcipitur, illud emergit, dictis his metallis puris ſupernatat inſtar ſpumæ, cujus intuitu hinc vernacula noſtra *Silberglette* audit. Potiſſimum ergo, quod continet, a Saturno habet, atque hinc facile in illum reducitur. Sociantur tamen ipſi, & accedunt variæ exhalationes metallicæ, ſalia, imperfectiones & recrementa, de quorum natura participat. Cum autem concretum plumbeum ſit, ex illius quoque principiis conſtare nemo ibit inficias; quæ autem illa ſint, aut an tradita hactenus ſufficiant ad effectus ipſi imputatos demonſtrandos, merito quæritur. Si chymicos ſequimur, communiter in illis deprehendimus, Saturnum conſtare ex partibus terreſtribus, gaudere particulis alcalinis, mercurio, ſulphureis autem exiguis. Vid. hac de re *Schræd. Frid. Hofmann. in clavi pharmaceut. Tachen. Barkhauſen; & E. N C. D. III. ann.* 5. & 6. *p.* 604. ubi plura deprehenduntur; acoris hinc expertem illum eſſe, ſalia acria corroſiva partium corporis externi abſorbere, uniceque ulceribus opitulari, reliquis omnibus fruſtra adhibitis aſſeruerunt. Practicos autem ſi conſulimus, concludendo ab affectibus a Saturninis obſervatis ad illorum principia, unanimi ore tam veteres, quam recentiores dicunt, refrigerare illum, adſtringere, repellere humores æſtuantes, incraſſare, coagulare; alii exulcerare, inflammare, & rodere, qualia ab acidis fieri experimur. Prædicantur autem hæc non ſolum de variis Saturni præparatis, verum etiam de ipſo plumbo, quod neque ignis vim, neque aceti corroſionem ſuſtinuit, ut itaque externo accedenti acido, cui alias iſtiuſmodi effectus adſcribi ſolent, tale attribui nequeat, prout hoc egregie patet ex obſerv. *Fernelii cap.* 7. *de lue venerea p. m.* 257. ubi arthriticum introducit, cui empiricus quidam plumbi pulverem propinavit, atque ſpatio 15. dierum ſeſquilibram ſumi curavit, a quo dyſenteria crudelis, febri ſtipata exorta fuit cum graviſſimis non ſolum ventris, ſed etiam ventriculi torſionibus, diſſolutione, cruciatibus, ejuſque quaſi in-

incendii interni moleſtiſſimo ſenſu & dolore, ut nec blandiſſimum tactum ferre potuerit; quæ ingerebantur, vel in plumbeum nidorem, vel in mucorem tenuiſſimum verſa mox removebantur, tantaque ructuum & flatuum copia edebatur, ut omnia in flatus abire viderentur. Alvus claudebatur, appetentia ceſſabat omnis, corpus reliquum ictero fœdatum erat. Eadem recenſet *Jul. Palmarius* a plumbi pulvere in juſculis ſacchari loco uſurpati cum graviſſimis ſubſecutis ſymptomatibus *c.* 3. *de morb. contag. c.* 5. Symptomata hæc ab aliis quoque notata, & a Saturninis inducta ſine dubio occaſionem dederunt venenatoribus, parandi ex illis venena ſua lenta, ex quibus famoſiſſimæ illæ aquæ vel pulveres conſtant, docente Heuchero *in diſputatione ſua de mithridate, ſiſtente præſervationem principis a veneno, reſpondente Cardilucio, Erndlium* certo aſſerere, quod lenta illa *Gallorum, Italorumque* veneno, qualia *Poudres de ſucceſſion* vocantur, Saturninis concretis ſuam debeant originem. Novit ille operatorem quendam Chemicum, qui in Bohemiæ confiniis Magnatis cujuſdam laboratorio præeſt, & juſſu illius multum in exaltandis & moderandis venenis conſumpſit ſudoris & operæ. Ab hoc vero non ſemel fatente intellexit, ex Saturni ſaccharo cum additione volatilioris cujuſdam corroſivi parari poſſe lentiſſimum venenum, quod canibus aliiſque animantibus propinatum, eadem inſenſibiliter, citra omnia violentiora ſymptomata, poſt decurſum aliquot ſeptimanarum aut menſium valeat enecare. Confirmavit hoc excellentiſſ. Dn. Præſes, mihique retulit, ſe 4. iſtiuſmodi venenorum lentorum deſcriptiones vidiſſe, quarum quamlibet Saturnus ingrediatur, paucis additis aliis acidis, acribus, in exigua tamen doſi, ita, ut in quavis Saturnus baſin conſtituat. Aſſeruit alius ex ceruſſa dictum *la Poudre de ſucceſſion* additis aliis certo parari, ut inde ex collatione plurium ſimilium de illo dubitare amplius non liceat, rationique admodum conveniens eſſe pronunciet modo citatus *Heucherus in dicta diſput.* quia ſaccharum Saturni (quod in curandis gonorrhæis alias laudabile medicamentum ſit, maxima tamen cum cautione a medicis praxin exercentibus dandum eſſe moneat,) ſubtiliores particulas acido corroſivas habeat, quæ cum terreſtribus junctæ eroſiones hinc inde in viſceribus relinquere, circulum humorum ſufflaminare, obſtructiones producere, atque eo ipſo totum corpus ad maraſmum incurabilem ac lethalem diſponere debeant. In genere vim emeticam cuncta Saturnina habere docet *Langius* part. 1. p. 346. in operibus ſuis med. Non autem ſolum interne *plumbum*, aut ejus præparata adeo periculoſa ſunt, ſed etiam externe adhibita valde ſuſpecta, quanquam hactenus, cum citra violentiam effectus ſuos præſtiterint lente, talia credita non fuerint. Ceruſſa ſine ullo diſcrimine in inflammationibus, æſtu & intertrigine aſperſa fuit; conſtat autem, quod ſi diutius loco coſmetici a mulierculis adhibita fuerit, cutem illam urere quaſi, eamque rugoſam atque nigricantem reddere. Retulit nobis laudatus excell. D. D. *Moglingius*, ſe jam

bina

bina vice obſervaſſe, poſtquam occaſione horum vinorum lithargiriato-rum, & notatorum inde tragicorum effectuum ac læſionum majori ſtudio animum ad externum ſaturninorum uſum attenderit, an tuta ſint, aut dum malum quoddam corpori inferant, de quo antea cogitatum non fuerit, ſe deprehendiſſe, infantem unius anni intertrigine laborantem ſanum abſque prægreſſa quadam cauſa alia ſubito ab uſu *ceruſſæ* externo convulſionibus motibuſque epilepticis fuiſſe correptum & extinctum; alium robuſtum, vegetum & obeſum pone aures pariter defluxionem talem, ſeroſam, habentem, cui pariter ſuaſu alicujus mulierculæ *ceruſſæ* pulvis inſperſus fuit, illa cohibita in motus epilepticos incidiſſe. De *lithargyrio* mihi quoque narravit, matronam quandam nobilem pulverem ejus in *rubore faciei*, poſtquam hic ipſi tanquam ſingulare & certiſſimum arcanum deprædicatus fuiſſet, in petia ligatum axillis bis vel ter de die aſperſiſſe cum præſentaneo effectu; verum exinde ſubſecuta fuiſſe *dyſpnœam*, *lipothymiam*, *dolores vagos in abdomine*, *vomituritionem & nauſeam.* Plumbum enim, uti proprium acidum continet, ita illud in præparatis ſuis valde augetur præprimis in *lithargyrio*, quod juxta *Tachenium in Hippocrat. ſuo chymico* cum acidis mineralibus variis commixtis ex Saturno in tale vertitur; atque in aceto ejus, ſive tinctura, vel ſaccharo, vel ceruſſa, ad quorum præparationem acetum ſumitur, concentratur, & fortiorem vim corroſivam, hincque venenatam magis contrahit; quo plura enim ſalia acida combinantur, eo acria magis illa redduntur & corroſiva, ut in variis mercurii ≏tis; maxime autem mercurium ≏to corroſivo, ad cuius præparationem ſpiritus nitri vitriolum & ſal concurrunt, ſicque omnium venenorum acerrimum evadit, elucet. Solvitur autem *plumbum* & reliqua metalla minus firma vel compacta, ♂ præprimis, Saturnus ♃ & ♀, plus vel minus a ventriculo æque ac extra illium a fermento ſive liquore ejus gaſtrico, vel menſtruo nativo, plus vel minus acido, ſalino, ut inde ſaccharum Saturni vel martis in eo productum reſultet, quod ſapores, ructus & exhalationes aſcendentes e ventriculo ſatis abunde teſtantur. Hæc ſi vel copioſiora propinantur, aut in juſto majori quantitate exhibentur, ut inde copioſum vel ſaccharum Saturni vel vitriol. ♂tis emergat, non poſſunt non in eo rodere, pungere, vellicare, inflammare, denudare ventriculum, cruciatus & tormina, colicam, cardialgiam chronicam producere, vaſorum conſtrictiones, & tandem exulcerationes efficere; vel ſi primæ viæ non liberæ ſunt, nec ante exhibitionem purgatæ a ſordibus ſuis viſcidis, facile in vaſis capillaribus illa metallica involvuntur a pituita, obſtruunt illa, atque poſtea ſoluta pungunt, vellicant, atque dolores cauſantur, ut inde magna cum cautela ac prudentia, etiam Martialia, quorum tamen uſus præ omnibus tutus & ſecurus eſt, & egregiam operam nunquam ſatis laudandam corpori humano tam in obſtructionibus, quam fluxionibus humorum nimiis & cacochymia acida

præſtat, adhibeantur, quod ſæpe laudatus *D. D. Möglingius*, *circumſpectus ac ſedulus obſervator* aliquoties in diſcurſu mihi inculcavit, & monuit, in praxi hæc etiam circa martialia probe attendenda eſſe, licet cautela timida nimis videatur; præſtare tamen, omnem adhibere circumſpectionem ac ſolicitudinem, quam temeritate aut incuria mala admittere, quæ corrigi poſtmodum nequeant; timorem autem non nimium eſſe debere, ne pariter omittantur, aut protrahantur, quæ uſu metallicorum longe felicius, citius & melius tolli potuiſſent. Huic cautelæ quoad martialia etiam ſubſcribit *Lemery dans ſon cours de chymie* de ferro & martis croco, pag. 208. ubi monet, ferrum loco chalybis interne ſumendum eſſe, cum hic adeo compactus ſit; fieri enim, quod ſi ventriculi menſtruum debile admodum hunc ſolvere nequeat, aut penetrare, integrum eum & indigeſtum in ventriculo atque inteſtinis manere, ea valde gravare; vel ſine effectu cum excrementis rejici; vel craſſiores ejus partes cum chylo tranſcolari, obſtruere vaſa anguſtiora, ſtagnare, atque dolores producere acutos; aut ſi corpus ante ejus uſum non purgetur, itidem fieri poſſe, ut in vaſis capillaribus materia viſcida infarctis ſtagnet, inflammationes producat, & dolores: vid. eod. cap. p. m. 204. Vitriolica enim illa non ſine actione ſua, h. e. roſione in corpore manent, nec ſalia quieſcunt; hinc & *Siemens in diſput. ſub præſid. Hofmanni habit.* de *metallurgia morbifera* meminit, *Krugium* ipſis dixiſſe, illos, qui *Schmalkaldiæ* acuendo & poliendo ferro inſerviunt, reſpiratione anheloſa corripi, vulgo *der Schleiferkrankheit.* Quo copioſiora itaque illa vitriola vel acriora ingeruntur in corpus noſtrum, eo majus damnum, noxam atque periculum inferunt.

§. II.

Acida vegetabilia grata licet & amica corpori noſtro ſint moderate ſumpta, ſulphur compeſcant, ne exorbitet, & ut exorbitans quieſcat, faciant, imo putredini reſiſtant; hauſta tamen in nimia quantitate, acriora præprimis, & aſpera magis lædunt pariter, nunc magis, nunc minus, pro diverſitate ſubjectorum, temperamentorum, conſtitutionum, roboris, aut paſſionum, quibus obnoxia ſunt corpora, ut abunde illud ex variis obſervationibus conſtat in ſcorbuticis, hypochondriacis, epilepticis, arthriticis, colicis &c. Tutiora tamen longe ſunt ad ✝da mineralia, tantamque noxam non inferunt, aut furorem exercent, quantum illa movere ſolent, ſive in fluidis ſint, ſive ſolidis partibus; utraſque enim hæc deſtruere conantur, earumque ſubſtantiam & figuras immutare, & reſolvere; conſtant enim rigidioribus aculeis, quibus ſe infigunt fortius, pungunt acutius, vellicant acrius, contrahunt validius & conſtringunt, humores coagulant magis, & inflammant, imo diſſecant & diſcindunt, atque hic interitum partis citius efficiunt. Ut ex-

periamur diverſitatem actionum +. ſimplicis & lithargyriſati, infudimus cani jejuno aceti acerrimi, linguam nareſque; ſumme ferientis ℥iij. ſemis illico poſt infuſionem percepimus murmura, canis conabatur exſpuere +. in ore relictum, aut ſaporem variis motibus excutere; dimiſſus a nobis mox titubavit, & rejicit ſpumam, quæ jam ab injectione aceti in ore confluxit, atque ſtatim ab immiſſo +to difficulter reſpirare cœpit, & ſonore, latibula quærens, ubi quieſcere poſſet; præter hæc autem nec ejulatibus aut motibus, aut conatibus vomendi nec tormina, vel convulſiones oſtendit, niſi quod quinquies vel ſexies ſpumam, ſeu mucum, qui ipſi ſemper in ore hæſit, ejecerit, donec hora tertia poſt infuſionem ſpirare deſiit, rejecta prius ſpuma cruore parum tincta. In diſſecto poſt deprehendimus *ventriculum* naturalis & albicantis coloris abſque ullo inflammationis ſigno, diſtentum autem aliquantulum & contractum; ex aperto mucus tenacior & ſpumoſus effluxit, alius tamen & viſcidior, ac ex ore prodiit; nullibi niſi circa orificium ſiniſtrum ſeu *pylorum* ſuperficialiter & intus ſolum rubuit; in reliquis ejus partibus naturaliſſimum vidimus colorem abſque ulla ruboris & inflammationis nota, quæ nec in reliquis viſceribus *abdominis*, *aut diaphragmate* obſervari potuit. Lobi autem pulmonum inferiores rutilarunt parenchymatis inſtar, & compacti, & in ſuperioribus varia inflammationis ſtigmata apparuerunt; potiſſimum ergo, quo laboravit, & ab injectione ſtatim aceti ſenſit, fuit ſonora & difficilis reſpiratio. Noluimus infringere vim aceti conceſſo aquæ potu, ne in obſervatione veri effectus turbaremur; alias enim facile ejus, uti omnium acidorum mineralium intus ſumptorum violentiam obtundere aqua fontana potuiſſemus, quod circumforanei & agyrtæ bene norunt, quando arſenicum aſſumunt, epota prius aqua fontana, ne conſpiciantur id egiſſe, aut etiam lacte, quo facto impune venenum illud deglutiunt, diluendo ſcil. ac dividendo ſalia iſta, ne in poros tunicarum ventriculi ſe inſinuare, illas rodere, pungere, vellicare aut diſcindere, vel corrodere, aut exulcerare poſſint. Inſignis itaque diverſitas fuit effectuum ab +to lithargyriſato, cujus quidem ℥j. ſolum ingeſſit *Brunnerus*, ac aceto hoc ſimplici inductorum, utut in utroque æquali tempore mors ſucceſſerit, ſine tamen inflammatione *ventriculi*, *inteſtinorum*, *veſicæ*, aut *reliquorum abdominis viſcerum*, nec cruoris per inferiora rejectione, nec tanta ſanguinis in corde concretione aut coagulatione.

§. III.

Vitriola metallorum cum ſolutione ſulphuris mixta ſeſe præcipitant non ſolum, ſed etiam colorem nigrum & atramentoſum faciunt. Sumat quis ſulphur, atque cum ſale tartari in aqua ſoluto coquat, ipſiſque demum addat vitriolum ♂tis, mox habebit liquorem nigrum,

quo ſcribi poteſt. Idem contingit, ſi vitriol. ♀ vel ♄ vel Lun. (de ☉ vitriolo nobis non conſtat, cum pretioſum nimis ſit metallum, ut idem circa illud experiri non licuerit hactenus;) cum ſolutione ſulphuris miſcetur, idem color atramentoſus emergit. Celeberr. D. D. *Hennike*, *illuſtriſſimorum dominorum comitum de Hohenloe Archiater*, *vir ſingularis eruditionis & experientiæ tam practicæ quam chymicæ*, retulit excell. Dn. Præſidi, ſe expertum fuiſſe, ſi lixivium ſcoriatum reguli ♁ii miſceatur cum ſolutione vitrioli ♂tis, in momento exſurgere colorem atramentoſum, & pulverem ſecedere in fundum ejuſdem coloris. Liquor arſenicalis, & ſolutio vitrioli idem præſtant, & inſignem ſtatim coloris mutationem faciunt. Ita ſæpius citatus, nunquam autem ſatis mihi laudandus *D. D. Möglingius* narravit, *phyſicum marbacenſem D. D. Mauchartum*, *virum eruditione*, *& experientia clarum*, in ſua relatione ad *deputationem vinariam*, quam *sereniſſimus Dux* noſter inſtituit ad examinanda vina, inter alia etiam hæc transſcripſiſſe experimenta, ſolutionem viridis æris cum aceto deſtillato factam; acetum itidem deſtill. in veſica cuprea; ſolutionem vitrioli cypr.; ſolutionem ☿rii viridis *Hartmanni* ab admixtione ſolutionis auripigmenti cum calce viva nigerrimum contraxiſſe colorem. Ratio mutationis hujus quoad vitriolum Saturni patet ex *Lemery curſu chymico* de *atramento ſympathetico*, quod conficitur ex duobus liquoribus, aceto lithargyrii, quod inviſibilem ſcripturam reddit, & altero, ſolutione ſcilicet auripigmenti, quæ priorem in momento viſibilem reddit, quamprimum ipſi admovetur, etiamſi corpus aliquod craſſum interponatur, aut murus interſit, modo charta conſcripta ſuperius, & alia altero liquore madefacta inferius ponatur. Vel liber prælo includatur, cujus primæ paginæ literæ inſcribantur, ultimum autem folium dicta ſolutione auripigmenti humectetur, poſtmodum 4. l. quinquies percutiatur liber, atque prælo fortiter comprimatur, ſpatio dimidii quadrantis horæ ſcriptura illa nigreſcet. Inviſibilem autem eſſe ſcripturam illam aceto lithargirii factam, ideo, quod Saturni particulæ ab aceto diſſolutæ, ſejunctæ & diſtractæ admodum ſint, in poris aceti contentæ, ab admotione ſolutionis auripigmenti autem expelli ex illis, præcipitari, reviviſcere, & in plumbum reduci, adeoque nigrum ſuum colorem iterum recipere; celerrime autem nigreſcere priorem liquorem Saturni ab atomis ſolutionis auripigmenti, propter ſummam volatilitatem ſulphuris arſenicalis, quod antea a ſalibus fixis auripigmenti ligatum erat, nunc autem abſorptis his a calc. viv. liberatum ſuique juris factum alias ſubtiliſſimum, ſumma ſua volatilitate ſcripturam liberam in momento, prælo autem commiſſam aliquantum tardius tingere, nigrumque colorem efficere; percuti vero librum, quo ſolutio illa melius penetret, præloque comprimi, ne in auras ſulphur volatiſſimum avolet; neglectis enim his experimentum hoc ultimum non ſuccedere. De reliquis vitriolis ſive ♂tis, ♀ris, vel ☽æ idem eſt judicium; illa enim participant de

de ♂te, qui pariter niger eſt, hujuſque particulæ præcipitatæ a ſulphurea alcalina ſolutione non poſſunt non eundem largiri colorem, qualem ipſæ continent.

§. IV.

Regula chymica univerſalis eſt, acidum & alcali ſe præcipitare, ſive acida pura ſint cum alcali puro mixta, uti ſpir. ſal. vitriol. cum ſal. tartar. ſive acida pura cum alcalibus impraegnatis uti ſpir. ſal. vel vitriol. cum ſolutione ſulphuris, vel auripigmenti alcaliſata; vel acida impraegn. cum alcal. impraegn. ut vitriol. & ſolut. ſaturn. cum ſolutione ſulphuris, vel auripigmenti; id quod præcipitatur, aut ad fundum abit, vel ſal ſalſum eſt, vel magiſterium vocatur, varii coloris, nunc albicantis, nunc flaveſcentis, rubicundi, quandoque viridis. Quotieſcunque ergo liquidum, ſive ſolutio ſulphurea alcalina miſcetur vel cum aceto communi; vel deſtillato; vel cum ſpir. ſulph. vel vitriol. vel nitr. (quæ omnia acida non impraegnata ſunt,) præcipitabitur in colorem album, flavum, & rubicundum; ſi vero cum ſolutione metallica miſceatur, præcipitatio iſta nigrum acquirit colorem.

§. V.

Spiritus vini recipit quidem intra ſe metallorum ſolutionem, ſive ♀.is, ſive ♄ni, & extrahit etiam ex ſulphure cum ſale tartari mixto tincturam ſulphuris, uti ex ſale tartari ſolo, tincturam tartari; metalla tamen non ſolvit, teſte experientia.

CAPUT III.

Deducens phænomena vinorum lithargyriatorum ex obſervationibus 2. Capite enumeratis.

§. I.

POſitis fundamentis, quæ experientia probavit hactenus & firmavit, facile eſt, omnium circa vina lithargyriata rationе ſymptomatum, characteris, & probæ obſervatorum accidentium rationes reddere, atque quod verius ſit, eruere.

§. II.

Non ergo miramur, tot tantaſque turbas excitari in phænomenis productas a potu hujus vini adulterati, deliria, aſthma, dolores, roſiones, ardorem ventriculi, ejus exulcerationes & adjacentium viſcerum, febres, tabem, hydropem, colicam paretico-epilepticam, variaſque cutis defœdationes; cum ex obſerv. 1. Saturnina per ſua ſpicula acida rodant & conſtringant non ſolum vaſa ſanguiveha ventriculi, ea coarctent, motum humorum in eo retardent atque ſtagnare faciant; ſed etiam nervos ejus vellicent, ut inde citatiori fluxu ſanguis feratur ad illum, qui cum ob vaſa capillaria contracta, & corrugata, refluere non poteſt, ſubſiſtit; hinc ardet non ſolum ventriculus, ſed & in toto corpore calor febrilis accenditur, punctiſque nervis ventriculi vicini nervi pneumonici contrahuntur quoque, qui lobos pulmonum, quibus inſeruntur, pariter conſtringunt, vi obſerv. 2. atque circulum ſanguinis impediunt & inflammant plus vel minus, nunc inſtar parenchymatis, nunc ſtigmatum forma, raeiſque ingreſſum ſufficientem impediunt, ſicque aſthma producunt. Delatæ poſt particulæ hæ acidæ Saturninæ ad ſpiritus animales, qui ſecundum obſerv. 5. illos quoque recipiunt, motum eorum turbant, fibras cerebri pungunt, atque deliria maniaca efficiunt. Hærentes in ventriculo atque inteſtinis particulæ hæ plumbeæ agunt non ſolum in tunicas ejus & vaſa, ſanguiniſque motum ibi impediunt, ut vel abſceſſus generetur; vel rodatur & exulceretur, pro diverſitate copiæ hauſtæ; ſed fertur vis illa hoſtilis quoque ad vaſa lienaria, idque eo facilius, cum ingeſta in ſiniſtra potius ventriculi parte hæreant, & eo magis inclinent, ac ad dextram, eaque pariter coarctat, ut ſanguis & ibi ſtagnare & putreſcere debeat. Vellicant poſt inteſtinorum tunicas & nervos tam proprios, quam plexus hepaticos, ut inde non ſolum cruciatus iſti naſcantur, ſed etiam obſtructis ductibus biliariis bilis in ſanguinem regurgitet, totumque corpus tali colore defœdet. Tranſcolatus ad chylum, illum coagulat, aut tenacem reddit, ut difficulter moveatur, vel ſtagnet; tranſvectus ad nervos, punctionibus ſuis illos vel conſtringit quaſi & contorquet, vel ſerum circa illos coagulat, ut compreſſi vel contorti ſpirituum animalium influxum ſufficientem non admittant. Tranſmiſſus ad muſculos, vellicationibus ſuis ad varios motus illos impellat.

§. III.

Hoc autem mirum eſt, quod vir tantæ eruditionis, lectionis & experientiæ chymicæ, qualem *Dn. Seerup* ex diſſertatione ſua judicamus, neſcio quo amore vel ſtudio a lithargyrio contra veritatem, & propria ſua principia faſcinari ſe paſſus fuerit, ejus provinciam tanto cum fervore contra *Dn. Jægerſchmidium* capere, atque tam prolixe contra tot celeber-

rimo-

rimorum practicorum obſervationes, contra tot ſanas de ♄ninis ſubminiſtratas cautelas, lithargyrium defendere, atque omnia mala, quæ hoc perpetravit, ad vinum acidum unice devolvere, quo a. ſucceſſu, videbimus, atque totam ejus apologiam in tres claſſes diſpeſcemus, quarum prima vino acido omnes iſtas turbas adſcribit. Secunda obſervationibus contra lithargyrium adductis reſpondet; tertia vero miraculoſos effectus ab uſu ♄ninorum tam externo, quam interno productos recenſet. Mirari a. ſatis non poſſum, qui lithargyrium ab omni labe & funeſtis ſuis operationibus liberare voluerit, cum tamen virum non latuerit obſervatio *Brunneri*, qui cani aceti lithargyr. ℥j. injecit, a quo atrociora fere, ac ab ipſo arſenico paſſus fuit ſymptomata, quam tamen hiſtoriam reticuit, cum aceto tantam vim adſcribere non potuerit. Novit pariter obſervationem *Fernelii*, ex quibus & aliis ab ipſo allegatis talia ſcribere vel judicare obhorruiſſet. Non negamus ab auſtero vino lædi ventriculum & coctiones, coagulari humores, conſtipari alvum, excitari convulſiones, naſci colicam, non tamen tanta cum vehementia, pertinacia, tantiſque cum ſymptomatibus & malignitate, ac a ♄ninis. Quis n. unquam obſervavit a potu vini immaturi acidi tantas inflammationes, excoriationes, exulcerationes & eroſiones, & tam ſubitaneas, quales ab 🜊to lithargyrii vinis immixto inductæ fuerunt? Conſtat, viciniam noſtram, ubi alias montes lachrymantur 🜊tum, & iſtiuſmodi vina immatura & acida per plures annos, imo luſtra ab incolis & militibus largiter hauſta fuerunt, ab omnibus tamen hiſce ſymptomatibus penitus liberam fuiſſe, cum a fuco quoque libera fuerit; immo in ipſa hac noſtra civitate, quæ ante duo luſtra truculentia hac tantum non oppreſſa fuit, poſtquam fraudem hanc plurimi tam vietores, quam caupones recte quidem exercuerunt, omnes iſti, quia a cauponibus vinum vel non emerunt, vel in eorum ædibus non biberunt, a torminibus & cruciatibus hiſce immunes evaſerunt, licet eorum domeſtici per aliquot annos auſterum & acidiſſimum hauſerint vinum, ut acidius guſtari vel dari nequeat; aliis interea, quos dulcedo ineſcavit, miſerrime patientibus, aut enervatis elumbibus redditis, pendulis artubus & reſolutis incedentibus, aut neci traditis; plurimi enim miſerrime perierunt. Qui e. vini acor accuſetur, tanquam unica cauſa horum malorum, & lithargyrium ſive ſaccharum ♄ni excuſetur non video, cum tamen ipſe nimium ejus uſum non abſque ratione periculoſum dixerit. Eadem res eſt, acido vino unice adſcribere velle omnia hæc mala, ac ſi quis ſcorbuticum propinato vel arſenico vel ☿🜔to corroſivo enecaſſet, cauſam autem mortis ſalibus acribus ſcorbuticis unice attribueret, e contra arſenicum vel ☿🜔t. corroſivum ad mortem inferendam plane nihil egiſſe, diceret. Acetum illud acerrimum, cutem etiam rodens, quod juxta obſervat 2. in triplo majori quantitate infuſum fuit cani, ac 🜊t. lithargyrii, triplo mitiora & pauciora ſymptomata induxit. Inſignes quidem turbas, dolores, tormina motuſque convulſivos movent

alias

alias vermes, quos in vinis immaturis & acidis accuſat; cum autem *ipſe* cum *Panarolo* plures in generoſioribus & exinde parato + aſſerat, non video, quo jure illis funeſti hi effectus attribuantur, cum nemo hactenus generoſius vinum accuſaverit. Cumque igitur clariſſimus vir rejiciat argumentationem a morbis metallurgorum ab effluviis & exhalationibus metallorum, ac variorum eorum præparatorum, plumbi ſcil. uſti pulviſculis & atomis, aut a nimio ſacchari Saturni uſu natis, ad ipſius vel plumbi vel aceti lithargyrii naturam acidam & venenatam, non videmus rationem vel dubitationis vel negationis, cum ipſe norit ex *Tackenio* aliiſque, ex plumbo cum acidis mineralibus variis commixtis fieri lithargyrium, & ex hoc, vel ceruſſa, vel minio mediante +to parari ſaccharum Saturni, adeoque in his omnibus acidum eſſe concentratum; colligere potuit ex *Fernelio* & *Palmario*, ex uſu plumbi, ejuſque pulvere copioſum in ventriculo fuiſſe eductum vitriol. Saturni. Novit quoque tam a crudo, quam ejus præparatis ſive externe ſive interne adhibitis nata fuiſſe eadem circa ventriculum & pulmones ſymptomata, roſiones, inflammationes, tormina, tremores & paralyſin. A quocunque igitur metallo iidem ſemper & ſpecifici effectus profluunt, & ſymptomata, quæ ab ejus effluviis, exhalationibus, præparatis, atomis & pulviſculis producta fuerunt, illa vel unius ejuſdemque erunt naturæ, vel ex ejuſdem principiis & particulis influxerunt & egerunt. A plumbo autem crudo eadem notata fuerunt ſymptomata, ac ab ejus præparatis. E. iiſdem agunt principiis & particulis, & erunt ejuſdem naturæ & eſſentiæ. Ab aſperſione n. lithargyrii juxta obſerv. 1. productum fuit aſthma, conatus vomendi cum torminibus &c. a pulvere Saturni in juſculis loco ſacchari ſumpti graviſſima nata fuerunt ſymptomata, qualia in fodinis experiuntur foſſores; qualia paſſi ſunt, qui vinum lithargyriatum biberunt; cur E. non liceat argumentari a ſymptomatibus metallicolarum & figulorum, a fumis, effluviis, atomis & pulviſculis Saturni inſpiratis natis, & ab uſu ſacchari Saturni largiori productis ad ſymptomata a vini lithargyrio adulterati potu nata, & aſſerere, illa non ab ejus acore, ſed lithargyrii particulis acidis corroſivis orta fuiſſe. Quod attinet 3. miraculoſos ejus effectus in morbis periculoſiſſimis præſtitos, ut rem brevibus expediamus, ipſi objicimus, quod *Daniel Ludovici* in pharmacia ſua diſſertat. 1. cap. de roborantibus temperatis & infrigidantibus habet; quoad internos Saturninorum uſus, vim Anti♀ream quidem hic admodum claudicare, attemperantem vero vix decimo ferventiorum hypochondriacorum, aut tabidorum quadrare, phthiſicis autem perparum conferre, ſæpe dejectos horum omnium ventriculos magis pervertere, paſſim deprehendimus; & de tinctura antiphthiſica paulo inferius, illam utplurimum infidam eſſe; ſpiritus ejus ardens, quem adeo extollit, nil niſi ſpiritus +ti eſt, teſte *Charras Chym.* pag. 340. Et ſic de reliquis. Omnes hinc practici, quotquot ſunt, parci admodum ſunt in præſcribendis eorum præparationibus, nec, niſi ultima urgeat neceſſitas, in nimio æſtu morborum ad temperandum illum progrediuntur,

in

in minima tamen doſi. Et licet ſingularis aliquoties effectus ex interno eorum uſu obſervatus fuerit, de quo tamen adeo certi non ſumus, utut illum negare nolimus, non deſinit tamen eſſe venenum. Arſenicum enim licet nonnullorum medicorum & chirurgorum unicum quartanarum aſylum ſit, & feliciſſime illas fuget; licet in cancro exulcerato præſtantius non ſit præparatis arſenicalibus, interim arſenicum manet venenum, & Mercurius corroſivus omnium mineralium maximum venenum eſt, etiamſi chirurgi illum immiſceant aliis ♀ii ≏r. in cura luis ♀æ & externe quoque feliciter adhibeant. Cecinit E. triumphum ante victoriam Dnus *Seerup*, nec curru videmus, uti loquitur, triumphali eminere triumphatorem ſuum lithargyrium. Manet enim venenum, & ex eo parantur famoſiſſima illa venena lenta. Nec truculentiam hujus venenoſi potus lithargyr. minuit, non omnes eo læſos fuiſſe, quod in illis ſolum obſervatum fuit, quibus vel aquæ potus ordinarius fuit, hancque mox, poſtquam largius illud hauſerunt, ſuperbiberunt, durioribus laboribus aſſueti, & ſimplici diæta uſi fuerunt; vel uti Excell. D. D. Camerarius in citata diſput. loquitur, quo delicatior eſt tinctura, quo doſis ejus minor, uſus parcior & infrequentior.

§. IV.

Mutationes colorum vinorum lithargyr. ab infuſis dictis liquoribus factæ dependent a liquoribus præcipitantibus, & ſolutis vino additis, horumque coloribus; & quidem niger & atramentoſus ab inſtillatione liquoris auripigm., ſulphure ejus alcalino & vitriol. Saturni. juxta obſerv. 3. Rubicundus, flavus, obſcurus, vel albicans, uti in lacte virginis a dictis iſtis alcalinis & acidis. Nota E. characteriſtica præſentis lithargyrii in vinis eſt, quod ab affuſione dictorum liquorum congredientium alcalinorum & acidorum turbentur vi obſerv. 4. & vel nigreſcant, vel albeſcant, aut obſcure rubeſcant, undecunque illud acceſſerit; ſive cum ♁ t. lithargyr., ſive ab ipſo vini in vaſe ſtanneo detenti acido abraſæ, quod facile fit, ſi ſtanno multum plumbi inhæret, vinumque auſterum admodum eſt; quo acidius enim vinum eſt, eo citius abradit particulas Saturninas; eo tardius, quo tenuius; vappidum enim vel nimis tenue, quod ſpicula ſua dimiſit, difficulter vel plane non penetrat. Emiſſa E. e dolio certa vini quantitas in vaſe ſtanneo aſſervata ab inſtillatione ſolutionis auripigm. nigreſcit, ſalvo lithargyriique experte integro dolio.

§. V.

Non a. ſuccedit experimentum, nec mutatur color vinorum lithargyr. leviter tinctorum præprimis, niſi ſolutio auripigmenti recens ſit; particulæ enim ejus ſulphureæ, quæ volatiles admodum ſunt, avolant potiſſimæ. Recens a. leviſſimam etiam tincturam prodit, (quod neque ſpir. vitriol. præſtat, neque ſpir. aluminis, aut ejus ſolutio, vel etiam ſalis tartari (tanquam tenuia

nimis, non concentrata) propter ſummam ſulphuris ſui volatilitatem, quod in momento omnes vini atque tincturæ partes penetrat juxta obſerv. 3. ea turbat & præcipitat. Præcipitat quoque dicta hæc ſolutio auripigm. in ſufficiente quantitate vina immatura & acida, auſtera; alcali enim calc. viv. & acidum vini agunt in ſe invicem, atque ſe præcipitant, non autem in ſedimentum & colorem nigrum, quia nullæ particulæ metallicæ ipſi inſunt.

§. VI.

Feces vini ſenſibus externis atque igne examinandæ ſunt, quia particulæ Saturninæ ab eo ſecedunt ad fundum, & hinc vel gryſeæ ſunt, colorem lithargyr. naturalem referentes; vel ſplendentes & ſpecularis nitoris, ob admixtam & a tæniis ſulphuratis accedentem, aut ſine hiſce additam Marcaſitam, quæ Saturninæ naturæ eſt.

§. VII.

Color ſpiritus vini a lithargyriſato deſtillati atramentoſus ab affuſione liquoris auripigm. contractus non provenit a particulis Saturninis in vino exiſtentibus, atque cum ſpiritu progredientibus, quod non fit, etiamſi centies deſtilletur teſte *Zwelfero in animadv. in pharm. Auguſt. de lact. virg.* ſed oritur a ſordibus vitriolicis a noſtro vel ſupremo veſicæ cupreæ ſeceſſis, ipſique ſpiritui in tranſitu accedentibus, quas juxta obſerv. 5. recipit, non autem ſolvit, metallicæ autem partes cum ſpiritibus tam facile abſque additione nunquam prodeunt.

T A N T U M.

JOHAN.

LXXXIV.

JOANNIS ASTRUC

ET

PETR. LUDOV. MARIÆ MALOET

ERGO MORBO COLICA PICTONUM DICTO, VENÆ SECTIO IN CUBITO.

Pariſ. 18. Nov. 1751.

I.

CErtiſſimum eſt, quod vulgari fertur adagio, hominem totum natura morbum eſſe, cum nullæ ſint humani corporis partes, quæ morborum inſultibus non pateant undique. At vero inter cæteras nullæ ſunt morbis frequentius obnoxiæ, quam ventriculus & inteſtinalis ductus, quippe qui, cum ſint veluti corporis ſentina, tum inſalubrem ingeſtorum naturam, tum pravam eorumdem concoctionem primi, egerendorumque vitia ſoli ſentiant & patiantur. Hinc Ructus, Nauſea, Singultus, Vomitio: hinc Diarrhœa, Dyſenteria, Cholera, Chordapſus, Affectio cœliaca: hinc demum multiplex Dolor Colicus, Stercoroſus, Flatulentus, Bilioſus, Pituitoſus; ac imprimis ille, quem *Pictonicum* vulgo nominant, morbi genus rarum, ſed quod rarius non dicas, quam periculoſius.

Accuratam hujuſce morbi deſcriptionem reperire eſt apud Franciſcum Citeſium in ſpeciali Diatriba *de novo & populari apud Pictones dolore colico bilioſo, quam vulgavit anno* 1638. „Eorum, *inquit*, corpora, quos „attingit *morbus ille*, veluti ſidere percuſſa, ex priſtino repente ſtatu „dejicit, pallor vultum decolorat, extrema frigent, languent vires, ani„mus inquies, corpus anxium, vigiliæ aſſiduæ, lipothymiæ, ſeu po„tius cardiogmi frequentes, appetentia proſtrata, nauſea perpetua, ru„ctus, vomitus, iſque porraceæ & æruginoſæ bilis, qui niſi ſucce„dat, ſingultus creberrimus miſerum ægrum fatigat, ſitis inexhauſta, „ſtranguria moleſta; & quæ calculum ſæpius mentitur; hypochondria „æſtuant, interdum ſine febre, ſæpius cum febre lenta, & quod to„tius mali caput eſt, acutiſſimus ventriculi, inteſtinorum, lumborum, „ilium, & inguinum dolor excruciat, quas partes interdum ſimul & ſe„mel, interdum alteram tantum vehementius exercet, ſæpe per initia „præſertim cum alvi frequenti, ſed non ita copioſo fluore, ſæpius cum „ejuſdem adſtrictione. Mox propagante ſe veneno, aut ſaltem humore „acri a materia morbifica ſuſcitato, humeri, mammæ, totumque pectus „velut aculeis vellicantur, punguntur, lancinantur; modo vero „crura & os ſacrum: nec deſunt, quibus plantarum dolores crudeliſſi„mi, motu illæſo, ventris dolores ſequantur. Et poſt tot ærumnas, mi„rum dictu, æger jam melius ſecum agi credens, ventris quippe do„loribus utcumque remittentibus, brachia & pedes reſolvi perſentiſcit, „& illam, quæ totos infuſa per artus molem agitat, vim frangi per„cipit. Cubiti & manuum, tibiarum & pedum motus perit. Hanc pa„ralyſim, *ſeu pareſim*, præcedunt aliquando epilepticæ aliquot convul„ſiones... aut plurium horarum cæcitas... Qui vero a tot, tantiſque „malis diligenti curantium opera, ſuperſunt, diutius lecto affixi, & par-

„tium

„ tium omnium, infra caput, paralyſi, *aut ſaltem pareſi* affecti vires „ paulatim recuperant, & poſt aliquot menſes, ſua artubus vi aliquantiſper reſtituta, per vicos veluti larvæ, aut arte progredientes ſtatuæ, pallidi, ſquallidi, macilenti identidem conſpiciuntur „.

Graviſſimus ille morbus plerumque ſporadicus eſt, ut ex obſervationibus non paucis, quæ apud medicos paſſim occurrunt, intelligere eſt, & ut a nobis plus vice ſimplici obſervatum fuit: aliquando tamen, ſed raro, etiam epidemicus. Sic eum anno 1572. inter Pictones, genteſque Pictonibus finitimas epidemice graſſatum eſſe narrat Citeſius laudato loco: ſic Damnonios in Anglia morbo eodem populariter affectos fuiſſe anno 1724. affirmat Joannes Huxham in peculiari tractatu, quem publici juris fecit Londini anno 1739, & in quo proſtat non diſpar morbi deſcriptio.

In eam opinionem inclinaſſe videtur Citeſius (*a*) morbum illum novum eſſe, & anno 1572. circiter inductum: quod quibus de cauſis ita crediderit, vix poſſumus ſatis aſſequi, cum bona fide confiteatur ipſe antiquitus obſervatum fuiſſe non modo a (*b*) Paracelſo, (*c*) Langio, (*d*) Fernelio, (*e*) Hollerio, (*f*) Eraſto, (*g*) Droeto, (*h*) Cratone, ſed etiam ab (*i*) Avicenna inter Arabes, imo vero inter Græcos a (*k*) Paulo Aegineta, a quo diſerte deſcriptus eſt. Sed quomodocunque ſenſerit Citeſius, certe conſtat id morbi genus, & ante & poſt Citeſii ætatem, in variis Aſiæ & Europæ regionibus rarius, frequentiuſve obſervatum fuiſſe, ut fidem faciunt apertiſſima quamplurium medicorum teſtimonia *, quæ vel ideo diligentius recenſere viſum eſt ad annum uſque

* 1130. *Halyabbas*, *theoric.* lib. 9. cap. 8. de paralyſi; & capit. 27. de colica.

1412. *Nicolaus Nicolus.* ſerm. 5. tractat. 8. cap. 40. *Item* ſerm. 3. cap. 5.

1430. *Johannes Michael Savonarola*, practic. tract. 6. cap. 16. rubr. 21.

1480. *Johannes Arculanus* in pract. med. *apud Foreſium.*

1496.

(*a*) Ubi *ſupra* cap. 1.

(*b*) *Undecim tract. anonymor.* tract. 4. de colica: *ſive*: *vol.* 1. p. 630. col. 2. *edit. Genevenſis.*

(*c*) *Lib.* 2. *epiſt.* 55.

(*d*) *De morbis* lib. 6. cap. 10.

(*e*) *de morb. intern.* lib. 1. cap. 41. *de colico dolore.*

(*f*) Lib. 4. *diſputat. contra* Paracelſum.

(*g*) In conſilio novo *de peſtilentia*, *cap.* 5.

(*h*) *Conſil.* 10. & 11. *epiſt.* 3. & 4.

(*i*) *Canon.* lib. 3. fen. 2. tract. 1. cap. 2. *de paralyſi. Ibid.* Fen. 16. tract. 3. cap. 6. *De colica.*

(*k*) *Lib.* 3. *capp.* 18. & 43.

que 1621. ut tanto efficacius abſtergeretur nota, inconſiderate, an maligne dicam, facultati noſtræ a Salmaſio & a Citeſio inuſta.

Scripſit

1496. *Alexander Benedictus*, *practic.* lib. 9. cap. 15.

1532. *Johannes Guintherius Andernacus*, *in* annotatione *ad* cap. 18. libr. 3. *Pauli Aeginetæ ab illo editi.*

1550. *Victor Trincavellius*, de ratione curandi libr. 3. cap. 1.

1550. *Leonardus Jacchinus*, in nonum Rhaſis cap. 51. de colico dolore.

1553. *Volcherus Coiterus*, in libr. obſervat. anatomicar. & chirurgicar.

1560. *Johannes Fernelius*, lib. 4. de Febribus cap. 10.

1573. *Franciſcus Valleriola*, lib. 1. obſerv. 3.

1575. *Guillelmus Ballonius*, conſil. medicinal. lib. 3. conſil. 70.

1577. *Thomas Jordanus*, de lue Moravica.

1580. *Johannes Crato à Krafftheim*, conſil. lib. 5. conſil. 21. & lib. 4. epiſtol. *ad Thomam Jordanum.*

1580. *Petrus Monavius*, lib. 2. epiſt. pag. 515.

1590. *Johannes Coſtæus*, annotat. in cap. 2. tract. 2. fen. 2. lib. 3. *Canonis Avicennæ*, ab illo editi.

1594. *Vidus Vidius*, *junior*, de cueatione membratim. *lib.* 9. *c.* 26.

1596. *Petrus Foreſtus*, obſ. lib. 10. obſ. 82. *in ſcholiis.* *Et* lib. 21. obſ. 5. *in ſcholiis.*

1598. *Caſparus Hoffmannus*, lib. 3. *conſiliorum a Scholzio editorum.*

1598. *Laurentius Scholzius*, *in conſiliis medicinalibus variorum medicorum quæ, collegit & edidit.*

1600. *Johannes Hieronymus Pulverinus*, *de curandis morbis*, c. 55.

1600. *Hercules Saxonia* practic. part. 1. cap. 10. Et lib. 3. c. 25.

1601. *Alexander Maſſarius*, practic. l. 1. c. 16.

1602. *Felix Platerus* praxeos medic. lib. 2. c. 2.

1606. *Joſephus Quercetanus*, Tetrad. graviſſ. affectuum c. 23. *De paralyſi.*

1609. *Johannes Schenckius a Graffenberg*, obſ. medicinal. lib. 1. *de paralyſi ex colica*, & l. 3. *de coli dolore.*

1609. *Gaſpar Wolphius*, apud Schenckium, lib. 3. *de coli dolore*, obſ. 10.

1609. *Jacobus Oetheus*, apud Schenckium, *ibid.*

1609. *Johannes Franciſcus Hildeſius*, ibidem.

1610. *Zacutus Luſitanus*, de medicor. princip. hiſtor. l*ib.* 1. hiſt. 45.

1613. *Gregorius Horſtius.* obſervat. libr. 2. obſ. 16. & libr. 4. obſ. 13. & problemat. therapeuticorum decad. 2. *quæſt.* 8.

1613. *Cornelius Thaurerus*, apud Horſtium lib. 4. obſ. 11.

1615. *Theodorus Collado*, de ſpalmatis medicis, cap. 79. errore 3.

1618. *Carolus Piſo*, obſ. & conſil. ſect. 4. cap. 2.

1618. *Johannes Klopfingerus*, diſput. a Genathio collectar. decad. 1. diſp. 5.

1621. *Epiphanius Ferdinandus* hiſtor. 35. fol. 105.

Scripſit hic (*a*) quidem P. Milonem, Pictavienſem medicum, „ cum „ Henrici Magni, felicis memoriæ Regis Chriſtianiſſimi, primarius medicus eſſet renunciatus, jamque eo nomine medicinam Lutetiæ faceret, „ in aliquot ægros hoc morbo implicitos incidiſſe, quos non ita eo loci adhuc obſervatos pluribus medicis, quaſi expreſſa colicorum pictonicorum exemplaria, indicaſſet. „ Ille (*b*) vero narrat, „ vidiſſe ſe „ cum ignorarent Pariſienſes medici qualis eſſet morbus, qui *Pictavicæ* „ *colicæ* nomen habet: primus ipſe eo laborare cum cœpiſſet Lutetiæ, & „ novem medici illum inviſerent, nullum ex his potuiſſe cauſam morbi, „ quo ægrotaret, ex ſymptomatis conjectari, neque nomen ipſius dicere: variaſſe omnes ſententiis: unum tandem poſt omnes, ab amico „ ad illum adductum fuiſſe, Pictavienſem Cardinalis Richeli medicum, „ Citeſium, qui ſtatim, ubi illum vidit, colicam Pictavicam eſſe pronunciavit, & eum ita curavit, ut paucas intra ſeptimanas ſanitati „ priſtinæ reſtituerit, incurabilem aliis futurum. „

Sed eccui tam credulo ſpes illis eſſe potuit ſe perſuaſuros unquam anno 1609. quo Milo in Curiam accitus eſt, & multo minus anno 1625. in quem cadit, ut citiſſime, Salmaſii ægrotatio, Pariſienſibus medicis ignotam fuiſſe colicam Pictonicam, quæ jamdudum ante tot medicorum monumentis celebrata, & ut de noſtris tantum dicamus, quæ indicata a Fernelio, memorata ab Andernaco, Dureto, Ballonio, demum ab Hollerio, Droëto & Piſone obſervata & deſcripta erat? Nemini prorſus, qui rationi locum dederit: quin potius pronum eſt inde concludere iniquum fuiſſe Salmaſium, qui allata de colicæ Pictonicæ antiquitate teſtimonia neſcire non potuit, ut qui vir eſſet multiſcius; iniquiorem vero Citeſium, qui eadem ignorare non debuit, ut qui medicus eſſet eruditus. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

II.

Ut adeo ſingularem morbi naturam explicarent medici, magno conſenſu hucuſque tenuerunt omnes in ea colicæ ſpecie 1. Bilis acris & mordacis copiam haud exiguam inteſtina multifariam impetere, laceſſere, & pungere, unde dolor colicus atrox & contumax, qui primum implet tragœdiæ actum. 2. Extenuatas & mobiliſſimas bilis illius particulas non paucas, celeri & ſubitanea quaſi μεταςάσει, in ſpinalem medullam rapi, ubi compreſſioni vel obſtructioni nervorum vertebralium locum dent, unde repentino morbi μετασχηματισμῷ advenit pareſis ſive paralyſis, quæ ultimum actum claudit. Sed unanimes illi in his duobus, quæ ſunt veluti præcipua rei fundamenta, in varias diſcedunt opiniones ſimul

(*a*) *Ubi ſupra*, *cap.* 2.

(*b*) Lib. *de annis climactericis*, p. 731.

mul atque rei ratio ſigillatius venit expendenda, atque adeo in apertam diſcordiam brevi recidit ſpecies illa aſſimulatæ concordiæ.

Volunt plerique bilem, quam pro morbi cauſa habent, in inteſtinorum cavo concludi, ubi interiorem illorum tunicam atrociter lancinet: putant alii, quos inter, magna nomina, Fernelium, Sennertum, Riverium numeraveris, bilem eamdem intra tunicas inteſtinorum, aut duplicem Peritonæi & Meſenterii membranam diffundi, ubi penetrantius agat & occultius.

Similiter, nec minore animorum concertatione, diſputatur de viis, modove, quibus fiat metaſtaſis. Sunt qui putent materiam morbificam ab inteſtinis in ſpinam per nervos convehi: ſunt qui venarum ope ad cor, & a corde per arterias in ſpinam deduci malint: ſunt demum qui de viis parum anxii, naturæ, ut opus ſuum exequatur, non deeſſe contendant meatus plurimos, oculis quidem minus obvios, ſed humori refluxuro facile pervios, quippe qui jure teneant corpus humanum, maxime dum vivit, eſſe totum σύμπνουν καὶ σύῤῥουν.

Sed haſce leviores controverſias, ne dicam argutias, parum ipſi curamus, ut qui ne duobus quidem præcipuis quæſtionis fundamentis modo propoſitis ſatis confidamus, ceu minus firmis. Suſpicio enim eſt, nec vana quidem, ſi vera aſſequimur, falſos eſſe veteres medicos in aſſignanda colicæ pictonicæ ſede, a qua erroris ſpecie palam eſt eos non ſatis ſedulo ſibi ſemper caviſſe. Sic hydropis tympanitæ ſedem, quam nunc compertum eſt in inteſtinis eſſe, quæ coercitis flatibus præter modum dilatantur, in ipſo abdominis cavo ſitam illi eſſe putabant, quo flatus undique confluerent incompertis & plane latentibus viis. Sic in hyſterica affectione uterum, qui a ſua ſede dimoveri nulla ratione poteſt, credebant illi per ventrem volutari globi ſpecie, imo vero ad collum aſcendere, quod hyſtericæ mulieres ſentiunt, quaſi injecto laqueo, ſibi interdum præcludi. Unde conficitur, exemplo facili, potuiſſe medicos eoſdem eadem oſcitantia colicæ pictonicæ ſedem, cauſamque in inteſtinis, aut vicinis partibus, quæ dolere videntur, falſo quoque ponere, ſi ſemel conſtiterit & inteſtina & partes inteſtinis finitimas ab idiopathica labe vacare omnino in ea morbi ſpecie, ut certo conſtare cenſemus, & plurimis & graviſſimis argumentis.

I. Quod in ipſo colicæ pictonicæ impetu, dum tormina torquent vehementiſſime, venter, ſive mollis ſit ut interdum, ſive tenſus & convulſus ut plerumque, non contrectari modo, ſed etiam premi & conſtringi poſſit ſine ulla doloris acceſſione: unde conſequens eſt inteſtina, cæteraſque partes ventre comprehenſas, quæ preſſum non ſentiunt, cauſæ nulli morbificæ, quæ illis inſit, ſubjacere; atque adeo ægrotos ipſos ludificari, quibus partes illæ dolere videntur.

II. Quod dolor colicus pictonicus nec inteſtinis, nec meſenterio, nec peritonæo perpetuo definiatur, ſed ultra circumquaque identidem exſpatie-

tur ad thoracis latera, brachia, lumbos, inguina, nates, crura, tibiaſque, quæ ſingula doloris morſibus crebris, acribus, ſolent non raro percelli, ex quo fit ut quemadmodum dolore harumce partium, quantuſcumque fuerit, nulla illius cauſæ morbificæ præſentis poteſt in illis argui, ſic pari jure neque dolore compari, qui ad inteſtina, vel alia viſcera pertinet, comprobari ullo modo poſſit, cauſam ullam morbificam in iiſdem partibus ſubeſſe.

III. Quod dolor in colica pictonica varius, fugax, temporarius ſit; partes varias derepente invadat, deſeratque; ſedem ex ſede mutet puncto temporis; huc & illuc impetum faciat, foras, intro, ſurſum, deorſum, ad dextram ſiniſtramve partem, & ut partes, quas obſidet miſerrime diſcruciat, ſic partes, unde abit, perfecte ſanas dimittat, nulla ſui relinquens veſtigia; unde pronum eſt colligere, ut malum nullibi hæret, ſic etiam nec mali cauſam hærere ullibi; neque enim fieri poteſt ut hæreat illa iis in partibus, in quibus malum ipſum non hærere certum eſt.

IV. Demum, quod cathartica dolorem colicum pictonum non evincant, ſed potius exaſperent: bilem nullam educant, ſed ad ſummum quid paucum muci vel pituitæ per vim deradant: unde conficitur bilem nullam, aliumve humorem in inteſtinis coerceri; ex quo labeſit vulgaris opinio: quem nodum perquam difficilem ut expedirent, placuit nonnullis, qui ſibi magis viderentur ſapere, comminiſci bilis morbum facientis ſedem eſſe, non in inteſtinis, unde deberet exturbari, ſed intra inteſtinorum tunicas, membranaſque meſenterii vel peritonæi, ubi lateat inacceſſa. Sed ne illi graviorem plagam amant accipere, ut leviorem repellant, quippe bilis tam alte defixa, & anguſte coercita, contra vim purgantium inacceſſa quidem futura eſt, at vero ſimul plane immobilis & undique concluſa varium & mutabilem dolorem nunquam illatura eſt, qualem eſſe dolorem colicum pictonum ſupra dictum fuit.

Hæc ſi teneamus, quæ quidem non videntur poſſe convelli, ſubverſo ſemel priore opinionis vulgo receptæ fundamento, ut ruat alterum neceſſe eſt. Etenim ſi bilis nulla, nullave materia morbifica adſit in inteſtinis, nec intra inteſtinorum tunicas, membranaſve meſenterii aut peritonæi, haud anxie inquirendum eſt, qua ratione, quibuſve viis materia bilioſa ab inteſtinis in ſpinam transferri poſſit. Urgeant ergo illi, quantum voluerint, exempla variolarum & morbillorum retrocedentium, aut arthritidis retropulſæ. Concedemus ultro vera hæc metaſtaſi peragi, ſed ea in exemplum duci poſſe nequaquam concèdemus, cum manifeſtum intercedat diſcrimen. Eſt in variolis atque morbillis, eſt in podagra humor verus, qui cutis puſtulas oppleat, qui diſtorqueat articulos, quique proinde poſſit alio transferri, vel alio divertere. At vero humorem nullum in inteſtinis adeſſe probavimus in dolore colico picto-

ctonum, atque adeo hoc in morbo metaſtaſis ulla ſupponi nec poteſt, nec debet.

Accedit quod in variolis, morbillis, arthritide, metaſtaſis gradarie fiat & certo temporis intervallo, principium, augmentum, ſtatumque habeat, atque motuum omnium naturalium leges teneat. Contra vero metaſtaſis, quam in dolore colico pictonum vellent ſupponere, foret repentina, inſtantanea, fulgure celerior, certiſſimis naturæ legibus pleniſſime repugnans, quæ nihil unquam molitur in inſtanti; unde colligere eſt metaſtaſim nullam ſupponi poſſe in colica pictonum, neque adeo novam & inopinam faciem, quæ morbo ſupervenit, cum in pareſim aut paralyſim deſciſcit, ea ratione unquam induci. Reſtat ergo, ut omiſſis antiquorum dogmatis ſive commentis, quæ ruinoſa ſunt, viam aliam conemur inquirere, qua tum ſingularis morbi natura, tum improviſus ejuſdem metaſchematiſmus enodatius explicentur.

I I I.

Utinam tam facile vera invenire poſſemus, quam falſa convincere; ſed in rebus phyſicis quid non ſit citius, quam quid ſit diximus. Dicendum tamen de quæſtione propoſita, cum id muneris ratio exigat, ſed ita ut nihil affirmemus, quæremus omnia dubitantes, plerumque & nobis diffidentes. Multa quidem circa cauſam colicæ pictonicæ in animo jam pridem verſabantur, quæ vulgarem explicationem diſſuaderent: ſed novam, quam afferimus, perſuaſit tantum ſequens obſervatio, a qua ideo viſum eſt rei expoſitionem auſpicari.

Quidam natus annos ſexaginta duos concidit ex alto in lumbos gravi lapſu: hinc dolor, tumor, inflammatio in contuſis partibus, cum febre & moleſtia totius corporis, quæ quidem adhibitis medicamentis depulſa ſunt in ſpeciem, ſed non eliſis mali ſtirpibus, ita ut aliquis doloris morſus identidem recrudeſceret ex cœli mutatione. Quarto decimo poſt anno accidit ex improviſo, ut æger ſibi metuens dolore afficeretur ſummo, modo in dextro, modo in ſiniſtro latere, ſed frequentius in dextro, qui varius, mutabilis eſſet; qui lenius, graviuſve ſæviret; qui late diffuſus ad mammas ſurſum, ad umbilicum deorſum extenderetur; qui in ſpatium brevius contractus coſtas tantum ſpurias vel hypochondrium occuparet; qui ſociam febrem haberet nullam. Adeo ſingularis & inopina mali facies mirationem fecit non levem: partes dolentes pluries & a pluribus contrectatæ, compreſſæ ſunt; ſana omnia deprehenſa, nec dolor a preſſione quantacumque invaleſcebat ullo modo. Adhibita therapeia multiplex, varia, ex conſilio medicorum vel ægroti arbitrio ſæpius mutata, ſed incaſſum omnia. Tandem æger ad thermas plumbarianas allegatur. Ecce, dum iter facit, paralyſi repen-

tina corripitur, & in ipſo temporis articulo dolor omnis exceſſit. Simul vero animadverſum eſt vertebras lumborum extrorſum protuberare, ceu luxatas incomplete. Veriſimillimum eſt iteratis & frequentioribus corporis concuſſionibus a ſubſultante curru acceleratam eſſe ſpinæ luxationem, atque inde natam paralyſim, quæ quidem abſoluta fuit in artubus inferioribus, ſed levior & ſimplex pareſis in ſphinctere ani & in veſica, ita ut alvum tamen redderet neſciens, urinam vero neque nitens reddere poſſet ſine cathetere. Perventum eſt nihilominus ad thermas quarum uſus propter novam morbi formam ægroto tanto ſalubrior eſſe videbatur. Ibi nihil non tentatum, potatio, balneatio, embroche, appoſitio lutorum, &c. ſed omnia fruſtranea fuerunt, ſi hoc unum excipias, quod alvum jam contineat firmius, & urinam reddat, ut lubet, quanquam paulo frequentius.

Hinc multa colligimus: 1. A caſu in lumbos, qui olim acciderat, labem vertebris, vel ſpinali medullæ contuſione illatam fuiſſe qualemcunque, quæ paulatim tacito & lento infarctui locum dedit, unde dolor ex cœli mutatione recrudeſcens.

2. Ab illa prima mali labe, quæ tacito acereverat, inductum poſt annos quatuordecim infarctum graviorem, quo principia nervorum lumbarium, & infimorum ex dorſalibus, vellicata, puncta, diſtracta fuerunt multifariam, unde dolor ille mutabilis, qui tunc advenit, acrius mitiuſve ſæviens, & ad hos aut ad illos nervos pertinens, ut varia nervorum principia varie moleſtabantur.

3. Ex legibus unionis animæ cum corpore dolorem illum ſecundum nervorum ductus ad partes, quibus extremi illorum fines proſpiciebant, relatum fuiſſe; unde dolor partibus variis thoracis aut ventris videbatur inſidere, quanquam ipſæ ab omni doloris cauſa vacuæ forent.

4. Demum, aucta mole invaleſcentis infarctus ſive ſtaſeos, luxatas fuiſſe vertebras, ac inde medullam, nervorumque principia ita compreſſa, ut inhibito ſpirituum influxu abierit quidem omnis dolor, at vero ſimul obvenerit gravis & difficilis paralyſis artuum inferiorum, cum pareſi veſicæ & ſphincteris ani.

Si ea conſectaria admittantur, ut admittenda eſſe putamus, non videmus qui poſſit ſequentibus conjecturis aſſenſus denegari.

1. In colica pictonum humoris cujuſcumque, de quo mox videbitur, ſtaſim ſeu infarctum fieri in cortice medullæ intra lumbares vertebras comprehenſæ, aut in membranis corticem illum ambientibus.

2. Humorem, qui ſtagnando ſtaſim ſeu infarctum parit, adſita nervorum principia vel pungere & laceſſere, ſi paucus ſit, ſed acer, unde dolor *pungitivus*; vel diſtendere atque diſtrahere, ſi copia abundet, ſed expers acrimoniæ, unde dolor *diſtenſivus*; vel pungere & ſimul diſtendere, ſi peccet acrimonia ſimul & copia, unde dolor *pungitivo-diſtenſivus*.

3. Do-

3. Dolorem inde genitum, cujuſcumque ſpeciei ſit, ex legibus naturæ ad extremos nervorum fines, atque adeo ad partes ad quas fines illi terminantur, debere referri. Quod ne cui mirum videatur, attendat, quæſumus, ad exempla ſimilia, quæ paſſim obvia ſunt. Sic quoties ictu contunditur nervi truncus cubito ſubſtratus, qui ad auricularem manus digitum pertinet, toties dolor auricularem digitum tandiu occupat, quandiu permanet trepidatio, quæ ictu nervo impreſſa fuit in cubito. Sic qui pede vel brachio exſecto, quoties pungi, laceſſi, diſtrahi contingit reliquum nervi truncum, cujus rami ad pedem vel brachium olim pertingebant. Sic epileptici non pauci queri ſolent, accedente inſultu, de *aura frigida*, quæ a parte quadam ſurſum aſcendat, cerebrumque impetat, opprimatque; cum manifeſtum ſit, ſpeciem illam aſcendentis auræ frigidæ unice deberi impreſſionibus, quæ a cauſa morbifica paulatim in cerebro invaleſcente gradarie fiunt in principiis nervorum proſpicientium partibus, quas aura frigida videtur percurrere.

4. Proinde dolorem, quem experitur ægrotus in colica pictonum, ſedem ex ſede mutare; momento temporis partes varias, propius longiuſve diſſitas, pervagari; varie accedere vel excedere derepente; nulla ullibi ſui veſtigia relinquere; graduque varium, lenius atrociuſve ſævire; prout in ſpinali medulla varia nervorum principia, partibus vicinis vel remotis proſpicientia, vario impreſſionis gradu majore minoreve, per vices ſtimulantur: quæ variationes, licet in corporis peripheria latum ambitum occupare videantur, intra ſpinalis medullæ clauſtra, ubi principia nervorum ſibi proxime adſita ſunt, arcto ſpatio peragi poſſunt, nulla vel minima cauſæ morbificæ trajectione.

5. Morbum in eo ſtatu aliquando ſubſiſtere, nec ultra progredi, rara ægroti felicitate, qui dimidium mali tantum ſuſtineat, ſi ſtaſis infarctuſve ſubſiſtat ipſe cauſæ morbificæ ignavia, aut quod tutius eſt, ſi humorum eucraſia, firma corporis conſtitutione, vel remediorum efficacia reſolvatur & diſcutiatur.

6. At vero, ſi mole & amplitudine ſtaſeos ſive infarctus in dies ſuccreſcente, contingat medullam ſpinalem arcte comprimi, inde denegato ſpirituum ad inferiora influxu artus inferiores paralyticos fieri; qui ſummus eſt & graviſſimus morbi gradus: imo, ſi nonnulla nervorum principia, ſupra compreſſionis locum ſita, ab eadem cauſa vel omnino, vel partim anguſtentur, artuum ſuperiorum paralyſim vel pareſim varie inde provenire.

His abunde declaratur nova, quam proponimus, morbi ætiologia: reliquum eſt ut ſtaſeos ſive infarctus, quem pro primaria morbi cauſa habemus, natura, ſpecies, cauſæ paulo fuſius & enucleatius exponantur, quod paucis confectum dabimus.

In ſumma, ſtaſis ſive infarctus omnis, in quacunque corporis parte

 fiat,

fiat, ſtagnatio eſt præternaturalis humoris, humorumve, quibus pars perluitur. Hinc in ſpinali medulla, quam ſanguis per arterias, & lympha per lymphatica vaſa irrorant, ſtaſis gemina; *ſanguinea* altera, a ſanguine; altera *lymphatica*, a lympha ſtagnante.

Staſis ſanguinea in duas alias dividitur pro modo, quo ſolet invadere; ſi ſubito, celeri & violento impetu, *Phlegmonodes*; ſi lento & tacito progreſſu, arteriarum capillamentis, in quibus ſanguis hæret, pedetentim dilatatis: *aneuriſmatodes* appellatur.

Similiter ſtaſis lymphatica, quæ ab inſpiſſata & hærente lympha ortum habet, gemina eſt: Altera *ſimplex* ſeu *legitima*, in qua ſolius lymphæ ſtagnatio: altera *compoſita* ſeu *notha*: in qua cum lymphæ ſtagnatione conjuncta eſt & ſociata ſanguinis ſtagnatio: & hæc pro diverſa ratione ſtagnationis alterutrius ad alterutram vel *lymphatico-ſanguineæ*, vel *ſanguineo lymphaticæ* nomen obtinet.

Porro cauſæ ſtaſeos ſive infarctus in ſpinali medulla, a conſimilibus cauſis, quæ ſimiles aliis in partibus ſtaſes infarctuſve producunt, non abludunt, & debent perinde diſtribui in *locales* & *univerſales.* Locales ſunt, quæcumque lumbis ſpecialem noxam inferunt, inter quas numerari poſſunt, lumborum refrigeratio a vento, balneo, pluvia, nive; contuſio ab ictu vel caſu; diſtorſio a motione vel flexione violenta; compreſſio caſu illata in curru vel in turba. Latius patent cauſas univerſales, quæ toti corpori communes ſunt, ut ſanguinis & lymphæ ſpiſſitudo præternaturalis, inducta largiore diæta; vita nimis otioſa; alimentorum aut potulentorum vitio; aeris, qui ducitur, peſtilentia; latente ſeminio venereo, ſtrumoſo, ſcorbutico; humore arthritico in retropulſa vel anomala arthritide, &c. Sed cauſæ iſtiuſmodi, quantæcumque ſupponantur energiæ, ſtaſim nullam, nullumve infarctum in ſpinali medulla parere unquam poſſunt, ſi labes aliqua localis non intercesſerit, quæ, licet incomperta, vim univerſalis cauſæ medullæ ſpinali ſpeciatim applicet.

Quod ſi ea probentur quæ aſſerimus, conſequens eſt, ut morbus nec colica nominetur, ut hactenus; nec inter dolores colicos recenſeatur amplius, a quibus natura, ſede, cauſa, curatione omnino differt; ſed appelletur potius *rachialgia*, nomine magis appoſito, quod valet *morbum medullæ ſpinalis*, & quod appoſite morbi naturam indigitat.

I V.

In præcedentibus non pauca, nec levia attulimus, quæ novam ætiologiam probent: omiſſa tamen duo, quæ eidem fidem facere poſſunt.

Alterum, quod ea ratione medulla ſpinalis eadem naturæ lege jam teneatur, qua reliquæ corporis partes, quibus omnibus, ut nimis notum eſt, dura morbi neceſſitas incumbit. Hactenus illa, quo privilegio

gio neſcimus, viſa eſt nulli morbo, nulli noxæ patere. At nunc æqua & communi conditione *ſuos patietur manes*, ſuas ſcilicet affectiones, quarum timeo ne numerus magis augeatur, ſi ejuſdem natura diligentius introſpiciatur.

Alterum, quod admiſſa nova hac ætiologia morbi ſymptomata, in quibus exponendis aqua hærebat olim, poſſint nunc facili opera explicari, quod certum veri argumentum eſſe videtur.

Sic 1. Quandiu cunctatur morbus, ut cunctari ſolet quoties fit ab infarctu aneuriſmatode vel lymphatico tarde accreſcente, tandiu medulla, quæ invaleſcentem morbum ſentit, & quæ in dies tacite magis anguſtatur, parciores ſpiritus & lentius motos nervis lumbaribus ſuppeditat, qui ventriculo & inteſtinis proſpiciunt; unde, labaſcentibus partium illarum functionibus, anorexia, dyſpepſia, nauſea, ructus, ſingultus, vomitus, cardialgia, vitioſa chyli confectio & diſtributio, &c.

2. Chylo iſtiuſmodi jugiter affuſo ſanguis fit in dies craſſior, ſpiſſior, minus fluxilis, ideoque cordis motui ægrius, ſegniuſque obſequitur: unde faciei pallor, frigus extremorum, languor virium, anxietas, vigiliæ, &c. quæ ſunt incipientis morbi præludia.

3. At vero ſimul ac infarctus, qualiſcumque naturæ fuerit, ad ſtatum pervenit, tunc neceſſe eſt nervorum principia fortius premi, diſtrahi, pungi, atque inde dolorem varium excitari, leniorem, acrioremve, qui ex naturæ legibus referri debet ad inteſtina, ventriculum, meſenterium, peritonæum, mammas, latera thoracis, ilia, inguina, crura &c. prout principia nervorum, quæ ſtimulantur, varie terminantur: unde dolere videntur partes illæ, & tamen vel ipſo doloris impetu contrectari & premi poſſunt ſine ulla doloris acceſſione, quippe quæ ab omni cauſa morbifica vere immunes ſint.

4. Poteſt humor, qui infarctum facit, fere immotus, vel minima ſaltem ſui trajectione varia nervorum principia laceſſere, hæc aut illa, quoniam in origine omnia proxime adſita ſunt: vel quod ſatius eſt, poſſunt arteriarum capillamenta minima, infarctui interjecta & media, modo hic, modo illic levi de cauſa fortius vibrare, & appoſita nervorum principia, modo hæc, modo illa, validius impetere. Utravis cauſa perinde futurum eſt, ut varia nervorum principia, nunc hæc, nunc illa, ſtimulentur: unde dolor varius, mutabilis, ſedem ex ſede mutans, partes varias invadens, deſerenſque, & nulla ſui relinquens veſtigia.

5. Per nervos in origine ſtimulatos debent ſpiritus, ut ex legibus œconomiæ animalis compertum eſt, uberius & celerius devolvi in partes varias, ad quas ſinguli nervi pertingunt: unde erethiſmi fibrarum inteſtinalium; ſpaſmi ſphincterum ani & veſicæ, & hinc conſtipatio, & ſtranguria, convulſiones muſculorum epigaſtricorum, diaphragmatis, brachiorum, crurum, lumborum, tibiarum; ſucculſiones ſpaſmodicæ trun-

trunci, &c. quæ ſingula, ut momento temporis ex improviſo ſuccedunt; ſic etiam derepente excedunt.

6. Accreſcente ultra modum infarctu, accidit tandem medullam ita comprimi, ut ſpirituum fluxus in nervos infra poſitos inhibeatur: unde paralyſis artuum inferiorum. Accidit etiam aliquando principia nervorum vertebralium, qui infarctus loco ſuperiores ſunt, ipſa quoque preſſionem ex parte ſaltem pati: unde paralyſis imperfecta ſeu pareſis brachiorum, manuumque.

Omittimus ſymptomata quædam alia a Citeſio recenſita, ut cæcitatem & epilepſiam, quod in ſporadica rachialgia non obſerventur. Adſunt fortaſſe in epidemica, de qua Citeſius, cujus cauſa, cum latius pateat & magis efficax ſit, cerebrum occupare poteſt. Sed hæc nunc non curamus.

Haud mirum dolorem rachialgicum pro dolore colico vulgo habitum fuiſſe, quocum in multis convenit, ut qui ſoleat perinde inteſtina, parteſque alias ventre comprehenſas diſcruciare, per vices invadere, & torminum inſtar identidem recrudeſcere. At vero ſi res diligentius attendatur, dolorem illum a quocumque dolore colico differre palam erit ſignis ſequentibus.

1. Quod uſu enematum & catharticorum, nedum mitigetur, ut colicus ſolet, ſed potius exacerbetur, potiſſimum ſi acriora ſint & mochlica.

2. Quod non intra abdominis clauſtra contineatur, ut dolores colici omnes, ſed ad mammas, thoracis latera, inguina, ilia, crura, late extendatur.

3. Quod in ſummo doloris impetu partes, quæ dolere videntur, non modo contrectari, ſed etiam premi poſſint & conſtringi ſine ulla doloris acceſſione, quod decretorium eſt, nec in ullo dolore colico unquam obſervatur.

Magis dubia eſt & paulo incertior dignotio variarum doloris rachialgici ſpecierum, quam tamen conjecturis ſequentibus aſſequi poſſumus.

Si dolor acutus ſit, celeriter invaſerit, ægrotum afficiat, qui juvenis ſit & temperamenti fervidi ac ſanguinei, febremque ſociam habeat, continuam, tertianam, lentam; opinioni locus eſt morbum a ſtaſi phlegmonode dependere.

Contra vero, ſi dolor remiſſior fuerit, morbus lente acceſſerit, ægroto accidat, qui ſenex ſit & temperamenti pituitoſi, nullamque febrem adjunctam habeat; argumentum eſt morbum a ſtaſi aneuriſmatode vel lymphatica induci.

Quod ſi ſigna medium quiddam teneant, haud vana ſuſpicio erit morbum utriuſque cauſæ participem eſſe, & a ſtaſi ſanguineo-lymphatica, vel lymphatico-ſanguinea ortum ducere.

Haud omittendum humorem arthriticum, qui in arthritide anomala aut

aut retrograda, & ſcorbuticum, qui in ſcorbuto vago remeant in ſanguinem, poſſe perinde ac in reliquas corporis partes, ſic etiam in medullam lumbarem, vel in inteſtina deponi: ſi prius, fieri rachialgiam arthriticam vel ſcorbuticam, unde dolores rachialgici colicos pro more mentientes, Si poſterius, colicam arthriticam pariter aut ſcorbuticam induci, unde dolores colici veri; quæ quidem affectiones natura & cauſa ita affines ſunt, ſimileſque, ut minus cautos fefellerint ſæpius, ſed quas tamen diſtinguere facile eſt ex dictis. Si venter, cum maxime dolet, vel dolere videtur, premi poſſit ſine ulla doloris acceſſione, dolores ſunt rachialgici, quorum cauſa ſubeſt in medulla, & quibus periculum eſt ne paralyſis ſuccedat. Si contra dolor ventris preſſione graviter intendatur, dolores ſunt vere colici, quorum cauſa reſidet in ventre, nec in paralyſim unquam evaſura eſt.

In rachialgia multa concurrunt, quæ morbi gravitatem denuntiant.

1. Dolor atrox ægrotum fere perpetuo torquet & excruciat, ac per vices repentino impetu exacerbatur, a quo nec quies, nec remiſſio.

2. Pervertitur naturalis alimentorum appetitio, concoctio, egeſtio, unde malorum ilias.

3. Anomala fit circulatio ſanguinis ob crebras validáſque convulſiones, quibus pleræque abdominis partes ſuccutiuntur; & ſpaſmodicas conſtrictiones, a quibus cor ipſum non immune eſt.

4. Quod peſſimum eſt, latet intra clauſtra ſpinalis medullæ ſtaſis præternaturalis, cujus reſolutio anceps & incerta, quæ in gangrænam aut abſceſſum facile abire poteſt, ſi a cauſa inflammatoria, quod utrumque exitiale eſt; quæ fere perpetuo terminatur in tuberculum ſive ganglion, durum, calloſum, ſcirrhodes, unde paralyſis magis vel minus completa, ſed perinde incurabilis.

Quæ ſingula, & a fortiori, quæ univerſa inter ſe connexa atque conjuncta demonſtrant rachialgiam inter graves, moleſtos, periculoſos affectus præcipuum obtinere locum.

Variat tamen periculum, & varie æſtimandum eſt.

1. Pro natura cauſæ: majus enim, ſi ab infarctu inflammatorio, a quo gangræna aut abſceſſus imminent, unde certus & celer interitus: levius vero, ſi ab infarctu lymphatico, a quo paralyſis quidem impendet, ſed non ſine ſpe aliqua convaleſcendi, vel ſaltem prorogandæ vitæ.

2. Pro gradu cauſæ, in quo diſtingui debet *intenſio*, quam modus doloris; *extenſio*, quam gemina illa ſigna, ut varie concurrunt, opportune indicant.

Ut certior inſtituatur prognoſis, oportet prænoſſe morbi ſtadia, quæ varia ſunt pro cauſæ ſpecie. Si a ſtaſi phlegmonode, morbus acutus eſt, & intra dies quatuordecim aut viginti judicatur: ſi a ſtaſi lymphatica, acutus ἐκ τῆς μεταπτώσεως vix quadrageſimo die terminatur:

quod ſi ab anevriſmatode ſtaſi fiat, aut in paralyſim ſemel degeneraverit, inter chronicos annumerandus, qui ad plures annos prorogari ſolent.

V.

Duo ſunt morbi tempora, in quibus longe diſpar mali facies, ut dictum eſt; alterum cum dolor torquet & diſcruciat: *alterum*, cum decedenti dolori ſuccedit ex improviſo paralyſis artuum inferiorum cum pareſi ſuperiorum. Diverſo utrique morbi ſtatui diverſa totuplex medetur therapeia, de qua ordine jam dicendum.

I. Quandiu dolor urget acerbus, quo totum prius morbi ſtadium comprehenditur, tandiu ad tres ſequentes indicationes prudentis eſt medici ſedulo attendere: 1. ut omiſſa omni cunctatione, infarctus qui fit imminuatur, & diſcutiatur qui jam factus eſt: 2. Ut, dum ea perficiuntur, in uſum advocentur paregorica & anodyna omnis generis, quæ partem dolentem relaxando doloris impetum leniant: 3. Si ea tardius ſuccedant, ut narcotica doſi adhibeantur ſufficiente, quæ doloris morſus obtundant, ſopiantque. Tribus illis indicationibus opportune ſatisfaciunt remedia ſequentia, quorum ad eam morbi ſpeciem virtus efficax eſt, & uſus maxime comprobatus.

1. Sanguinis miſſio e cubito, quo non certius, efficacius, præſentius auxilium eſt: nam 1. cum de ſanguinis copia detrahat, & momentum cordis in contractionem nitentis ſimul infringat, fit inde ut ſanguis ad affectam partem & parciore quantitate, & minore impetu appellat; unde minor futura eſt ſtaſis, quæ imminet, aut quæ jam fieri cœpit: 2. Cum partis affectæ erethiſmum, quo reſolutio arcetur, laxet, & vaſa ſimul depleat, atque adeo tanto magis pervia faciat, liberior inde recluditur via refluxuro ſanguini; unde promtior reſolutio infarctus jam facti, quod utrumque in rachialgia palmarium eſt.

Longe tamen abeſt, ut miſſionem ſanguinis æque neceſſariam, utilemve eſſe judicemus in quacumque rachialgiæ ſpecie. Expedit in rachialgia a ſtaſi ſanguinis & inflammatoria ſanguinem mittere largiter & ſæpe, quarta vel ſexta quaque hora, primis duobus morbi diebus, ut in cætera quavis affectione inflammatoria graviore, ſi temperamenti ratio ita ſuadeat, nec repugnent ætas, vireſque ægroti. At vero & rarius & parcius mittendum cenſemus, ſi morbus dependeat a ſtaſi lymphatica, quo in caſu tamen conducit quoque, & reſolutionem infarctus efficaciter promovet, modo non fiat a nimia fibrarum inertia, quod in rachialgia nunquam contingit.

2. Larga potatio, qua ſanguis & lympha ſpiſſiores diluantur, atque adeo circulationis legibus facilius obſequantur. Si qua febris adſit, ptiſana parari debet ex levi decoctione plantarum temperantium & refrigerantium, ut radicum graminis, fragariæ, acetoſæ, aut infuſione florum malvæ, verbaſci, violarum, Si vero febris abſit omnino, pote-

terunt in ptiſana leviter decoqui folia plantarum vulnerariarum & diureticarum, ut ſaniculæ, bugulæ, veronicæ, virgæ aureæ.

3. Cataplaſmata anodyna lumbis applicita ex mica panis cum lacte & ſemine lini integro, vel ex oryza cum lacte cocta, vel ex pulpa plantarum emollientium cum oleo liliorum. Quod ſi irrequietæ ægroti jactationes propter doloris morſus & tormina, uſum cataplaſmatum non permittant, illorum vicem implere poterunt fomenta tepida ſpinæ lumbaris cum decocto emolliente, aut iterata inunctio olei liliorum, ſeminumve frigidorum, vel butyri de cacao.

4. Semi-cupia tepida ex decocto emolliente, in quibus ægrotus tamdiu detinendus eſt, quandiu doloris remiſſione quietus poterit inſidere, ut macerata corporis ſuperficie, ad interiora relaxatio pedetentim pertingat, quod utcumque in tam ſpiſſo, quod interjacet, intervallo ſatis difficile eſſe videatur, compertum tamen eſt experientia aliquando opinione celerius ſuccedere, neque adeo unquam omittendum eſſe.

5. Quod ſi, licet morbum remediis coneiis evincere, urgeat tamen dolor acer, fere continuus, omni momento invaleſcens; intereadum ægrotus medicinam ſentire poſſit, ad narcotica recurrendum eſt, ex quibus uſu maxime comprobantur Laudanum & tinctura laudani Sydenhamii. Ea autem remedia, ſingulis horis, doſi moderata, exhibere ſatius eſt, donec dolor compeſcatur, quam nimia doſi, & majore plerumque quam opus fuerit, ſemel exhibita, ægrotum derepente ſtupefacere ultra modum, ceu lethargo preſſum.

Cæterum non repugnandum, ne dum hæc geruntur, ægroto cathartica ſæpius exhibeantur, aut enemata infundantur, dummodo nihil acrius, nimiſve draſticum admiſceatur, quod noxam rodendo inferre valeat. Nobis quidem perſuaſiſſimum eſt, alvum purgatione fruſtra ſollicitari, cum morbus ſedem ibi non habeat; ſed hæc facile poſſunt præjudicio vulgi, imo ægrotantium errori condonari.

II. Quotieſcumque morbus curam omnem vicit, & in paralyſim evaſit, tunc una eſt indicatio, circa quam tota verſari debet medici ſolertia, ſcilicet ut omni ope atque opera diſcutiatur infarctus, quo medulla ſpinalis opprimitur, & diſcutiatur quamprimum, eum mora non modo invaleſcat, ſed etiam, quod pejus eſt, magis induretur, unde remediis repugnat tanto pertinacius. In hunc finem ſequentia remedia efficaciter adhibentur:

1. Sudorifica, quæ ſanguinem & lympham atterant & extenuent, inter quæ laudantur maxime, tum decocta ex lignis, plantiſque ſudorificis parata, guaiaco, ſaſſafras, ſarſaparilla, & radice chinarum, bis vel ſemel in die exhibenda per menſem, & diutius, ſi ita videatur; quibus, ſi catharſi opus ſit, poſſunt folia vel folliculi ſennæ incoqui: tum juſcula ex viperis ſecundum artis leges præparata, mane in lecto

potui danda per dies viginti, imo diutius, niſi ſiccior aut fervidior ægri temperies diſſuadeat.

2. Hidroſis ſive ſudatio ſub laconico provocata ex arte accenſo ſpiritu vini, vel projectis per vices ſuper prunas cinnabari cum reſina quavis ad partes æquales permixta, vel ſuccino pulverato; a quo tamen remedii genere cavendum eſſe putamus, ſi æger temperamenti bilioſi, ſicci, fervidi fuerit.

3. Aperientia, incidentia, attenuantia efficaciſſima, ut flores martiales, cinnabaris, æthiops mineralis, aquila alba, mercurius violaceus, gummi ammoniacum, ſal glauberianum, arcanum duplicatum, ſal ammoniacum, cum catharticis, diagrydio, jalappa, aloë, &c. ex quibus boli, pilulæ, opiatæ confici poſſunt, quibus oportet ut æger per plures dies utatur mane jejuno ventriculo, ſuperbibendo juſculum vel apozema ex plantis diureticis, vel hauſtum decocti ſudorifici, de quo ſupra.

4. Thermæ, eæ vero maxime, quæ vi pollent certa attenuandi & liquandi, quales præcipuæ ſunt, ſi non unicæ in Galliis & in Europa, Aquæ Baregianæ in Pyrenæis montibus. Oportet autem nullum ex auxiliis prætermittere, quod thermæ afferre valeant, ideoque adhibenda potatio, balneatio, embroche ſupra partes affectas, quam vulgo *Duciam* dicunt, imo etiam ſtufa, ſi ſtufa illic in uſu fuerit, quæ ſingula & diu uſurpari & ſæpius iterari debent, cum in eo morbo curando thermarum uſus ſit veluti ſacra anchora ſeu ſpes ultima.

5. Interim non negligenda, ſi occaſio fuerit, remedia aliquot alia, minoris quidem efficaciæ, ſed magis parabilia. Sic 1. ſingulis diebus mane in lecto ſpina dorſi & lumborum confricanda eſt, donec rubeat, manu nuda, pannove laneo, modo ſicca, modo prius illita oleo catellorum vel lumbricorum, aut pinguedine viperarum. 2. Si præſto ſit arena marina, quæ ſale muriatico gravida eſt, & ideo ad attenuandum magis idonea, adhibenda ammochoſia per dies aliquot continuos, hoc eſt arena illa calore ſolis, aut illius vice calore furni excalefacta ægrotus nudus contegendus eſt collo tenus, & ibi detinendus, donec affatim ſudaverit. 3. Utrique lumborum lateri veſicatoria emplaſtra apponenda, vel inurendus fonticulus geminus, unde manet ubertim ichor lymphaticus, qua ratione compertum eſt craſſiores materias altius impactas, & adverſus cetera remedia contumaces, paulatim diſcuti & exhauriri.

Ceterum ſi, dum hæc aguntur, contingat ut dolores recrudeſcant, quod plerumque argumentum eſt materiam vi remediorum atteri, rarefieri, expandi; neceſſe eſt venam identidem incidere in cubito, & ſanguinem mittere largius parciuſve pro medici prudentia, ut impendens phlogoſeos novæ periculum avertatur, & ſimul occurratur doloris renovationi.

Quæ ſingula abunde demonſtrant non modo in utroque morbi ſtatu utilem eſſe venæ ſectionem in cubito, ſed etiam non alterum ullum dari auxilium certius, præſentiuſque, unde concludimus,

Ergo morbo, Colicæ Pictonum *dicto*, Rachialgiæ *verius dicendo conducit venæ ſectio in cubito.*

J. BAB.

LXXXV.

J. BAPTISTÆ DU BOIS,

NON ERGO COLICIS FIGULIS VENÆ SECTIO.

Pariſiis 1751, & item 1756, 26. Febr.

I.

HOminis natura morbis eſt obnoxia communibus: locum habet vitæ genus inter plurima, quæ pariunt ſingulares. Ut ſuæ Urbanis, Ruſticis, Literatis, Operariis ægritudines, ita ſuæ ſingulis ægrotationes morbique ſui ſunt. Non temere credetur neminem Reipublicæ, abſque ſanitatis & vitæ diſcrimine, ſervire. De omnibus omnium artificum morbis agant, quibus Cl. *Ramazzini* veſtigiis inſiſtere & placuerit & licuerit. Nos ex eorum numero Figulum, hujuſque morbum unum eligimus.

> *In tenui labor: at tenuis non gloria, ſi quem*
> *Numina læva ſinunt, auditque vocatus Apollo.* (a)

Etſi vero Figulos tantum, noſtræ inſcripſimus (b) quæſtioni, hanc tamen ad multos alios Opifices pertinere palam fiet. Ferrum non modo, in vulnera cædeſque, cæca Mortalium cupiditas è terræ viſceribus eruit. In iis etiam audacter quærit *Iliada* venenorum, quibus cruciantur & necantur, qui vitam, humana conditione brevem, in fodinis breviorem agunt. Ex eorum manibus erumpunt plumbum, ſive nigrum, ſive album, æs, *cinnabari*, argentum vivum, (c) cobaltum (d) *ſmyris*, auripigmentum, *arſenicum* rubrum, tamquam enſes totidem in Operarios diſtricti. Attendite, Magnates, & diſcite quo periculo, quo pretio, manuum vobis famuletur induſtria: quot veſtri luxus victimæ ſint: quot malis, quot doloribus, quot funeribus veſtræ conſlentur ædes, dum plumbo & ære muniuntur; dum pinguntur & inaurantur; dum marmore, *porphyrita*, jaſpide, vitro, ſpeculis, *cryſtallis encauſtiſque* decorantur. Hæc omnia perfici nequeunt, abſque recenſitorum venenorum uſu & tractatione. Hinc (e) Vitrarios malum idem, quod Figulos, adoritur. Hinc (f) æris

(a) Ut Poetæ, ita & Medici, pari jure, Apollinem vocant.

(b) Veteri conſuetudine inſtitutoque Saluberrimæ Academiæ, quæ ſemper in quæſtionibus publice diſcutiendis perſpicuitatem, ſimplicitatem, unitatem requiſivit. Quem morem ut arcte & religioſe teneremus, nullum remedium, præter venæ-ſectionem, *problemate* voluimus exprimi, quamvis de plurimis aliis in hujus opellæ contextu agendum eſſet.

(c) *Arſenici* albi parens lapis: *marcaſitam* dicunt.

(d) Lapis metallicæ particeps naturæ. *Smyridis* ea ſpecies, qua operarii noſtrates utuntur, ferrum multum, cupri non nihil continet.

(e) Ob frequentem plumbi liquandi, in laminas ducendi, ſtriandi & multifariam concinnandi neceſſitatem.

(f) Sequenti adumbratione, morem gerimus monito noſtri Collegæ populariſque amiciſſimi, M. *Vieillard.* Scriptis enim his verbis comiter nos compulit: *Ne dites-vous*

æris, plumbi, ſtanni, (*g*) argenti atque auri fabris eadem impendet lucri pœna. Simili cauſa parique modo plectuntur qui *cryſtallo*, ſpeculis, marmori, gemmis aut cædendis, aut poliendis (*h*) operam navant. Nec laborant auſpicatius (*i*) Pictores & (*k*) *Encautæ*. Querulam nobis indulge

vous rien de ces pauvres habitans de Ville-Dieu? Scripſit & plura, quæ non commemoramus, ut pote quæ jam à longo tempore noſtra eſſent. Metallicæ peſtis exemplar ſit Ærariorum calamitas. Miſeriarum, quibus hi conflictantur, adeuntibus *Normanniæ* inferioris, in *Diœceſi Conſtantienſi*, oppidulum, Gallice *Ville-Dieu-les-Poêles*, *theatrum* patet frequentiſſimum. Regnant ibi, non quidem errores, & nequitia Ærarii *Alexandri*, quem è Fidelium cætu *D. Paulus* expulit *, ſed luctus communis, publicus dolor, ſqualor univerſus, habitus corporis macie civica torridus. Ibi vultus & capilli æra crinita mentiuntur: ibi vertigo, cæcitas, ſurditas, omnium ſenſuum hebetudo, colli, ſpinæ artuumque diſtorſiones, totius corporis tremor & imbecillitas juvenem, adoleſcentem, puerum quemque immaturo ſenio ita conficiunt, vix ut ulla diſcernatur ætas. Quid cauſæ eſt? Metallica de cœlo ducitur anima. Sedatur ſtanneo potu ſitis. Æreo pane vivitur. Nec mirum. Locum eum incolunt Ærarii mille *Pyracmones*, qui fabricæ ſuæ veneno Jovem, Cererem & Bacchum indeſinenter inficiunt.

> *Nec mora nec requies* .... *Fornacibus ignis anhelat* ....,
> *Fervet opus* .... *Fluit æs rivis* .... *ſtridentia tingunt*
> *Æra lacu*, ... *celeres* .... † .... *validique incudibus ictus*
> *Auditi referunt gemitum*, ... *colleſque reſultant.*
> *Tecta fremunt* .... *ſonitu ingenti* .... *tremit excita Tellus* * *

Viatores ad Vulcaniam illam inſulam accedere ſibi videntur,

> *Quam ſubter ſpecus & Cyclopum exeſa caminis,*
> *Antra Ætnæa tonant.* Id. Æn. 8.

Quid plura? Ob ſtrepitum martulorum, Dodonæos lebetas ferientium, quota audita ſit hora quærere, convicium eſt & crimen, martulo ipſo in interrogantis caput vibrato, identidem expiandum.

(*g*) Non quidem iis, qui ex argento, vel auro, ſincero ſolida opera conficiunt, ſed qui hæc metalla aut ſordibus purgant, plumbi, vel *ſtibii* adjectione, aut facta, interventu *hydrargyri*, ductiliora modo fingunt in bracteas, modo in fila ducunt.

(*h*) Suas enim cotes & ſerras, aliave apta ſectioni & polituræ inſtrumenta contrita Smyride aſperant. Nec ſilentio prætermitti debet argentum vivum, aut ſtannum, ſpecularibus *cryſtallis*, ad colligendos reflectendoſque luminis radios, pone ſuperaddendum.

(*i*) Non *Mignartios* hoc nomine intelligimus, non *Rigaudos*, non *Coypellios*, quorum imperante penicillo, telæ parieteſque ſpirant; ſed eos qui ceruſſam, minium, æruginem, *cinnabari*, lapidem Armenium, lapidem *cyaneum*, vulgo *lazuli*, *arſenicum*, aut flavum, aut rubrum, & ſimilia comminuunt, unoque verbo, qui colores terunt.

(*k*) Quibus foſſilibus Pictores utuntur, iiſdem fere componuntur *encauſta*, ſive clara & pellucida, quæ vitro *cryſtalloque* liquentibus interfuſa miſcentur, ſive ſupermicantia, quæ fictilibus incoqui ſolent. Ad hunc locum pertinent criſtæ, monilia, inaures, brachialia, annuli, ſigilla, thecæ, urcei, pyxidiculæ, tota denique illa muliercularum & amaſiorum, magis ad oſtentationem gloriolamque nugatoriam, quam ad uſum, aut commoditatem compoſita, ſupellex.

* Epiſt. ad *Timoth.* Cap. IV. verſ. 14. & 15.

† *Operarii celeres validique ictus* delineatæ incolarum valetudini parum congruere videntur. Speciem contradictionis arguenti ſatisfiet.

** *Virg.* paſſim.

indulge lineam, Romæ decus, reverendi Manes, ignoſcite, parce, *Tulli*. De Operariis parum tibi conſtas (*l*). At quidquid cogitaveris, aut dixeris, veniam concedas, nec-ne; in *fæce illa civitatum*, ſpectamus cives, ipſiſque opem, quantum in nobis erit, civiliter feremus. Et jam maturandum eſt. *Colicus* nos vocat Figulus, rogat, obteſtatur, implorat. Urget tempus, hoſtis premit, periculum in mora. In lecto jacet miſer. Non rubet, non ſitit, non ardet, non delirat, non febrit. Pulſus naturali paulo ſtrictior ac rigidior, cæteroquin à ſano parum diſcrepat. Lingua non fuſca, non atra, non aſpera, ſed tantum ſubdura. Inflammationis ſuſpicio nulla eſt. Nec tamen res eſt in tuto. Atrociſſimis tormentis, univerſum abdomen veluti dilaniantibus, excruciatur æger. Timide, interrupte & laborioſe ſpiritum ducit, ſuſpirat, gemit, clamat, vociferatur, fremit. Alvus adſtrictiſſima, ſponte nihil, *clyſteribus* ſollicitata, parum excernit. Urinæ quandoque tenues & citrinæ; ſpiſſæ interdum & ſimiles rubricæ; non raro, quaſi cohibitæ, ſtillare potius quam fluere videntur. Non ita dolor ventris ambitu circumſcribitur, quin ad pectus & caput aliquando, ad manus & brachia ſæpe, ad crura pedeſque ſæpius, ad femora ut plurimum excurrat. Nunc membra, tamquam icta fulmine, cubili affixa hærent; nunc convulſionibus agitata huc illuc verſantur. Nec ullus, qui levet, ſomnus, nec ulla, quæ ſoletur, quies. Quid tum? Niſi feratur auxilium, ingraveſcet morbus, altiores aget radices, quibus obfirmatus, omnem ſalutaris Artis armaturam eludet, *paralyſi* tandem & morte finiendus. Ad opus aggredimur. Præſcribimus illico purgantem *clyſterem*, mox *anodynum*. Secundo die, mane, medicamentum, (*m*) quo vehementer & vomitus excitetur, & movea-

(*l*) In eo *Cicero* totus eſt, ut ſummis laudibus extollat artium multitudinem, *ſine quibus* inquit, *vita omnino nulla eſſe potuiſſet.* Quin & his verbis *Panætium* perſtringit: *commemoratus ab eo* Themiſtocles, Pericles, Cyrus, Ageſilaus, Alexander, *quos negat ſine adjumentis hominum, tantas res efficere potuiſſe. Utitur, in re non dubia, teſtibus non neceſſariis.* De Off. l. 2. Operariis quid ea objurgatione glorioſius? Eos tamen alibi Eloquentiæ Princeps paulo ſuperbius habet. *Opifices omnes in ſordida arte verſantur*, &c. Quo loco minime probandas artes multas enumerat: de Off. l 1 *Opifices & tabernarios, atque illam omnem fæcem civitatum quid negotii eſt concitare?* Or. pr. Fl.

(*m*) Conflatur ex vitro *ſtibii* minutiſſime trito, accurate loto, mox inſolatione ſiccato & cum *ſacchari*, in pulverem tenuiſſimum comminuti, dupla parte ſociato. Miſtura hæc affuſa guttatim aqua *Naphæ*, uſque ad farinæ, more piſtorum, aqua ſubactæ ſpiſſitudinem, irroratur, fingitur in tabellas, paſtilloſve, in uſumque ſervatur. Doſ. à ℈ j, ad ij. *Mochlicon* appellamus, non quidem nomine proprio & ſingulari, ſed omnibus medicamentis vehementer agentibus communi. Qua annotatione providemus ne quis exiſtimet hoc remedii genus, tamquam unicum atque, ut loqui ſolent, *ſpecificum* proponi. Alio utantur, quibus id magis libebit. Quodvis proderit vomitorium, ſi ſat validum erit, nec prava ulla qualitate pertimeſcendum. Noſtrum cæteris, ea tantum ratione, anteponimus, quod, noxiæ indolis quam-

moveatur alvus: ſero *Theriaces* ſemi-*drachmam*, cum *Opii* grano. Tertio die, mane, nihil; ſero *Theriacen*, ut pridie. Quarto die, mane, potionem valide purgantem; ſero, *Theriacen*, ut ſupra. Quotidie interim non dulce, non glutinans, ſed ſudatorium potui damus *ptiſanarium*. Tota curatio quatridui eſt. Gaudet, valet, ſurgit Figulus. Sanatus eſt æger; nunc ſecure differamus. In tanta præcipuarum functionum perturbatione, ſpiritus difficultate, dolorum acerbitate, ventris duritie, alvi, renum, *ureterum*, veſicæ conſtrictione, artuum jactatione, convulſionum ferocia, nonne ut invadente febre continua, ardente, maligna, ſimilive acuto morbo, quærendum erat in venarum inciſione laxamentum? Primo intuitu, ſpecioſam animadverſionem eſſe confitemur. Re tamen perſpecta penitius, vix ambigendi cauſa nobis apparet. Sed ut tam momentoſæ veritatis inquiſitioni, & noſtræ concluſionis probationi methodus ἀναλυτικὴ præluceat, a venæ ſectione abſtinendum eſſe ſtatuimus, ubi curationi tantum obeſt partium, cauſam materiemque morbi continentium, mollitudo ac teneritas, quantum earumdem conſtantia, renixuſque capax firmitudo, conducit.

II.

PRocaces nutricularum & circulatorum linguas quid non cogis, neſcia modi garrulitas, & invida calumniandi prurigo! Ergone Medicina tam prodiga ſanguinis eſt, ut nemini, vel graviter, vel leviter ægrotanti parcat! Silete, cavillatores. Procul hinc, aniles fabellæ. Scenica faceſſite ludibria. Apage, comica minus quam barbara, latinas Hiſtrionis. Cum in rebus omnibus, tum maxime in Medicina modus eſt. Neque in (*a*) *Chryſippi*, aut *Eraſiſtrati*, neque in (*b*) *Botalli* doctrinam juravimus. Sanguinem utilem ſervamus; educimus noxium. Quamdiu is Naturæ conſilio, tum indole, tum quantitate conſentaneus eſt, quo minui, vel mutari poſſit, nihil unquam molimur. Ubi vel nimia copia, vel inſolenti fervore, ſuis ille tubulis obſtructiones, rupturas, incendia portendit, ejus detractione ſedamus procellam. Ubi craſſis & crudis idem inquinatus eſt advenis; ubi minus ſolutis, parum tritis, male ſubactis vitiatus particulis, quibus vitalis motus in plenioribus vaſculis turbatur, ſegneſcit, impeditur, vitæ conſervationi conſulimus, venarum

quamquam expers eſt, potentiſſimum tamen ſit, ut vox ipſa ſonat: μοχλὸς enim vectis eſt, cujus inſtrumenti vires in *Mechanicis* notæ ſunt. Reliqua, quæ vocamus in uſum, medicamenta non deſcribimus, quippe quæ publici juris facta ſint. *Vid. Allen Synopſ. Univerſ. Med. Gall. Script. ann.* 1741. *Tom. VII.*

(*a*) Magiſter unus, Diſcipulus alter à venæ-ſectione uterque abhorruit. *Vid. Gal. de ven. ſect. adv. Eraſiſt.*

(*b*) *Leonard. Botallus*, Doct. Med. Ticinenſis, cum in Galliam ſe contuliſſet, Pariſienſes Medicos ægroſque perterruit, ſcapello, ad ſanguinem fundendum, nunquam non evaginato.

venarum ſectione. Brevi pulſum, nunc ex duro, mollem; lenem, ex violento; ex inordinato, æquabilem: nunc micantem, ex obſcuro; ex debili, fortem; latum, ex anguſto, deprehendimus. Unde tot ac tam ſubitæ mutationes? Vel redundantis, vel æſtuantis, vel ſtagnantis liquoris egreſſu, vaſorum parietes dilatati contrahuntur, tenereſcunt rigidi, gravati ſublevantur. Omnibus reſtituitur placida mobilitas, debita mollitudo, habitus obſequii capax & actionis. Tunc motus compeſcitur, ferocior ſi fuerit; ſi languidior, concitatur. Tunc emendatur humor, tumultuoſa componuntur, comminuuntur craſſa, glutinoſa diluuntur, propelluntur hærentia, impedita evolvuntur, ut facile ſecernantur impura. Et pretioſa illa præcepſque occaſio eſt, quam diligenter captare Medicus debet, ut plerorumque morborum acutorum initio, tempeſtive moveat humores. Si enim fugaciſſimam eam prætermiſerit opportunitatem, qua ſtomachum atque inteſtina à crudorum, aceſcentium, impurorum humorum colluvione liberare fas eſt, hoſti in receſſu latitanti commodiſſimum ſervavit repoſitorium ac veluti promptuarium, unde is novum in dies commeatum ducat, vireſque, tantummodo infirmatas, reficiat, vix ullo poſtmodum Artis conamine ſuperandas. Vel ſanguinis fontem, multiplicatis in horas venæ-ſectionibus, propemodum (*c*) exhaurire, vel donec morbi materia perfecte cocta ſit, otiari, Medici eſt, non dicimus imperiti (quemquam enim tam odioſo nomine appellare nolumus) at ſaltem puſillanimi, & opus, quod ſuſcipere non audet, naturæ viribus parum caute committentis. Nec ſcrupulum injicit ille *Hippocratis* (*d*) *Aphoriſmus*, quo deſidiam ſuam prætexunt φαρμακοφόβοι.

(*c*) De his gnaviter & egregie, ut ſolet, *Sydenhamus*, præſertim *hiſt. conſt. annor.* 1661, 1662, 1663, & 1664.

(*d*) *Concocta medicamento movere oportet, non cruda, neque in principio, niſi materia turgeat*, &c. Aphor. 22. ſect. 1.

Legatur *Hippocrates*, potiſſimum *de aff. de morb. l.* 3. *de Diæt. & de vict. rat. in ac. morb.* Vomitum & purgationem ab eo juberi, morborum acutorum initio, haud dubium erit. Si quid ergo huicce doctrinæ contrarium allatus *Aphoriſmus* videtur præ ſe ferre, id obſcuritati potius quam Scriptoris menti tribui debet; ſatiuſque eſt, aliquam ſuſpicari ambiguitatem,. quam tantum Virum inſimulare contradictionis.

Prememur limitibus & anguſtiis ad concluſionem uſque. Brevitati ſtudemus. At ſermonem hic paulo fuſiorem materiæ momentum graviſſimum excuſabit. Mirum profecto quantum medici, noſtra præſertim ætate, in explicando illo *Coryphæi* noſtri oraculo ſudaverint; quam parum profecerint, magis mirum. Alii in exponenda humorum coctione quidquid operæ temporiſque conſumpſerunt, plane perdiderunt, cum longis acribuſque ſuis diſputationibus nunquam obtinuerint, ut inter eos conſtaret, quid nomine coctionis intelligendum eſſet. Alii totos ingenii nervos contenderunt, ut materiæ turgentis, τοῦ ὀργασμοῦ, ſignificationem invenirent. Sed nec ab his major lux allata eſt. Præteribimus ὀργασμόν, ut pote cum a propoſito noſtro ſit alienus. At liceat quatuor ipſa proferre Doctoris *Coi* verba, in quorum interpre-

μαχοφοβοί. De hoc Venerandi Senis præcepto, multæ quidem & magnæ rixæ doctiſſimos ac celeberrimos inter viros natæ ſunt. Nec eorum quemquam novimus, qui ſenſum conſiliumque Præceptoris probe intellexerit. Jaculati ſunt perplures; qui collineaverit, nemo. Non ipſum excipimus callidiſſimum Collegam noſtrum, *M. Andry.* Acceſſit ad nodum, cæteris propius, eum non expedivit. Quid tandem jubet, quid prohibet illa lex, agitata in ſcholis, jactata in conſultationibus, commemorata in ſcriptis? Noſtræ curandorum acutorum morborum methodo non adverſatur: quin contra, mirum in modum favet, ſi ad Legislatoris mentem atque doctrinam explicetur. At vero ad propoſitum noſtrum pertinet præſertim, ut ſive rationum ſuperius allatarum pondere ac momento, ſive ipſomet ſanctiſſime colendi Magiſtri edicto, cum aliis ejuſdem ſententiis collato, conſtet ſolidas corporis partes venæ-ſectione relaxari ac molleſcere. Hoc enim ſtabilito ſemel & conceſſo principio, conſequens eſt ut venæ ſectioni minime indulgeatur, quoties compertum atque indubitatum eſt obſeſſas morbi materia partes difficile ac tarde poſſe liberari, ſi remiſſæ illæ flexibileſque ſint; facilius autem & promptius, ſi firmæ atque intentæ.

III.

De *Colica* biliosa egerunt non pauci: Eam pro *colica* Pictorum habitam fuiſſe, quis ſibi in animum induxerit? Iſtud tamen contigiſſe certum

terpretatione, tamquam in cardine, tota res vertitur, hæc verba ſunt, Πέποιτα, vel πέπονα, i. e. cocta, quibus opponuntur ὠμὰ, hoc eſt cruda, & ἐν ἀρχῇ, in principio.

1°. Non tam de humoribus, quam de ſolidis corporis partibus, intelligenda ſunt ὠμὰ. Iſtud probatur vel uno hoc loco Libri 3. *De vict. rat. in ac m.* ubi Divinus Senex eos vituperat, qui viſcerum inflammationes purgatione primum audent aggredi, non ſolum quia *de contenta parte nihil detrahunt, cum non cedat, qui crudus eſt, morbus;* verum etiam quia *quæ ſana ſunt & morbo reſiſtunt, contabefaciunt.* Non dicit *Hippocrates* humorem crudum, ſed morbum crudum non cedere. οὐ γὰρ ἐνδιδοῖ ὠμὸν ἐὼν τὸ πάθος. Inſuper, quænam ea ſont, niſi ſolida, *quæ morbo reſiſtunt, quæ ſana ſunt, quœ contabeſcunt?* Hic igitur nihil aliud cruditas eſt, quam neſcia flecti rigiditas. 2°. Ad πέπονα quod attinet, ex præcedenti enodatione inferendum eſt coctionem eſſe partium earumdem mollitudinem, qua favente, & ſolida & fluida facile moventur. 3°. Denique, his præmiſſis non arduum eſt perſuadere, purgationem *Aphoriſmo* noſtro non prohiberi ἐν ἀρχῇ τῆς νόσου, in principio morbi, ſed ἐν ἀρχῇ τῆς θεραπείης, in principio curationis. Quaſi dixiſſet *Hippocrates*, in quovis acuto morbo, ſive jam ineſt, ſive imminet inflammatio, pars affecta nimis, initio, plena eſt, nimis contenta, nimis rigida, quam ut medicamento purganti obtemperare poſſit, niſi prius fuerit relaxata. Ergo purgatione ſtatim exagitari non debet, ſed antea venæ-ſectione molliri. Vetat igitur Medicorum Princeps inflammationum aliorumque morborum acutorum curationem purgatione incipi; eamdem purgatione ſæpiſſime promoveri ac perfici non vetat, poſtquam, vena bis, ter, quaterve ſecta, ſic emollita eſt morbi ſedes, ut medicamento facile, cum ſucceſſu & ſine periculo moveri poſſit.

ſum eſt. Errorem creavit ſimilitudo (*a*) nominum. Candide magis quam docte ſcripſit (*b*) Cicero noſter *Fernelius*, de *colico* juvene Pictore *Andegavenſi*, qui penicillum non modo extergere digitis, ſed ore etiam exſugere ſolebat. Apud citatum *Ramazzini* de Figulis *colicis* (*c*) nihil. Is tamen de aliorum Opificum metallis utentium, *colica* diſſeruit: de cauſa quidem ſatis appoſite, minus perite de curatione. Pauciſſimis ergo nos freti ductoribus, vix notam indagamus viam: latiorem eam planioremque facient, quibus ſecundior faverit Minerva.

Figulina creta nullius criminis inſimulanda eſt. Memorata malorum cohors ortum ducit à plumbo, ærugine, lapide (*d*) calaminari, auripigmento aliiſque ſimilibus, quæ fictilibus incoqui ſolent. Qua ratione, quo artificio id operis perficiatur, inquirendi nec locus eſt, nec tempus. Similis enim inveſtigatio nobis incumberet operum, quorum effectoribus metalla terenda, radenda, liquanda, purganda, miſcenda, infundenda, incoquenda, aut alio quovis modo contrectanda ſunt. In immenſum illum diſſerendi campum excurrere librum componenti fas eſt, non quæſtionem Academicam proponenti. Noſtrum iſtud ſcribendi genus ſuis finibus, exiguis, ſane, continetur. Non licet extra hos cancellos

(*a*) *Fr. Citeſii*, Medici *Pictavienſis*, extat opuſculum, *de novo ac populari colico dolore bilioſo apud Pictones.* De morbo illo Pictonum alii Scriptores paſſim tractaverunt. Nonnullis, ad nominum affinitatem magis, quam ad rerum diſcrepantiam attendentibus, *colicam* Pictonum & *colicam* Pictorum idem eſſe viſum eſt: unde perperam nata eſt *colica* bilioſa, colica bilioſa, ſeu Pictorum. Veriſimillimam hanc originem & gentilitatem reddit ſimilis ortus error à ſimili propinquitate vocum, quibus Gallice *colica* Figuli & *colica Pictavienſis* exprimuntur. Hanc & illam promiſcue ſumi ſexcenties audivimus; *colique de Potier*, *colique de Poitou.* Res vero tam diverſas, ludente verborum ſono confundere turpe eſt.

(*b*) *Tract. de luis Vener. curat.* c. 7. Hujus ægroti hiſtoria continentur præcipua, quæ notavimus in Figulo noſtro, *ſymptomata.* Sed in remediis eligendis Obſervator, ut ipſis ejus verbis utamur, *longe aberrat à ſcopo*; *& tota, quod ajunt, via errabat.* (Clyſteribus enim) *fotibus*, *balneis*, *aliiſque* (lenientium) *remediorum generibus*, *ſed fruſtra*, *levatio quæſita eſt.* Ad purgantia deinceps ventum eſt; nec proſperius. *Imo vero*, *annos tres excarnificatus* (æger) *exſanguis tandem ac plane tabidus*, *vitam cum morte commutavit.* Poſt interitum, ratiocinatur *Fernelius*, concluditque huic malo, *non tam purgantibus*, *quam contraria* antidoto *ſuccurrendum* fuiſſe. Crede nobis, *Fernelii*, umbra chariſſima, *antidotus* erat *Mochlicon*, quo ſi uſus eſſes, tuus Pictor non fuiſſet mortuus. Ut hic de purgatione non temere dicamus, quod *Botallus* * de venæ-ſectione; periit Pictor *Andegavenſis* non quia purgatus, ſed quia ignavius purgatus eſt.

(*c*) Aliquid tantum de *paralyticis*: forſan quia, ut ipſe indigitat, ægros viderat ſerius; *colica* jam vetuſtiori &, propter diuturnitatem, ut fieri ſolet, in *paralyſin*, mutata.

(*d*) Vulgo *calamine*, *calmine.* Ex eo lapide loto & exuſto educitur cuprum, cujus paleas, aut ſquamulas operum ſuorum rectoriis Figuli miſcent.

* *Non enim morbus*, *pro cujus curatione requirebatur detractio librarum* 4. *ſanguinis*, *in quo una tantum detrahitur*, *ſi hominem interficiat*, *ideo interficit*, *quia ſanguis eſt miſſus*, *ſed quia non juſto modo miſſus eſt*, &c. Tract. de curat. per venæ ſect. c. 7.

los egredi, quos nobis diſciplina uſu confirmata, circumdedit (*e*). Satis eſt hic ſtatuere metalla vix impune tractari. Ab iis avolant particulæ, quarum natura tenuitate aſperatur, nedum manſueſcat. Partim eæ cum anima ducuntur ſpiritu, partim cum alimentis deglutiuntur. Nec, ſi quis ad corporis interiora tertiam iis viam aſſignaverit, nempe meatus cutis, inficias ibimus. Quæ per aſperam arteriam afflantur, per folliculorum, in pulmonibus conſpicuorum, ſpiramenta, in ſanguinis alveum tranſmiſſæ, cum eo liquore volvuntur, ejuſque percurrunt *Mæandros*, donec eo ventum ſit, ubi propter motus inertiam, morentur atque ſubſidant. In medio inteſtino, Medicis *meſenterio*, quam apta, quam commoda illæ nanciſcantur hoſpitia, intelligent qui ad hujus viſceris texturam attenderint. Glandularum, nervorum, variorum eorumque anguſtiſſimorum & mire implexorum ductuum, *lympham*, *chylum*, ſanguinem ferentium, congeries eſt, adipe affluens & ſolo molliſſimarum membranarum præſidio munita. Quid ad alligandas & retinendas metalli minutias magis idoneum fingi aut excogitari poſſit? In opportunum idem diverſorium, expeditiori curſu, itinere breviori, longe majori numero conveniunt quæ cum cibo potuque demiſſæ ſunt. Appellunt enim ad hiantia vaſorum lacteorum orificia. His excepta feruntur in *labyrinthum*, ubi cum ſodalibus irretitæ, nervorum exiliſſimorum faſciculis credibiliter adhærent. Atque hæc præcipua eſt morbi ſedes. Præcipuam dicimus duplici nomine. Ac primo ſola non eſt. Etenim dum *atomi* metallicæ in ventriculo, inteſtino, pulmonum veſiculis vaſorumque omnium anfractibus verſantur, earum procul dubio permultæ obviis paſſim applicantur nervorum loculamentis, in quibus nidulantur, & conſiſtunt, uſque dum ſuis e latibulis adventitio ſtimulo deturbentur. Secundo, morbi ſedem hanc præcipuam nuncupamus, quod ea, propter deſcriptam modo fabricam majorem metallicorum corpuſculorum copiam, quam alia corporis pars quælibet, probabiliter contineat. Ex quibus ſequitur in eo morbo univerſas quandoque corporis partes, non tantum ob nervorum concentum quemdam, *ſympathice*, ut loquuntur, ſed proprio quoque ſenſu condoleſcere. Aſſignatis morbi ſede & materia, hujus *tyrannis* breviter exponenda eſt. Quid tum? Nervi onere importuno gravantur, durioribus, rigidioribus, acutioribus angulis & cuſpidibus lancinantur. Hinc dolores atrociſſimi, *arteriarum*, venarum, alvi, renum, *ureterum*, veſicæ aliorumque viſcerum conſtrictio: hinc laborioſa, ſuſpirioſa, inordinata reſpiratio, functionum perver-

(*e*) Cæterum ab ea conquiſitione nos eximit prelo nunc ſubditum *Lexicon*, cui titulus eſt, *Encyclopédie univerſelle*, in quo omnium inſtrumentorum fabrica & uſus, omne denique artificium articulatim & accurate deſcribetur. Opus ſane, vel ob ſolam inſtituti pulchritudinem & excellentiam, illuſtriſſimis dignum Auctoribus, Galliæ honorificum, utiliſſimum Reipublicæ, Artificibus commodiſſimum, ſtudioſis literatiſque pergratum, æri inſculpendum & auro, æternis *Mnemoſynes* aris conſecrandum.

perverſitas, artuum convulſiones: hinc denique ſignorum enumeratorum caterva. Salutis ergo nulla ſpes, niſi refixa ſpicula fuerint & foras amandata. Utrumque præſtitimus, vomitus præſertim & purgationis vehementia. In hac duplici armatura totius negotii caput. Quod reliquum eſt auxiliaria exiſtimetur acceſſio. Cur vero tam facile, tam cito ægrum noſtrum ad ſanitatem reduximus? Quia partes liberandas non mollivimus. Quantum noſtris conatibus favit earum plenitudo & ſoliditas, tantum earundem inanitio & mollitudo nocuiſſet.

I V.

Qui metalla aut liquoribus, corpus humanum irrigantibus, diſſolvere, aut delicatarum, quibus illud conſtat, fibrarum percuſſionibus commolere meditatur, *naviget Anticyram.* Hic non habuimus humorem diluendum, non ſordes comminuendas, non ſubigendum craſſamen; ſed revellendos mille veluti cuneos, flecti indociles. Quo altiores ii fodiſſent ſcrobiculos, eo tardius ac difficilius haud dubie fuiſſent retracti. Clariſſimam hæc aſſertio lucem affert obſervationi, quam uſu & exercitatione comprobatam proferimus; nimirum longe operoſiorem eſſe tum figuli, tum metallarii cujuslibet *colici* curationem, ubi procraſtinata medicina fuerit. Non expers diſcriminis otium eſt. Adverſis viribus pax & induciæ favent. Quod cum de omnibus fere morbis non immerito dicatur, tum de hoſte hic profligando, ſingularem ob rationem, & certo affirmari, & perſpicue intelligi poteſt. Videlicet metallicis corpuſculis ineſt, pro exiguitate, pondus ingens. Hæc ſua gravitate fibrillis vim inferunt eo majorem, quo diutius iis incumbunt. Suis ergo ſedibus, lapſu temporis, vehementius affiguntur. Jam vero conſiderandus eſt motus indeſinens fibrarum vicinarum, quarum ictibus, tamquam ferientibus undique malleis, adacti cuneoli, ſuas ita diſtendunt producuntque vaginulas, ut metus ſit, ne his tandem includantur penituſque recondantur. Molliendo, quid medicus proficeret, ſive in illo infelici & calamitoſo rerum ſtatu, ſive antequam præpoſtere aut venæ-ſectione, aut alio quovis relaxandi modo proluſum ſit. Quantum ad inferendos promovendoſque cuneos conferat findendi corporis mollities & raritas, nemini compertum non eſt. Laxato contextu fibrarum, hæ cuneorum ponderi & progreſſui minus obſtabunt, flexibiliores offerent hiatuum rimarumque margines, quibus diductis atque diſtentis, hoſpites infenſiſſimi ampliora ſibi & penitius obſtruſa domicilia comparabunt. Harum cellularum, cuilibet impulſui, ob parietum lentorem, obſequentium, facilis introitus. *Sed revocare gradum, . . . hoc opus, hic labor eſt.*

Neque idcirco ſolum timenda eſt mollitia, quod commodiora & ſecretiora latibula materiæ morbi aperiat. Ejuſdem altera, nec levior, noxa eſt. Quantum *atomorum* metallicarum indulget ingreſſui, tantum earumdem

dem regreſſui obſiſtit: non ſolum quod, ut jam monitum eſt, quo profundius intruſi ſunt aculei, eo majori ad eos refigendos, molimine ſit opus; verum etiam quia quantum mollitudine adjicitur mali viribus, tantum ipſi primarii remedii efficaciæ detrahitur. Etenim qua ratione metallica ramenta, quæ in noſtri figuli corpore hæſerant, purgatio ac potiſſimum vomitus abegit? Partes iis onuſtas feriendo, commovendo, concutiendo atque ad ſui liberationem excitando. Se autem non expediverunt fibræ, percuſſiones patiendo, ſed percuſſionibus renitendo, & qua percutiebantur, eadem vi reſiliendo. Neutrum porro a mollitis remiſſiſque fibris tam commode obtinuiſſemus. Flaccida enim corpora minus ad renitendum reſiliendumque habilia ſunt. Inde eſt, quod exploſi tormentis globi ligna facile, vix culcitas plumeas laneaſve perforent. Reſpectu habito ad percuſſionem & repercuſſionem, contentos inter & incontentos funes quid ſit diſcriminis norunt fidicines & funambuli. Docet & pila incidens in reticulum, quo retorqueri debet. Sed luculentiori comparatione omnem diſcutiamus caliginem. Cogitemus quomodo pulvis excutiatur ex laneo panno. Hic ſi libere ac ſolute ita ſuſpenſus eſt, ut ſinus ejus undantes huc illud flecti poſſint, bacillis fruſtra feries, vix quidquam exſiliet. Pannus expandatur fibuliſque, aut manibus, contineatur oppoſitis: talitrum inflige: continuo pulvis multus erumpet, ſpecie referens nubeculas, aut fumi volumina. Unde tanta diſcrepantia, niſi a reſiſtendi ac repercutiendi virtute, quæ in primo caſu, debilior, in ſecundo vividior eſt? ubi ſingula panni fila quatiuntur, ſi lenta ſunt ac remiſſa, virgis obtemperant, minime reſiliunt, ſordes proinde retinent; ſi rigida, reſiſtunt, reverberant, eo redeunt acriter, unde fuerunt dimota, ſeſeque reſtituendo, ſuſceptas pulveris *atomos* exagitant, vibrant, extrudunt. Simili prorſus modo a vellicatis atque irritatis fibris metallicus pulvis excuti debet. Earum ergo quam adverſa quam pernicioſa mollities, quam fauſta, quam fortunata firmitas, intelligere promptum eſt.

Cæterum in adhibenda medicina cunctationem & venæ-ſectionem, quantumvis inimicam, non ita culpemus, ut nullum aliud agnoſcamus impedimentum. Dubium non eſt, quin veniant in noxæ partem crebra & ingentia pocula venenorum, quibus *colici* noſtri opifices paſſim ingurgitari ſolent. Venena merito vocitamus malvaceas illas *amygdalinas*, lineas, lacteas, oleoſas; aliaſque id genus potiones, quæ temeraria leniendi ſpe, propinantur, ſolido quandoque menſe. Procul iſtud funeſtum non minus, quam inſanabile *cacoetes* (*a*).

Unum

(*a*) Si quid inde fugaciſſimi levaminis identidem accedit, id fortaſſe vitæ periculo, dolorum diuturnitate certo redimendum eſt. Nam prædulces, craſſæ & pingues ejuſmodi ſorbitiones non modo corporis funiculos omnes demulcent, emolliunt, retundunt; ſed unguinoſum etiam fœtis metallico pulvere fibrillis tectoiium inducunt, quo ille, tamquam propugnaculo vix penetrabili, circumſeptus, ictuum ac

V.

Unum hic ingenue fatebimur, quod nobis an vitio tribuendum ſit, an laudi, ſtatuent penes quos noſtræ cauſæ judicium fuerit. Famæ conſulere honeſtum eſt; honeſtius ſervire veritati. Hujus nunquam violandus amor, quamvis aliquid afferat moleſtiæ. Veritas, etiamſi jucunda non eſt, tamen grata eſſe debet. Ut noſtrum ſanaremus figulum, antequam diſcurreremus, id præſertim nos movit, quod eumdem in ejus per-

ſuccuſſuum vehementiam eo uſque fallit ac fruſtratur, dum repetitis verberibus diſcuſſum fuerit exturbatumque munimentum. Ad tantum præcavendum infortunium, nihil magis appoſitum videtur fuiſſe, quam potum eum, toto curationis curriculo, præſcribere, qui aptus eſſet & comparatus, non ad illinenda, ſed ſtimulanda, non ad ungenda ſed percellenda metalli receptacula; ſicque ad disjiciendum infeſtum onus cum *Mochlicorum* virtute utcumque conſpiraret. Jam, ut nihil, noſtra negligentia', deſit, quod, ſive ad quartum hunc articulum veritatis lumine perfundendum, ſive ad conciliandam noſtris obſervationibus auctoritatem & fidem poſſit aliqua ratione conferre, plurima hoc loco notanda ſunt.

Per annos viginti tres in *Charitatis Noſocomium*, non tam ægrorum frequentia, quam vigilantiſſima cuſtodia, nec non accuratiſſima remediorum adminiſtratione prædicabile, delatos vidimus *colicos* metallarios circiter 1200. Qui mortui ſunt, *hydropici* nonnulli, *paralytici* omnes, vix duas *decadas* ſuperant. Sanatos in quatuor claſſes partimur. Prima continentur, qui & venæ-ſectionem & potiones oleo, vel lacti affines, vulgo *emulſiones*, experti fuerant. Secunda, qui alterutro ſolum uſi fuerant medicinæ genere. Tertia, qui neutro, ſed tantum cunctatione peccaverant. Quarta demum, qui, nulla interpoſita mora, nulloque domi prius adhibito remedio, ad noſtram medendi normam confugerant. Hac ultima claſſe comprehenſos omnium proſperrime: tertia, paulo tardius: ſecunda, multo ægrius: prima denique, omnium difficillime convaluiſſe aſſeveramus. Id autem diſcriminis in ſecunda claſſe animadvertendum eſt, quod ægri citius liberarentur, qui ſolas potiones periclitati fuerant, quam qui ſolam venæ-ſectionem. Quæ diſtinctio non ad veteratoriam accurationem, ſed ad ſedulitatis purum candidumque ſtudium comparata eſt. Attamen ponderare oportet anni tempeſtatem, ægrotantis victum, ætatem, habitum aliaque adjuncta, quæ huic morbo cum cæteris communia ſunt. Singulariter vero conſiderari debent mali veſtigia, levius, aut altius impreſſa, prout illud ſæpius, rariuſve recruduerit. Perpendenda etiam eſt materiæ metallicæ natura. Marmorarii, Gemmarii, & Aurifices remiſſius ægrotant, quam vitrarii & plumbarii: hi lenius, quam Ærarii: mitius hi, quam Figuli, Pictores & *Encaustæ*: omnium ſæviſſime & periculoſiſſime infelices ii ſutorum miniſtri *, qui calceorum talis auripigmentum inducunt, ut eos flavo inficiant colore. Ex his unicum tertio *colicum*, Pictorem ſexto, plumbarium undecimo, peremtum vidimus. Hæ vero ſimileſque varietates ad rei caput non pertinent. Hodierno ſatisfecimus officio, dum noſtra obſervatione, gradatim expoſita, indicetur quid & quantum incommodi ſingula inferant impedimenta, quibus colicorum noſtrorum ſanatio tardari ſolet; conſtetque proportio & comparatio, quam vomitoria, purgantia & reliqua remedia iterum, tertio, quarto & ſæpius adhibendi neceſſitas, denique ſpatium & ærumnæ curationis habent ad potionum oleoſarum copiam, numerum venæ-ſectionum, cunctationis diuturnitatem: quas omnes differentias & conſtanter & manifeſte comperimus.

* *Tum iis, tum aliis quibuſdam* colicis, *quorum dolores potiſſimum ab* arſenico *videbuntur proficiſci, oleoſa ſaltem primo die, concedere præpoſterum non erit, ne venenum, antequam oppugnetur nidulorum ſuorum fibras acriori morſu rodat. Sed quantocius licebit, ab iis illecebris, ad vim expreſſionemque veniatur.*

pertractando morbo ſervare voluerimus ordinem, quem tenuimus in eo cognoſcendo. Non medendi normam nobis indicavit explorata morbi natura; ſed nos remediorum effectus ad cognitionem morbi perduxit. Prius didicimus quibus illa armis expugnaretur, quam quibus ſæviret. Prius novimus eum foveri venæ ſectione, *Mochlicis* vinci, quam quare foveretur illa, his contra vinceretur. Expoſitam curandi methodum non arte duce quæſivimus, non prælucente doctrina elegimus, non acie ingenii perſpeximus, non accurata & meditata commentatione invenimus, ſed exemplo & imitatione comparavimus (*a*). Magiſtra nobis fuit experientia. Hæc docuit nos, ut ſtrenue & alacriter adhibere *Mochlica*, ſic venæ-ſectionem conſtanter prorſuſque repudiare. Sincere declarabimus quod unice noſtrum eſt. Cum malum quotidie & *Mochlicis*, tamquam divinitus (*b*) exſtirpari, & venæ-ſectione pertinaciorem fieri, ſucceſſu nunquam diſpari, videremus; eventus utriuſque cauſas, meditando inveſtigavimus. Bona fide ſubjecimus oculis, quod a nobis excogitatum eſt. Si quid noverunt alii rectius, candidi impertiant; ſi non, his utantur nobiſcum.

At inquiunt, neglecto morbo ſupervenit inflammatio. Tunc temporis, nonne a detractione ſanguinis ordiendum eſt? Reſpondemus id nunquam contingere, niſi ob nimiam remediorum procraſtinationem; eoque in rerum ſtatu, de inflammatione quæſtionem eſſe, hic de *colica*, quæ, ſua natura, inflammationis expers eſt (*c*). Errorem interim abjiciat, qui ſomnifero, ſingulis diebus exhibito, relaxari corporis fibras autumaverit. Has illud intendit, nedum remittat; præſertim novos ubi ſtimulos a ſocia *theriace* mutuatur. Injectum primo die *clyſterem* oleoſum arguere cavillantis erit, non diſputantis (*d*). Vaſorum lacerationes atque rupturas, a vehementi, quam infert vomitio, totius corporis concuſſione pertimeſcendas (*e*) objicere, medici eſt non ex-

(*a*) Antequam in memorato *Noſocomio* medicinam ipſi fecerimus, per ſeptem annos aſſiduitate nunquam interrupta, in eodem ægrorum hoſpitio Magiſtrum ducemque ſecuti ſumus illuſtriſſimum noſtrum, *M. Burette*, cujus nomen ſumma laus eſt; cujus fama in Pariſienſem ſcholam tantum gloriæ contulit; cujus denique doctrinam, eruditionem, virtutem, amicitiam, quamdiu ſupereſſe dabitur, non minus pectore, quam memoria tenebimus. Ab ejus exemplo noſtram curandorum metallariorum duximus normam, quam & ipſe ab alio acceperat.

(*b*) *Colici* Pictoris, primo vomitu, ſurditatem ſubito ſanatam vidimus. Idem teſtatur de cæcitate cl. Collega noſter, *M. Le Hoc*, cujus & in medendo peritiam, & in obſervando ſagacitatem novimus.

(*c*) In *Aſcite* confirmato, ſi vel ex naribus, vel ex ore multus erumpat ſanguis, de ſecanda vena, ſi minus ad depellendum morbum, ſaltem ad vitam prorogandam, quis dubitaverit? An idcirco *Aſciti* venæ-ſectio?

(*d*) Ad morbi ſedem vix quidquam hujuſce leniminis pervenire potuiſſe neminem latet. Exiguam tamen, quæ adhibita eſt, olei copiam vini generoſi æqua parte acui & aſperari voluimus; adeo ſuſpectum nobis oleum eſt.

(*e*) Ex 300. & amplius metallariis, quos, intacta vena, curavimus, nullum vidimus, qui pependerit fiduciæ noſtræ pœnas. Et profecto quidni experientiam ra-

experti, ſed *ſyſtematum* argutias errorisque nebulam pro veritatis lumine, tamquam nubem pro *Junone*, capientis. Nec magnopere nos urgebunt, qui metallicas *atomos*, a ſuis ſedibus primum dimotas, aliis probabilius rimulis excipi ac detineri, quam foras ejici dicent. Quamdiu enim vomitio, purgatio, ſudatio, tamdiu concuſſio perſeverat. Nulla datur quies. Excuſſus ſemel pulvis ſubſilientibus undique funiculis propellitur, & expreſſi e mille fontibus humoris curſu rapitur, uſquedum per os, vel per anum, vel per urinæ, aut cutis meatus excernatur. Sic fortaſſe inſtabunt acrius: medium inteſtinum mollilſimum eſt. Ergo vel præcipua non eſt morbi ſedes, vel tam cito ſanari non poteſt æger, vel curationi tantopere non obeſt mollitudo. Verum non ideo præcipuam diximus morbi ſedem, quod ab ea, velut ab arce munitiſſima, longe difficilius, quam ab aliis pleriſque receſſibus, detrudatur hoſtis. Non ſemper eo pertinacior morbus eſt, quo major metallicarum particularum, in corpore hærentium, portio, *meſenterii* nervulis inſederit. Molle quidem iſtud eſt; ſed cum inteſtinis connectitur, ſepto tranſverſo muſculiſque abdominis proxime ſubjacet, eorum ictibus verberatur potentius; adeoque fabricæ vitium poſitu & vicinitate aliquatenus compenſatur (*f*). Hac unica enodatione, tamquam *Ajacis* clypeo, triplex arguentis telum retunditur. Jam vero *meſenterium*, quantumvis natura molle, venæ-ſectione tamen, non ſecus ac cæteras corporis partes, de integro molliri ex dictis liquido conſtat. Denique ab ea mollitie tanta incommoda impendere probavimus, quantum utilitatis a conſtantia, ſoliditate, firmitate ſperandum eſt.

Non ergo Colicis *Venæ ſectio.*

tiocinio illuſtraremus? An baliſtis, arietibus aliiſque tormentis armatum *Mochlicum* eſt? An vomitio pugiones, aut gladios; an tela, aut haſtas; an clavas, aut ſecures teneris partibus infligit? Minime. Sed ita commovet, ut muſculi muſculis, vaſa vaſis, fibræ fibris, nervi nervis, pro ſingulorum potentia & mollitudine, agitentur, premantur, quatiantur. Concidunt ergo monſtra illa, quæ *Chimæriſera* imaginatio peperit, quæque nutrivit, exornavit, amplificavit effuſa meſurandi, computandi, exaggerandi libido.

(*f*) Non negamus tamen quoſdam metallarios tam mature ſanari, ut ſæpe nobis aliqua fuerit ſuſpicio materiam morbi non ſemper in Dædalos *Meſenterii* flexus, aliaſve corporis latebras ſerpere, ſed ſtomacho atque inteſtinis omnem quandoque contineri. Nihilominus allatis rationibus adjuncta ſectio cadaverum in eo morbo meſenterium graviter affici docet. Paucutorum enim, quorum exſtinctorum & poſt mortem ſectorum extra conſuluimus, *Meſenterium* obſtructionibus, tuberculis, ulcuſculis fædatum ſemper obſervatum eſt. Nobis adverſari videtur citata hiſtoria Pictoris *Andegavenſis*, in cujus diſſecto cadavere ſanum integrumque repertum eſt *Meſenterium*. Quomodo hæc obſervatio cum noſtris conciliari poſſit, ſuſpicari arduum non eſt.

LXXXVI.

J. GUILLIELMI ILSEMANNI

DE

COLICA SATURNINA

METALLURGORUM

DISPUTATIO.

Gœttingæ 18. Maj 1752.

§. I.

IN eruendis & excoquendis mineris præcipue occupatis proprium quendam noſtræque regionis metallurgis ſatis familiarem, explicaturo morbum, haud abs re fore videtur; tam, quæ qualis ſit minerarum, quæ ibi fodiuntur, indoles, quam, quo modo eædem tractentur, tum etiam quibus diverſis ſub laboribus operarii morbis implicentur, brevibus præmiſiſſe; ut & illius, quem explicaturi ſumus, morbi a ceteris differentia & cauſſa, clarius patefiat,

§. II.

Ad minerarum, quas ſummus cœli rerumque conditor in montium noſtrorum viſceribus collocavit, indolem quod adtinet; triplicis generis metalla continent: cuprum, plumbum & argentum. Prius, quo minus ſcatent montes, ex pyrite (*Kupferkieß*) naſcitur, cetera vero ambo in vena latent maxime frequenti, quam Græci μολιβδαιναν vocarunt, latini plumbaginem vel etiam galenam (*a*). Eſt ſcilicet, quam hoc nomine inſignimus, vena argenti & plumbi ferax, hoc ultimo maxime dives; ita ut ex pulveris, in quem redigi ſolet, centenario plumbi permultæ libræ, argenti vero pauci ſicli, ad ſemunciam tantum, eliciantur.

§. III.

Abditæ hærent, quas modo deſcripſimus, mineræ in profundis terrarum ſinubus, duram inter ſaxorum compagem, quam pulveris pyrei ope ſolvere, venas e monte evellere, haſque ſecretis præſtantioribus a vilioribus, machinis evehere eductoriis, primum eſt quo metallurgi defunguntur munus, prægrave certe, nec minimo ſanitatis detrimento conjunctum. Ut enim varia taceamus, quæ operariis, dum in puteos deſcendunt vel ex illis egrediuntur, lapſuum, vel, dum in eruendis mineris occupantur, a ſaxis irruentibus, ſubſtructionibus labefactatis, fracturarum, contuſionum aliaque externarum læſionum imminent pericula; variis iiſque graviſſimis internis morbis eoſdem implicari, experientia quam frequentiſſime docet. Prægravia inprimis illis ſanitatis adfert detrimenta aeris, quem in fodinis hauriunt, vitiata indoles. Incluſus quippe ille in imis terræ penetralibus, neque facile renovandus, ac præterea humidus, calidus, variiſque noxiis exhalationibus, pulveris pyrei atque lampadum fumo, &, quod haud levioris momenti eſt, mine-

(*a*) Vid. *Agricola* de re metallica lib. 10. & dialogus operi huic affixus, nec non *Matthiol.* in *Dioſcorid.* commentar. l. 5. c. 60.

nerarum atque ſaxorum polline, & figura & pondere nocivo, inquinatus, anheloſos illos reddit, aſthmaticos, tabidos, ut haud pauci eorum præmatura morte ex vivis eripiantur. Aſt præter aerem haud parum ſanitati eorum ſitus officit, quem, dum ciſia vehunt, vel alio in labore, in loco ſæpe admodum anguſto, ſervare eos oportet, incommodus; unde, compreſſis viſceribus, & impedita ſanguinis per ea circulatione, hypochondriaca, aliaque mala frequenter ſatis oboriuntur. Accedit ipſe labor per multas, quovis die, horas continuandus, prægravis, qui, ſolida nimis adterendo, ſanguinem reddit juſto denſiorem, & innumera metallifoſſoribus mala præparat.

§. IV.

Evectæ e terræ viſceribus mineræ duplicis generis; molibdæna ac pyrites, diverſam quia requirunt tractationem, ſedulo ab invicem ſeparantur. Verum eam, qua pyrites tractatur, methodum, non noſtrum eſt, enarrare; quod in iis potiſſimum, ubi molibdæna excoquitur, officinis, morbus, quem explicaturi ſumus, ſua ſemina ſpargit. Miſſo igitur illo minerarum genere ad hoc revertimur. Effoſſæ nimirum, quæ plumbaginem vel molibdænam conſtituunt, mineræ, in fodinis jam aliquantum diſcretæ, denuo franguntur, & viliores a præſtantioribus curatius ſegregantur. Qui huic labori inſerviunt, a minerarum pulvere præcipue læduntur, maxime ſi, ut fieri ſolet, in locis agant clauſis, quæ hypocauſta ſecretoria (*Scheideſtuben*) dicuntur, ubi pulverem iſtum cum aere haurientes, & ventriculi gravativos dolores, & cum alios, tum pulmonum præcipue morbos, perſæpe experiuntur.

§. V.

Secretæ in varias ſpecies mineræ, duplici modo comminuuntur. Aliæ quæ partibus metallicis gaudent coacervatis, præſtantiores, machinis certis rediguntur in pulverem. Aliæ, quæ pauciores recondunt metallicas partes, iiſdem in pulverem convertuntur machinis, ſed ita, ut aqua continuo adfluat, quo fit, ut partes ſteriles, utpote leviores, cum eadem devehantur, metallicæ vero, graviores deſideant, quæ denuo repetita vice lavantur, uſque dum a ſterilibus ſatis liberatæ cenſeantur. Uterque minerarum pulvis limus (*Schlich*) vocatur. Diverſus prorſus duplici iſti laborum generi inſervientium, ad morbos ſi reſpiciamus, ſtatus atque conditio eſt. Vix enim quidquam ſanitatis detrimenti illis, qui ultimo præſunt operi, mineris puta vilioribus ad limum redigendis, ex labore metuendum niſi frigus, cui ex conſuetudine magis, quam neceſſitate, ſeſe ſæpe exponunt, humidum damna illis adferat. Verum enim vero longe pejor eorum conditio eſt, qui priorem, venas præ-

præſtantiores in pulverem convertendi, laborem ſubeunt; quippe qui a polline minerarum, permagna quantitate excuſſo, omnium maxime adficiuntur. Vidiſſe juvenem memini labori illi inſervientem, cujus pedes æque ac femora, peracto labore, atro illo minerarum polline tota tincta erant; quod cum mirari me obſervaret, non eſt, inquit, quod obſtupeſcas, eandem, quam modo cernis, faciem non pedes ſolum, ſed & totum ſæpe corpus, etſi quovis die repurgem, nunquam fere non iterum præ ſe ferunt. Haud certe difficile inde erit collectu, quantam hujus pollinis copiam operarios haurire neceſſe ſit. Neque mirandum eſt, eoſdem variis & præcipue pulmonum morbis graviſſimis, frequenter implicari.

§. VI.

Quos hactenus deſcripſimus, metallurgorum labores, minerarum in igne præcedunt tractationem. Progredimur jam ad eas, quæ ad hanc pertinent operationes. Prima, quæ has inter conſideranda venit, uſtio vocatur. In pulverem nempe vel limum redacta molibdæna igni committitur haud adeo vehementi, quo, quæ metallorum excoctionem difficilem reddunt, ſulphureæ & aliæ partes, comburuntur ac volatiliores profligantur (*b*). Perfici iſta operatio in furnis ſolet, qui panariis ſimiles ſunt, in quorum areæ partem anteriorem, depreſſam, limus vel pulvis minerarum, in poſteriorem vero, paullulum elevatam, ligna conjici ſolent, quorum quam, accenſa edunt, flamma a furni camera reflexa limum lambit, qui ſæpius commotus, atque ita per novem circiter horas crematus, e furnis educitur. Inſtrumenta, quibus ad commovendum vel extrahendum limum operarii utuntur, prælonga ſunt. Fumus ex mineris exhalans, ſulphur redolens, camino excipitur fornacis orificio præſtructo. Deſcripto huic qui præſunt labori, peculiaribus morbis haud implicantur (*c*); manifeſto certe indicio, fumum, vel effluvia cum eo hic exhalantia, haud adeo venenatæ, arſenicalis, ut vulgus ſtatuit, eſſe indolis. Quamvis enim & fumaria furnorum præſtructa orificiis, & inſtrumenta, quibus operarii iſti utuntur, prælonga haud parum impediant, quo minus uſtores (germanice *Brenner* vocantur iſti operarii) effluvia minerarum hauriant; attamen, adeo venenatæ, arſe-

(*b*) Uſtione arſenicales, ſulphureæ & antimoniales, hæ ultimæ vero ex parte tantum, expelluntur. Vid. *Schlütters Unterricht von denen Hüttenwercken.* Cap. 20.

(*c*) Niſi ab effluviis, quorum indoles infra indicabitur, ex aliis officinis vi venti adlatis adficiantur. Sulphurea enim, quæ ſub uſtione exhalant, effluvia, nihil fere detrimenti operariis adferunt. Qua de re, quem grata memoria proſequor, excell. *Spangenbergius*, medicus aulicus & phyſicus civitatis noſtræ, certiorem me reddidit.

ſenicalis, ſi eſſent indolis, fieri non poſſet, quin, quando, quod ſæpe ſatis accidit, tempore nebuloſo vel ſole radiante fumo per caminum denegatur egreſſus, iſque tunc temporis auram inficit metallurgos ambientem, vel dum mineræ educuntur uſtæ ignitæ, operarii iſti diros hujus veneni ſentirent effectus; quod vero, tantum abeſt, ut obſervetur, ut potius, huic labori dicatos omnium minime ægrotare, maximeque longævos evadere, experientia doceat.

§. VII.

Uſta in prioribus furnis molibdæna fortiori igni committitur, ut partes, quæ illi adhærent, inutiles ſeparentur. Vocatur hæc operatio fuſio. Furni, in quibus ea inſtituitur, intra murum exſtructi, figuræ fere parallelepipedi ſunt, altitudinis, a ſolo, paulo ſupra humanam. baſis rectangula longa eſt pedes circiter quatuor, lata duos. In anteriori furni parte duo conſpiciuntur catini, quorum alter ſuperior, infimæ parti frontis furni adhæret, & altitudinis duorum circiter pedum eſt: alter profundius ad latus prioris ſitus eſt, ita ut margo ejus ſupremus in ſoli planum cadat. A tergo fornacis duo conſpectui ſeſe præbent folles, quorum nares, in fiſtula ænea collocatæ, flatum per unicum ejus orificium in furni cavum emittunt. Fornacibus hiſce carbonibus repletis uſta, recrementis, variiſque, quæ metallorum excoctionem facilitant, plumbeis additamentis permiſta molibdæna ſenſim imponitur, ibique, vi ignis follium ſpiritu ſufflati, liquefacta, operto effluit foramine in catinum, quem diximus ſuperiorem. Quieſcente ibidem, per aliquod temporis ſpatium, quæ effluxit, materia, metallicæ partes, graviores, ſubſident, inutiles vero, quæ recrementa conſtituunt, ſupernatant. Quibus ſæpius detractis, repleto ſatis catino ſuperiori, metallo exitus paratur in inferiorem, ex quo cochlearibus hauſtum in catillos transfunditur. Frigefactum ibi metallum, quod plumbum eſt, paucam, quam ſecum ex mineris duxit, argenti quantitatem continens, alii adſervatur operationi, ſeparationi nempe, quam mox expoſiturus ſum. Ante vero, quam ad hanc progrediamur, alius cujuſdam mentio facienda eſt, quæ in ejuſdem generis furnis, in quibus molibdæna excoquitur, inſtitui ſolet, operationis: qua, quod ſequenti ſub operatione gignitur, lithargyrium, additis plumbeis recrementis, eadem fere, qua prior inſtitui labor ſolet, methodo ad plumbi formam reducitur. Utraque ſub operatione minerarum quædam ex furnis, vi follium, expelluntur effluvia, quæ, tempeſtate adverſa, vel a ſolis radiis aere vehementer calefacto, difficulter adſcendunt, auram circa furnum inquinant, atque ab operariis., dum mineras vel carbones immittunt, prope ad furnos accedentibus hauſta, prægravia mala producunt; ea quidem differentia, ut quemadmodum, cui ſupra dicti operarii (§. III. IV. V.) expoſiti ſunt, minerarum

rum & ſaxorum pulvis pulmones maxime adficit; ita, quæ hac ſub operatione expelluntur, ventriculi & inteſtinorum morbos potiſſimum pariant. Teſtantur hac de re, quibus fuſores (*Schmelzer*), quo nomine utrique huic labori inſervientes inſigniuntur) & hos inter præcipue, qui lithargyrium in plumbum convertunt, quam frequentiſſime corripiuntur, colici, ut leviora mala taceamus, dolores ſæviſſimi, alvi obſtructio pertinaciſſima, quam æque ac illos varia comitari ſymptomata, &, niſi tempeſtive adferatur medela, paralyſis artuum haud raro ſolent inſequi. Atque hæc ipſa ſunt, quæ morbum, quem explicaturus ſum, manifeſtant, ſymptomata, quæ, delineata adhuc unica operatione, præmiſſaque morbi denominatione & ſcriptorum hiſtoria, diſtinctius enarrabuntur.

§. VIII.

Separatio audit, quæ explicanda adhuc eſt, operatio; quippe qua metalla in furnis fuſoriis excocta, plumbum puta & argentum, ab invicem in furnis jam delineandis ſeparantur. Conſtat quilibet eorum duabus ex fornacibus arcte connexis. Alter foco gaudet rotundo, cujus ſuperior ſuperficies cineribus lotis obducta, & ſecundum ſegmentum ſphæræ, hemiſphærio multo minus, excavata eſt. Catinus vocatur hæc furni pars; in quam metalla liquefacta defluunt. A peripheria foci fornix aſcendit ſuperius amplo patens hiatu, qui operculo ferreo, durante operatione, occludi, eadem vero finita, aperiri ſolet; ut furnus eo citius frigeſieri & novæ operationi præparari poſſit. Dextro utplurimum furni in latere foramen conſpicitur ſemicirculare, altitudinis duorum circiter pedum & dimidii, quod durante opere ex parte occludi, & per quod argentum educi, liberatum a plumbo, ſolet. Aliud quoddam anterius ſiniſtrorſum plerumque adparet, priori ſimile, ſed minus, ex quo lithargyrium effluit, ita collocatum, ut operarii commode inſpicere in furnum, & lithargyrium educere, poſſint. Duo demum in poſteriori furni parte, muro officinæ affixa, foramina ſunt, quæ follium duorum nares amplectuntur aerem in furnum exſpirantium. Adjacet huic, quam jamjam deſcripſimus, fornaci altera arcte, uti paullo ante dictum eſt, cum illo connexa, ventoſa adpellata, in quam virgulta conjiciuntur igni pabulum ſuffectura. Spelunca ejus, quæ quadrilatera eſt, qua parte priori furno adhæret, amplo in eum patet hiatu flammam virgultorum incenſorum eructante. Imponitur ei, quem primo depinximus, furno, circa focum, miſtura plumbi & argenti (†); alteri, quæ ventoſa audit, virgulta immittuntur, quorum flamma, ut in alterem

† Ad triginta & quod excurrit, centenarios, quorum quilibet argenti a paucis ſiclis ad ſemilibram continet, cetera portio plumbum eſt, quibuſdam inutilibus partibus adhuc permiſtum.

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1819
SCHOOL OF MEDICINE

terum furnum, catino ſuperſtructum, tranſiit, a follium ſpiritu alternatim emiſſo, in orbem agitata metalla fundit, in catinum vel cavum foci defluxura. Liquefacta hac miſtura, plumbum, quod maximam ejus partem efficit, vi ignis perpetuo flatu excitati, deſtruitur, vitreſcit, &, ut paucis rem exprimam, commutatur in lithargyrium (*d*); quod partim a foci cinere reſorberi, (vocatur hæc lithargyrii pars, molibdæna factitia (*e*) partim per orificium ſupra indicatum educi ab operariis ſolet. Plumbo demum his modis omni deſtructo, argentum, nobilius metallum, ignis magis patiens, ſolum fluens in fornace reſtat, certaque tunc temporis phænomena exhibet (*f*), quæ ſimulatque obſervantur, follium ſiſtitur motus, & argentum aqua reſtinctum educitur. Labore iſto, quo undecim fere vel duodecim horarum tempus conſumi ſolet, jam ad finem perducto, tempus conceditur furnis frigeſcendis, quo præterlapſo, operarii eos inſcendunt, molibdænam factitiam vel lithargyrium a foci cinere reſorptum evellunt, pollinem (*g*) furnorum lateribus adhærentem deverrunt, & focum novæ operationi præparant.

§. IX.

Delineato hoc in labore occupati ſeparatores (*Silberabtreiber*) vocantur. Atque hi ſunt, qui morbo iſto, quem conſideraturi ſumus, quam maxime adficiuntur. Cauſſam hujus rei ipſi metallurgi, unanimi conſenſu, in metallorum ponunt effluviis, quæ partim e furnis, durante operatione, vi follium expulſa, tempeſtate præſertim adverſa exitum eorum per caminum impediente, depreſſa in lithargyrio educendo occupatis perpetuo occurrunt; partim vero lateribus furni adhærentia, pollinis ſub forma cinerei vel flavi, ab iis, qui fornaces repurgant, copioſe hauriuntur. Hæc enim ſi exceperint ſeparatores, alvi obſtructione & colicis ſolent infeſtari doloribus atrociſſimis, in artuum dolores & paralyſin quam frequentiſſime abientibus.

Ad-

(*d*) *Neumannus* in chem. prælect. p. 2. cap. 7. edit. Zimmerm. p. 432. Lithargyrium *iſt ein Glas artig gewordenes Bley, ſo ſein inflammabile verloren, und ſobald ihm ſolches wieder beygebracht wird, reducirt es ſich.* Et P. 5. cap. 28. *beym groſſen Abtreiben* (in ſeparatione *wird alles beym Silber geweſene Bley zum* Lithargyrio, *welches ein halb vitreſcirtes Bley iſt.*

(*e*) Vid. *Agricola* de re metallica libr. 10. p. 378. & de natura foſſil. libr. 9. p. 651.

(*f*) Adparent nempe in ſuperficie argenti nubeculæ vel maculæ albæ quibus brevi, uti ſolent, evaneſcentibus, argentum totum candido colore, temporis articulo, obducitur.

(*g*) Pollen hic effluviorum e metallis exhalantium altera pars eſt, quorum altera e fornacibus vi follium expellitur.

§. X.

Adpellari morbus iſte a vulgo ſolet: *Hüttenkatze.* Anſam, peculiarem hanc denominationem inveniendi, & locus ubi malum iſtud ſua ſemina ſpargit & diri, qui illud comitantur, dolores præbuiſſe videntur. Locum enim, ubi tyrannidem ſuam dira illa lues exercet, altera denotat, quæ nomen ingreditur, vox *Hütten*, metallicas puta, vel illas, in quibus metalla ex mineris ignis ope eliciuntur, officinas. Doloris vero vehementiam vel ideam alterum exprimere videtur vocabulum: *Katze*; vel quod felis inſtar furentis ſeſe gerere ſoleant iſtis doloribus correpti; vel quod iis rabidus aliquis catus, in inteſtina artuſque furere, eoſque unguibus lacerare ac dentibus, videatur. Latinis malum illud morbus aliis vocatur metallicus (*h*), aliis colica ſaturnina (*i*); quam ultimam haud ineptum duxi retinuiſſe denominationem, quippe quæ morbi noſtri genus æque ac cauſſam quam optime exprimit.

§. XI.

Atque hæ jam enarratæ ſunt, quas morbus noſter ſolas, quod equidem ſciam, accepit denominationes. Neque vero mirandum hoc eſt, cum de ejus indole perpauci memoriæ aliquid tradiderint. Ad veteres enim quod adtinet, nulla fere apud eos, ſedulos alias morborum ſcrutatores, morbi noſtri occurrit mentio. Sunt quidem qui ſtatuunt, *Hippocratem* hiſtoriam ejus in libris tradidiſſe epidemicorum (*k*), ubi, *qui circa fodinas verſabatur* (ὁ ἐκ μεταλλων) *præcordia*, inquit, *contenta habebat*, *lien magnus erat & alvus diſtenta*, *aliquantum indurata*, *inflatus fuit*, *decolor*; aſt præterquam, quod ſub judice lis ſit, utrum ὁ ἐκ μεταλλων hominem denotet in eruendis & excoquendis mineris occupatum, an alium quendam in loco fodinis nobili tantum degentem; tantum abeſt, ut generalem morbi hujus depinxerit indolem, ut potius caſum quendam ſpecialem, haud peculiaris naturæ, eum deſcripſiſſe, facile adpareat.

§. XII.

Majori adtentione digna videntur, quæ apud *Dioſcoridem*, *Aetium*, *Avicennam* relata leguntur, quippe qui, vim enarrantes lithargyrii nocivam, eadem fere recenſent, quæ morbum noſtrum componunt, ſympto-

(*h*) Hoc nomine *Stockhuſius* eum inſignivit. V. libr. de litharg. fumo noxio &c.
(*i*) Vid. *Hofmann.* med. rat. ſyſtem. tom. 4. ſect. 2. cap. 5.
(*k*) Libr. 4. artic. 20. edit. *Foeſii.*

tomata. Aſt, utrum ea in metallurgis obſervaverint, altum apud eos ſilentium eſt. Sufficient tamen ab iis prolata, ad morbi ſtabiliendam cauſſam, quæ, uti infra patebit, lithargyrio tribuenda ſine dubio eſt.

§. XIII.

Qui præter dictos auctores citari ſolent poetæ, colorata quidem morbos metallurgorum depingunt oratione; ſed nihil conferunt ad morbi indolem curate enucleandam.

§. XIV.

Ex recentioribus primus &, ſe ipſo teſte, omnium primus metallurgorum explicare morbus conatus eſt *Theophraſtus* ille *Paracelſus*, qui duos, de hujus generis morbis, libros memoriæ tradidit. Alter eorum, qui in fodinis verſantur, alter metallorum excoctoribus proprios (*der Schmelzer und anderer, die in metalliſchem Feuer arbeiten*) adfectus explicat. Utriuſque morborum generis peculiarem exhibuit ætiologiam, quarum, quam altero tradidit libro, ad nos quippe magis pertinentem, paucis enarrabo, judicium & cenſuram de hujus viri ingenio lectori relicturus. Ortum ducere iſtos morbos ſtatuit a partibus ex mineris exhalantibus mercurialibus. Sunt nempe, quæ, illius ſententia mineris inhærent, partes, triplicis generis. Ad primum ſal pertinet, quod ſcoriis minerarum permiſcetur; alterum ſulphur conſtituit, quod ardet & comburitur; ultimum vero mercurius efficit, qui fumum format atque ab omnibus ſecedit metallis, nec auro, neque argento exceptis, quanquam, qui ex his exhalat, inviſibilis ſit. Atque in hoc ultimo cauſſam morborum latere, certo adſeverat. Hauſtus enim, ut ejus fert ſententia, ejuſmodi cum aere mercurius, illi, qui a ſtellis exhalat, ſimilis *, in pulmone, tanquam in ventre equino, digeſtus, in varias formas, mucum inprimis variæ indolis, commutatur, qui mucus, putrefactione reſolutus, corpus penetrat, & partim per cutem, partim per renes cum urina, e corpore eliminatur. Quodſi vero remanet in corpore ejuſmodi mercurius, tingit idem noſtros humores redditque corroſivos. Verum non in pulmones ſolum, ſed & in ipſum ventriculum, mercurium illum deſcendere, Paracelſus ſtatuit, modo tamen, uti ipſi videtur, prorſus abſcondito. Nec minus, per nares cerebrum petere eundem mercurium, adſerit, indeque lethargiam oriri & paralyſin. Addit, varium eſſe fumum, quem hauriunt metallurgi, pro diverſis, quæ tractant, metallis. In

* Narraverat enim, e ſtellis jura excoqui ab aere, illarum qualitatum, quas ſideribus adſcripſere aſtrologi, atque cum aere a nobis hauriri, diverſorum morborum cauſſas.

In fragmentis denique de argento vivo, frigidiſſimum illud eſſe ſtatuit corpus, eaque re lunæ adſimilari, omnia cœleſtia corpora frigiditate maxime ſuperanti. Hanc vero ob frigidam, qua gaudet, naturam, argentum vivum nobis nocere putat; compellendo nempe, more ceterorum frigidorum, calorem cor circa & partes reliquas, quæ inde aſſentur & conſumantur.

§. XV.

Ejuſdem fere farinæ quædam de morbis metallurgorum prodidiſſe, aſſecla quidam fertur Paracelſi, *Martinus* dictus *Panſa*. Quæ quod ſilentio prætereamus, neminem lectorum vitio nobis daturum eſſe, confidimus.

§. XVI.

Qui præterea citari ſolent, *Agricola*, *Bernardus Cæſius*, *Cæſalpinus*, quin ipſe, qui de morbis artificum ſcripſit, *Ramazzini*, pauca quædam atque generalia tantum de morbis metallurgorum memoriæ tradiderunt, ex quibus morbi noſtri hiſtoria hauriri omnino nequit.

§. XVII.

Aſt merita, diſtincta morbi hujus explicatione, ſibi peperit encomia, *Stockhuſius*, medicus quondam Goslarienſis, qui, libello de lithargyrii fumo noxio morbifico ejuſque metallico frequentiori morbo, vulgo dicto, *die Hüttenkatze*, & enarrandæ morbi hujus hiſtoriæ & cauſſæ ejus eruendæ, magnam navavit operam, ſucceſſu prorſus felici. Planum enim fecit: ad colicarum genus referendum hoc eſſe malum, &, inquirendo porro in varia, quæ ſpargi in officinis metallis ſolent, effluvia, eorumque qualitatem nocivam, ac comparando hujus morbi ſymptomata cum obſervato lithargyrii effectu, extra omnem poſuit dubitationem: a plumbi & quidem lithargyrii effluviis, dirum, quo de tractamus, malum iſtud produci. Addidit inſuper medendi methodum natura morbi maxime convenientem, propriaque ejus experientia confirmatam.

§. XVIII.

Eadem fere ratione morbi hujus indolem inveſtigavit Cel. *Henckelius*, in libello: *von der Bergſucht und Hüttenkatze.* Qui tamen in eo a Stockhuſii diſcedit ſententia, ut, præter lithargyrium, arſenicum reum morbiferæ cauſſæ faciat coadjuvantis; quod quatenus ad veritatem accedat, de cauſſa morbi tractantes, quæremus.

§. XIX.

§. XIX.

Præter duo illos, quos modo recenſuimus, libellos, nonnullæ in lucem prodiere diſſertationes, quæ, eam de metallariorum paralyſi, morbi noſtri frequenti ſequela, a *Suchlandio* editam ſi excipias, de variis tractant metallurgorum adfectibus, quibus de morbi noſtri indole quædam, Stockhuſii ſententiæ accedentia, auctores inſeruerunt. Pertinent huc præcipue, quam, de metallurgia morbifera, *Hoffmanni* ſub præſidio, *Siemens*; de metallicorum nonnullis morbis, *Kochlatſchius*; &, de præſervandis metallicolarum morbis, *Neumannus*, uterque *Mich. Alberti* ſub moderamine, in publicum evulgarunt.

§. XX.

Silentio denique haud prætereundus, quem modo laudavi, Cel. *Hofmannus*, qui in medicina, quam edidit, rationali, de inteſtinorum doloribus diſſerens, morbi noſtri brevem quidem, ſed adcuratam, pro more ſuo, tradidit deſcriptionem.

§. XXI.

Enarratis hiſce ſcriptoribus, haud ineptum fuerit, nonnullos, qui de morbis noſtro, & cauſſæ & ſymptomatum reſpectu, maxime cognatis literis quædam mandarunt, addidiſſe. Pertinent huc, qui de noxis a vino lithargyrio adulteratis ſcripſerunt: *Goekelius*, *Brunnerus*, *Vicarius*, *Schwallerus*, *Reiſelius* [*l*], *Zellerus* [*m*], *Jægerſchmidius* [*n*], *Canterarius* [*o*]; ac, de figulorum ſtannariorum, pictorum, propriis morbis: *Stockhuſius* [*p*] *Timæus* [*q*] & præcipue *Ramazzini* [*r*]; qui omnes de dictis morbis tractantes eadem fere, quæ morbum noſtrum componunt, enarrant ſymptomata, ad quorum recenſionem jam progredimur.

§. XXII.

[*l*] Vid. Eph. Nat. Cur. Dec. 3. A. 4-5 & 6. ubi, quæ ab his viris, quorum nomina hoc ſignum (l) præcedunt, annotata hanc in rem ſunt, reperiuntur.

[*m*] In diſſ. de noxa vini lithargyrio mangoniſati.

[*n*] In tractat. cui titulus: *der, in denen durch die Silber Glætte beſtrichenen Weinen, verborgene nun aber entlarvte Mercurius.*

[*o*] In diſſ. de colica paretico epileptica.

[*p*] In lib. ſupra recenſito de litharg. fum. noxio.

[*q*] In operib. pract. libr. 7.

[*r*] *Von denen Kranckheiten der Künſtler und Handwercker.*

§. XXII.

Afficiuntur diro iſto malo (*Hüttenkatze*) correpti utplurimum primum inteſtinorum dolore acutiſſimo, haud raro adeo vehementi, ut delirantium inſtar ſeſe habeant, vel animo etiam linquantur, vel in morbum incidant comitialem. Præcedit & comitatur diros hoſce cruciatus alvi obſtructio pertinaciſſima, remediis, alias maxime efficacibus, ſæpe haud ſuperanda, quam, quod mirandum, quatuordecim ultra dies ægros abſque dolore ſuſtuliſſe *Suchlandius* [*s*] adſeverat. Alvo vel ſponte vel arte ſoluta, feces excernunt gryſei vel nigri ſæpe coloris, viſcidas, vel ſiccioris conſiſtentiæ, quaſi aduſtas, in globulos ſæpe intortas, ſtercoris ad inſtar ovilli vel caprini &, ut Cel. *Spangenbergius* [*t*] obſervavit, lithargyrio ſæpe obductas, ita, ut formam præ ſe ferant globulorum, quos figuli ex argilla conficiunt, luſoriorum. Sociam ſæpe hæc ſymptomata, quæ illa etiam interdum præcedit, cardialgiam habent cum vertigine, lipothymia, ſudore ſyncoptico, aſthmate, palpitatione cordis, nauſea & vomitu, quo viſcida ſæpe ejiciunt, picis ad inſtar tenaciſſimæ viridis haud raro vel alius, peſſimi ſæpe, coloris [*u*]. Accedere ventris iſtis cruciatibus artuum perſæpe ſolent convulſiones [*v*] & dolores cum prioribus alte-

[*s*] In diſſ. de paralyſi metallariorum; ubi, eo graviorem, quo tardior obſtructionem ſequitur, dolorem eſſe, adfirmat.

[*t*] Viri hujus Celeberrimi, medici Aulici & Phyſici civitatis Clauſthalienſis experientiſſimi, hoc loco memor, gratus non poſſum, quin publice eam confitear, qua me, cum alias tum in hoc labore occupatum, perſecutus eſt, benevolentiam. Nam, præter nonnulla, quæ ad morbum iſtum pertinent, ſcripta, proprias quas & ipſe & pater ejus B. M. chartæ mandarunt obſervationes, caſuſque medicos mecum communicavit, per quas hiſtoria, quam trado, morbi egregie ditata eſt. Sunt autem eorum caſuum aliqui adeo notabiles viſi, atque ad hiſtoriam confirmandam adeo idonei, ut eos integros huc transferendos eſſe duxerim. Primus & fecum indolem & dolorum vehementiam demonſtrans, ita ſe habet: metallorum inter excoctores tantos quidam ex improviſo ventris percipit cruciatus, ut ſtragulum pedibus manibuſve vehementer pulſet, vix ſeſe recolligat & pro dolore fugam capere minetur. Alvo laborat obſtructo. Clyſtere uſus tenacia nigerrima rejicit, cum levamine. Sequente die rurſus obſerrata alvus & teneſmo, quo parum pituitæ putridæ excernit, juncta eſt. Dolores quidem ventris adhuc durant, ſed minus vehementes ſunt. Clyſtere reiterato, ſublata obſtructione, æger ſanatur. Reliqui caſus ad ea hiſtoriæ loco referentur, quæ vel confirmant, vel illuſtrant.

[*u*] Caſus alter. Corripitur quidam aſthmate convulſivo, palpitatione cordis, vehementibus ventris torminibus, doloribus circa ſcrobiculum cordis convulſivis, in ventrem & dorſum deſcendentibus, cum continuo conatu vomendi & alvum deponendi. Datur pulvis ex digeſtivis & pectoralibus. Dolor per totum nychthemerum continuat, cum vomitionibus multæ pituitæ viridis; quibus decocto theæ ſedatis, purgante dato & ſtomachico, æger reſtituitur.

[*v*] Caſus III. Ventris dolore quidam & ſpaſmo laborat vehementi, qui, ſi in membrum tranſit, hoc tactu durum fit, (indicium ſpaſmi ſive convulſionis vehementis),

alternantes [w]. Interdum varii generis, pro diverſa ægrorum conſtitutione, febres ſuperveniunt, bilioſæ [x], putridæ vel ex inflammatione inteſtinorum, quæ in abſceſſum abiens, morbi moram nonnunquam morte rumpit [y]. Aſt rarius hæc accedit, teſte *Suchlandio* [z]. Frequentius remittentes inteſtinorum dolores morbus excipit articularis, quem muſculorum, movendis artubus dicatorum, paralyſis [a] contractura, tandem & aridura, vel preſſo vel lento pede, inſequitur. Ceterum

[w] Caſus IV. Quidam de ventris dolore conqueritur, qui in dorſum tranſiens, quo minus ſe incurvare queat, impedit. Idem ad artus progreditur, quo facto in ventre remittunt cruciatus. In Caſ. V. In alio quodam ventris dolores in omnes, poſt duos dies, tranſiere artus, ita ut hos præ dolore movere haud potuerit. Vomuit hic æger, dato pulvere quodam alterante, multa nigri peſſimi coloris. Remiſere poſthæc in artubus dolores, in ventre vero remanſerunt. Alvus obſtructa fuit, & tumor conſpicuus in ventre oblongus. Quæ vero omnia purgantibus aliiſque ſublata.

[x] Caſ. VI. Dolorem quidam ventris percipit & nauſeam, evomit bilioſa. Adeſt vertigo, lipothymia, calor. Accedit, cum incremento caloris, delirium, quo correptus valde clamat & cantat, nec unquam ad ſe redit. In ventre durities conſpicitur & tumor; a quibus omnibus idoneis medicamentis liberatur.

[y] Caſ. VII. Quidam de magno conqueritur tibiarum dolore & dorſi (*es brennt ihm im Creutz biß in den Maſtdarm hinunter, wie feur*). Noctu augetur dolor. Deſunt vero ventris tormina. Dato clyſtere, feces æger fruſtulatim rejicit, copioſas, nigras vel uti aduſtas. Accedit urinæ ſtillicidium. Dolor ex feminibus in tibias & ambulando in pedes deſcendit, ubi tantæ vehementiæ eſt; ut a corpore ſeceſſuri ægro videantur. Virium tandem debilitas accedit & atrophia. Rejicit jam purulenta æger, & poſt aliquot ſeptimanas lumina claudit.

[z] Vid. diſſ. ejus de paralyſi metallariorum.

[a] Solet hæc varii generis eſſe paralyſis. Solus enim interdum motus aufertur, ſenſu remanente. Sæpe autem & ſenſus & motus evaneſcunt. Redit vero plerumque, certis temporis intervallis, ſenſus, tempeſtatis præſertim circa mutationes acutiſſimis doloribus ſeſe manifeſtans. (Qua de re teſtantur, quæ Cel. idem *Spangenbergius* de duobus adnotavit paralyticis, quorum alter in manu, qua laboravit, paralytica dolorem ſenſit ad cubitum uſque tendentem, admodum vehementem; alter vero, cujus brachii unius nervi reſoluti fuere, in cubiti articulatione contractionem percepit in digitos tranſientem). Verum tandem & ſenſus & motus evaneſcunt; ita ut ex hoc morbo paralytici, (teſte *Suchlandio*, de paralyſi metallariorum), perinde ac arthritici confirmati, a cruciatibus demum aliquando immunes evadant. Notandum denique, paralyſin iſtam, haud, ut nonnulli ſtatuunt, idiopathice ægros adficere; ſed eam potius ſymptoma eſſe colicos vel artuum dolores ſubſequens. Argumenta hujus rei ex *Stockhuſio* decerpta ſequentia ſunt: cuiquam, inquit, hoc adfectu laboranti prius paralyſin obvenire, quam ſummis ventris cruciatibus vehementer laboraverit, falſiſſimum eſt; quandoquidem irrito labore aut plane neglecta cura, paralyſin ſymptomatice contingere, crudeliſſimoſque illos ventris dolores ſubſequi, experientia quotidie nos docuit. Addenda his *Suchlandii* verba: ubi paralyſis præ foribus eſt, doloribus artuum acutiſſimis, qualibus arthritici laborare ſolent, ægri crucientur. Neque demum ſilentio prætereunda, quæ Cel. obſervavit *Spangenbergius*: cum paralyſi, quæ juncta eſſe ſæpe ſolet, contracturam, colica paſſione aliquoties adflictis maxime eſſe familiarem.

terum varia alia interdum accedunt mala chronica : ut cœcitas [*b*] icterus [*c*] hydrops [*d*]. Et *Stockhuſio* atque *Henkelio* teſtibus, totius quædam corporis cachexia aut atrophia pleroſque tandem infeſtat.

§. XXIII.

Atque hæc ſunt præcipua, quæ, pro varia ægrorum conditione, diverſimode conjuncta vel conſequentia, metallurgos morbo noſtro correptos adficere ſolent, ſymptomata. Ad quorum indolem ſi adtenderimus, recte *Stockhuſium* ſenſiſſe, cum ad colicas paſſiones morbum noſtrum referendum eſſe ſtatuit, facile adparebit. Eſt enim ſecundum *Williſium* colica : partium abdominis vellicatio, unde dolor acutus, cui plerumque vomitio accedere ſolet, ſpaſmi & omnium fere viſcerum contractiones, umbilici retractio, ileus, alvi obſtructio. Contrahuntur ventriculus, duodenum, veſicula fellis, veſica urinaria. Vertiginoſi adfectus præcedunt & ſequuntur. Colica inveterata ingraveſcens non raro lumborum & membrorum externorum dolores accerſit, ac demum in paralyſin terminatur [*e*]. Eidem morborum generi *Hoffmannus* noſtrum inſeruit malum, & quidem colicis, quæ a nimia inteſtinorum contractione oriuntur, ſpaſmodicis; cum, immanis, inquit, eſt colicæ ſpaſmodicæ ſpecies, quæ iis, qui mineras ſaturni igne tractant, ac plumbum ab argento in docimaſticis furnis ſeparant, ut in hercinia fit, familiariſſima eſt : vulgo dicitur *die Hüttenkatze* [*f*]. Quam recte idem ille hac de re judicaverit, cuivis ad fecum, quam ſupra indicavimus, indolem reſpicienti, haud difficile erit perſpectu. Quid enim ſumma earum parvitas aliud indicat; quam diametrum inteſtinorum admodum eſſe imminutam, ideoque inteſtina ſumma verſari in contractione, ſive ſpaſmo? Noto itaque jam morbi noſtri, cui adnumerandus eſt, genere; ordo jubet, ut cauſſam diri illius mali quæramus.

§. XXIV.

Eam autem cauſſam in minerarum, quæ igne tractantur, latere effluviis,

[*b*] Cœcitate correptos exper. *Spangenbergius* duos, ex colica prægreſſa, arthriticos obſervavit, quorum, quod maxime notatu dignum, alterutri externa remedia parum vel nihil profuere, emeticum vero & vinum medicatum, quo hauſto multas feçes æger rejecit viſcidiſſimas, inſigne auxilium adtulerunt.

[*c*] De ictero accedente *Stockhuſius* teſtis eſt, libell. de lith. fumo noxio.

[*d*] Aquam inter cutem abdominis & crurum accedere, idem ille Exc. *Spangenbergius* adnotavit, ea addita obſervatione : omnes fere ea correptos reſtitui.

[*e*] V. opera ejus & quidem de pathologia cerebri & nervoſi generis cap. 15.

[*f*] V. *Hoffmann.* med. rat. ſyſtem. Tom. IV. ſect. 2. c. 5.

viis, vulgo notum eſt. Sed quænam eorum potiſſimum accuſanda ſint, non inter omnes convenit. Si de eorum, quæ noſtris in officinis ope ignis eliquantur, metallorum, plumbi ſcilicet & argenti effluviis ſolis ambigeretur, haud difficile foret, quibuſnam horum culpa deferenda ſit, determinare. Aſt cum permulti variis, quæ mineris noſtris præter metalla inhærere, ſuamque, dum igne tractantur, præſentiam manifeſtare ſtatuunt, cauſſam morbi inferant, haud abs re fore videtur; utrum alia noſtris in officinis, præter metallorum, quæ ibi tractantur, effluvia ſpargantur, & an, ſi adſint, cauſſa morbi addici illis queat, prius inquiſiviſſe, quam ipſa illa metalla mineris noſtris inhærentia ſub examen vocemus. Enarrata varia ejuſmodi effluvia a *Stockhuſio* ſunt, quorum quibus, ob morbi noſtri gravitatem, cauſſam ejus adſcribere præ aliis quis poſſit, maxime nociva, arſenicalia, mercurialia & antimonialia, ac, quæ noſtris in officinis magna copia ſparguntur, ſulphurea, primum examinabo.

§. XXV.

Quæ accuſari cum vulgo a nonnullis ſolent, arſenicalia quod adtinet effluvia, jam ſupra (§. 6.) dictum, eorum nihil vel parum e mineris noſtris exhalare; quod, uſtores qui dicuntur, nullis propriis, nedum ejuſmodi, quæ a veneno iſto creari ſolent, malis implicantur. Objicere quidem illi opinioni indulgentes ſolent, uſtione ob ignem, quo ea perficitur, minus vehementem haud ſtatim ſecedere iſtud venenum, ſequentibus vero, ubi fortior ignis ardet, operationibus eo majori copia in auram avolare, ibique morbi noſtri ſpargere ſemina; ſed contradicit his arſenici natura maxime volatilis. Quam certe ob cauſſam fieri haud poſſet, quin, noſtris mineris arſenicum ſi inhæreret, dum novem ultra horas ignem tantæ patiuntur vehementiæ, ut penitus ignitæ reddantur, (id enim fit, quando uruntur) omnis vel maxima hujus veneni pars expelleretur. Adnuunt his, quæ *Neumannus* de ſtanni [*g*] & cobalti [*h*] mineris tradidit; quæ & ipſæ, cremando, a maxima arſenici parte liberantur. Quibus accedunt, quæ exper. *Siemens* [*i*] de mineris enarrat ſaturninis, arſenicalibus, *Kuttenbergæ* in Bohemia reperiundis: in iis nempe, ubi hæ venæ uruntur, officinis verſantes, reſpirationis difficultate, ſuffocatione, artuum tremore aliiſque malis penitus conſumi; ita ut ſceletorum inſtar vivorum adpareant: manifeſto certe indicio, arſenicum ibidem urendo expelli. Addenda his demum *Schluteri* [*k*], viri rei

[*g*] *Neum.* præl. Chem. Part. V. c. 5.
[*h*] Idem P. II. cap. 14.
[*i*] In diſſ. de metallurgia morbifera §. 16.
[*k*] *Unterricht von denen Huttenwerken.* cap. 20.

rei metallicæ quam maxime gnari, obſervatio eſt, qua, arſenicum e mineris uſtione profligari, edocet. Quæ cum ita ſint, quid, quæſo, obſtat, quo minus arſenicum, ſi noſtris mineris tanta, ac vulgus ſtatuit, copia inhæreat, inter urendum avolet, hocque in labore occupatos diris, quæ modo tetigimus, malis adficiat? Sed ponamus, adeo arcte mineris noſtris inhærere arſenicum, ut vinculum ejus uſtione haud ſolvatur; fieri tamen haud poterit, quin fuſione, quæ maxime vehementi igne inſtituitur, (§. 8.) omne expellatur; unde conſequens eſt, ſub ſeparatione nihil amplius hujus veneni exhalare poſſe. His vero ita poſitis, arſenico cauſſam morbi noſtri ſi tribuamus; fuſores maxime, minime ſeparatores, eo, de quo agimus, malo ut corripiantur, neceſſe eſt. Sed repugnant his ſupra (§. 8.) prolata. Nec itaque eſt, arſenici effluviis cauſſam morbi quod addicamus. Perſuaſi vero hac de re eo magis erimus, ad vim arſenici erodentem, cauſticam, morbi noſtri ſymptomatibus, quæ nullam erodentem, ſed adſtringentem potius cauſſam arguunt, & ad mortiferam hujus veneni velocem efficaciam, morbi noſtri moræ diuturnæ, quæ lentum potius venenum indicat, repugnantem, animum ſi adjecerimus. Corroborant denique noſtram ſententiam ab *Henckelio* prolata, quod, qui arſenicales mineras tractant, eo, quo de tractamus, malo adfici, nunquam obſervatum ſit.

§. XXVI.

Neque vero majori jure mercurialia de cauſſa morbi accuſanda effluvia ſunt. Niſi enim, quod cum *Stockhuſio* præmonemus, omnia ea ad hanc claſſem, Paracelſi more, referamus, quæ cum fumo e mineris exhalant, effluvia, certe mercurio cauſſam, non eſt, quod adſcribamus. Verum quidem, mercurium, ſive, ut diſtinctius rem exprimamus, ſemimetallum illud omnium rerum, ſolo auro excepto, graviſſimum, argentum quod alias dicitur vivum, in mineris noſtris reperiri, obſervationibus metallicæ rei peritorum prorſus repugnat. Ita enim, vir ille in re metallica quam maxime verſatus, *Agricola* [*l*], proprias argentum vivum habere venas, nec illud in ullis Germaniæ venis argentariis repertum ſe noſſe, adſeverat. Adnuit his *Neumannus* [*m*], ubi mercurium, vel in cinnabaris minera nativæ, vel venis certis lapidoſis, vel in terra denique argilloſa, minime vero in aliorum metallorum feracibus mineris, inveniri adfirmat. Sed adſumamus mercurii in mineris noſtris præſentiam, cauſſa tamen morbi ei adtribui ullo jure nequit. Quodſi enim argentum vivum illis inhæreret, prima illa, qua mineræ igne tractantur, operatione, fuſione puta, mercurius, ob volatilem, qua arſenicum adhuc ſuperat,

 perat,

[*l*] De re metallica libr. 5. p. 520.
[*m*] In Præl. Chem. P. V. cap. 25.

perat, indolem, omnis expelleretur, ideoque, cauſſam ſi conſtitueret; morbi, ſi qui unquam, certe uſtores maxime eo adficerentur, fuſores vero & ſeparatores intacti ab eodem relinquerentur. Sed nonne hæc ſupra (§. 6. ſq.) prolatis contradicunt? Numne itaque abſolvendus de cauſſæ morbi ſuſpicione mercurius eſt? Certe eo magis, quo minus, quæ ab hauſtis argenti vivi effluviis oriuntur, & morbi noſtri, ſymptomata inter ſe congruunt. Adficiuntur vero hydrargyri effluvia qui hauſerunt, lipothymia, ſudore frigido, convulſionibus, ἀναισθησια, apoplexia, epilepſia, & præſertim artuum tremore, paralyſi, ptyaliſmo & dentium vacillatione [n]. Reſpondere quidem nonnulla horum, quæ enarravimus, ſymptomatum morbi noſtri indoli primo intuitu videbuntur; aſt curatius rem ſi perpenderimus, differentia eorum haud difficile adparebit. Quæ enim ab hauſto mercurio oriri ſolent, convulſiones, paralyſes, ſudores frigidi, lipothymiæ, ex idiopathia, abſque prægreſſis gravioribus malis, ægros infeſtant; cum e contra eadem morbum noſtrum ſymptomatice, præcedentibus nimirum ventriculi & inteſtinorum doloribus, a mercurii vapore minime oriri ſolitis, ſubſequantur. Quibus denique addendum, quod neque ptyaliſmus, neque dentium vacillatio, quæ tamen utraque ad ſigna hauſti mercurii pertinent præcipua, morbo noſtro obnoxios unquam invadant.

§. XXVII.

Ut autem mercurio morbi hujus cauſſa tribui nequit ita, antimonium quin accuſemus, ſola ſymptomatum, quæ ab hujus fumo vel effluviis oriri ſolent, conſideratio vetat. Sunt vero, quæ antimonii fumus creare mala ſolet præcipua: ſuffocatio, apoplexia, vomitus, alvique dejectiones enormes, dentium vacillatio & ptyaliſmus [o]. Ad hæc certe ſi adtenderimus, nullam eſſe iis cum noſtro morbo congruentiam, facile adparebit. Tantum enim abeſt, ut, quorum labores ſupra (§. 7-8.) deſcripſimus, operarii, hauſtis, cum fumo, minerarum effluviis, alvi in dejectiones frequentes incidant; ut, illos ventris obſtructione potius pertinaci corripi, dentibus vero firmis, a nullo ſalivæ fluxu unquam vacillantibus, gaudere, experientia perpetua doceat.

§. XXVIII.

Neque demum ſulphureis adſcribi cauſſa morbi poteſt exhalationibus. Certum quidem eſt, noſtris in officinis & fuſoriis, & uſtoriis præcipue, (§. 6.) copioſa, odore fœtido teſte, ſulphuris ſpargi effluvia; ſed æque certum

[n] *Siemens* diſſ. de metallurg. morbifera.
[o] Ibid.

certum eſt, qui in uſtriis verſantur officinis, ſulphureis, dum mineras extrahunt, exhalationibus maxime obnoxios, immunes fere a morbo noſtro obſervari; id quod, in hiſce effluviis cauſſa morbi ſi lateret, fieri minime poſſet. Argumentum denique maximum, qui ſulphur excoquunt, noſtræ adferunt ſententiæ. Huic quippe inſervientes labori, ſulphureis effluviis maxime [*p*] expoſiti, reſpirationis quidem difficultate, aſt nulla vehementi alvi obſtructione, nullis ventris doloribus, nec, quæ hos ſequi ſæpe ſolent, aliis ſymptomatibus, infeſtantur.

§. XXIX.

Sublata jam, qua arſenicum, mercurius, antimonium & ſulphur adſpergi poſſent, morbi noſtri cauſſæ ſuſpicio eſt. Haud deſunt quidem alia, quæ præter metalla mineris noſtris, quarum tractationem ſupra depinximus, inhærentia ſub examen vocare cum *Stockhuſio* poſſemus, ut lapis calaminaris [*q*], vitriolum [*r*], cadmia [*ſ*] pompholyx [*t*]; ſed cum hæc omnia in iis, ubi malum iſtud ſua ſemina ſpargit, officinis (§. 4.) haud reperiantur, non eſt, quod illis inquirendis immoremur. Qui enim ex Zinci partibus oritur combuſtis, lapis calaminaris, in noſtris, ubi molybdæna excoquitur, officinis, minime gignitur. Neque porro locum ibi vitriolum invenit, cum, ex quibus illud naſcitur, nativa ejus vena, *Hüttenrauch*, & præcipue pyrites, e molybdæna, a cupri vena ex induſtria liberata (§. 4.) omnino exulent. Deſunt ibidem eandem ob cauſſam, quæ ex pyrite in ærariis officinis generantur, cadmia & pompholyx. Neque ergo in ulla horum, quæ recenſuimus, effluvia cadit ſuſpicio. Accedit, quodſi vel maxime horum unius vel alterius quaſdam ſpargi partes, quæ mineris antea occulte adhæſerant, velimus, has tamen morbum iſtum minime producere, inde liquere; quod neque chalcanthi mineras tractantes, vitriolicis exhalationibus, neque aurichalcum

[*p*] Tantus in iſtis officinis ſulphureus fœtidus vapor eſt; ut adveniens, ſulphur purificandi modum contemplaturus, vix per quadrantem horæ, abſque ſuffocationis periculo, intereſſe labori iſti poſſit. Vid. *Stockhuſius* de litharg. fum. noxio, p. 38.

[*q*] Lapis calaminaris (*Galbmey*) ex Zinci partibus in furnis fuſoriis combuſtis horumque lateribus adcretis originem ducit. Goslarienſibus in officinis metallicis copioſe ſatis gignitur, ubi, quæ effodiuntur venæ, præter argentum plumbum cuprum, & Zinci partes haud raro recondunt. Vid. *Schluter von den Hüttenwercken.*

[*r*] Vitriolum ex pyrite conficitur (*Kupfer-Schwefel Kieß*, *Kupfer Ertzen*) quin & ex minera *Kupferrauch* dicta verum vitriolum nativum continente.

[*ſ*] Cadmia (*Ofenbrüche*) concretum dicitur furnorum fuſoriorum lateribus, peracta in his operatione, adhæreſcens. Eſt illud vel plumbi vel cupri ſimul vel hujus ſolius particeps, quo de ultimo genere *Stockhuſio* ſermo præcipue eſt. Naſcitur ex æris vena, inter excoquendum.

[*t*] Pompholyx favilla aëris eſt vi ignis in officinis ærariis combuſti. Adeat, qui plura de his omnibus noſſe cupit, ſupra cit. *Schluterum* & *Agricolam.*

cum conficientes, lapidis calminaris, nec in ærariis officinis cupri venam excoquentes, cadmiæ & pompholygis effluviis maxime expoſiti, noſtro morbo, *Stockhuſio* teſte, unquam adficiantur.

§. XXX.

Variis jam, quæ accuſari præter metallorum in minera noſtra molybdæna hærentium effluvia poſſint, de cauſſa morbi abſolutis, ad ipſa quæ illi inſunt metalla, plumbum puta & argentum, examinanda progredimur. Alterum eorum, nobilius, quod adtinet, ſuſpicionem in iſtud non eſt, quod transferamus. Eſt enim illud ignis maxime patiens, nec vehementiſſimo & maxime diuturno in igne quidquam, præter exiguam partem, deperdit [*u*]. Quare nulla vel certe non adeo copioſa hujus metalli effluvia exiſtere noſtris in officinis queunt, ut ille tam frequens morbus creari ab illis poſſit. Accedit, modo argumento adhuc opus ſit, ea, quæ noſtris in officinis reperiri argenti effluvia dicuntur, in furnis tantum inveniri fuſoriis [*v*] minime vero in iis, qui ſeparationi argenti a plumbo dicati ſunt; qua de re, cum his qui præſunt, morbo noſtro maxime adficiantur, cauſſa ejus argenti effluviis tribui ullo jure nequit.

§. XXXI.

Quo pauciora vero argenti noſtris in officinis reperiuntur effluvia, eo majori copia plumbea ſpargi, cuivis ad naturam ejus reſpicienti, facile erit perſpectu. Notum enim eſt, plumbum fortioris ope ignis facillime in calcem redigi, id quod plumbi uſti & minii præcipue confectio [*w*] ſatis edocet; nec minus conſtat, quanta copia, quamque vehementi igne plumbum in fuſoriis noſtris & præcipue ſeparatoriis officinis tractetur, quo utique permagnam ejus partem comburi, & in calcem converti neceſſe eſt. Argumento certo hujus rei, qui furnis præſertim ſeparatricibus adhæret, pollis eſt, quem plumbi calcem eſſe, reductio chemica & *Stockhuſium* [*x*] & me ipſum certiorem reddidit. Adnuit his *Agricola* [*y*], qui

[*u*] Argentum vehementiſſimum ignem ad menſis ſpatium perpeſſum vix ſexageſimam ſextam de pondere ejus partem perdidit. Vid. *Neum.* Præl. Chem. edit *Zimmerm.* P. V. cap. 4.

[*v*] In illis fornacibus earumque quidem parte ſuprema reperiundam favillam argenti quidquam continere, audiviſſe ex operariis memini, cujus rei cauſſa ſulphuri metalla in cineres reſolventi adſcribenda videtur; uſtione e molibdæna non plane expulſi. Verum de his curioſe quærere inſtituti noſtri non eſt. Ceterum de ſulphuris vi metalla in cineres reſolvente *Agricola* teſtis eſt. Vid. liber ejus de re metallica octavus. p. 231.

[*w*] Vid. *Neum.* præl. Chem. Part. V. cap. 28.

[*x*] Veriſſimum plumbum ultra ponderis dimidium reddidit. Vid. *Stockhuſ.* de litharg. fum. noxio.

[*y*] Libr. 9. de natur. foſſil.

qui favillam iſtam, quam ſpodon adpellat, in fornacibus ſeparatoriis (quas ſecundas fornaces vocat) inveniri & plumbi [z] partem exuſtam eſſe, in ſublime elatam, adſeverat. Teſtantur demum hac de re, quæ ex metallicæ quodam officinæ præfecto comperi: ipſum nimirum, polline iſto oleo ſubacto, loco ceruſſæ, ad ligna oblinenda frequenter uti.

§. XXXII.

Patet itaque, plumbi reperiri noſtris in officinis effluvia: ſed æque certum eſt, hæc & præcipue, quæ lithargyrium ſpargit, veram diri, quo de tractamus, morbi conſtituere cauſſam. Argumenta hujus rei ſubjecta morbi & primum quidem, qui illo maxime corripiuntur, ſeparatores perhibent. Conſtat enim ex ſupra dictis, (§. 9.) in lithargyrio educendo occupatos, ab effluviis e furnis ſeparatoriis eructatis adfici. Quæ vero aliæ vi follium ibi abripi, atque e fornacibus iſtis expelli poſſunt, quam lithargyrii partes, metallicæ maſſæ quippe ſupernatantis? Teſtatur certe hac de re ſudor, quo horum operariorum facies madent, flavo lithargyrii polline tinctus. Notum porro, furnos hoſce repurgantes a polline lateribus eorum adhærente lædi; numne vero hic plumbei indolis, & quidem lithargyrii vi flammæ illud perpetuo lambientis combuſti, portio eſt? Addatur, quod furnos reparantibus etiam cum molybdæna res ſit factitia, cujus, quem, evellendo eam, hauriunt, pulverem ſaturninæ indolis, & lithargyrii quidem participem eſſe, origo molybdænæ hujus (eſt lithargyrium a foci cinere reſorptum vid. §. 8.) ſatis ſuperque commonſtrat. Elucere ex hiſce clariſſime crediderim, cauſſam morbi noſtri lithargyrii effluviis adſcribendam eſſe. Sed idem patefiet, ad fuſores, eos imprimis, qui reducendo in plumbum lithargyrio occupantur, animum ſi adverterimus, hi enim inter fuſores omnium maxime malo iſto adficiuntur. Quæ alia, cum lithargyrium reducitur, ex plumbo iſto ſemivitrefacto, aliis ſaturninis additamentis remixto (§. 7.) exhalare, quæ officere huic labori dicatis alia poſſunt, quam lithargyrii effluvia? Neque vero minus prolatis & uſtores addunt pondus. Cauſſam enim morbi in plumbi vel lithargyrii ſi ponamus effluviis, eo facilius, cur uſtores a morbo noſtro immunes ſint (a), erit explicatu, quo minus, arſenicalibus, mercurialibus aliiſque cauſſam ubi tribuimus, reddi hujus rei ratio potuit (vid. §. 26. ſq.) Minorem enim, qua uſtio minerarum inſtituitur, ignis ob vehementiam, plumbi, quæ molibdænæ inſunt,

[z] Deſtructi in lithargyrium commutati plumbi pars eſt, vi follium elevata, & a flamma ignis ulterius combuſta.

[a] Expertes, uti jam ſupra (§. 6. not. (c) dictum, noſtri morbi uſtores ſunt, niſi ab effluviis, ex aliis, quæ uſtoriis adjacent, fuſoriis & ſeparatoriis officinis vi venti adlatis, plumbeis, quod jam addendum, adficiantur.

inſunt, partes minime deſtrui &, ſi quæ etiam ſulphuris ope mineris inhærentis comburantur, eædem graviores, ceteriſque, arſenicalibus, aliiſve minus volatiles, expelli ob follium defectum & operarios uſtoriis in officinis verſantes lædere nequeunt. Aſt ſi qua unquam ex re, certe ex eo, lithargyrii effluvia cauſſam morbi conſtituere, manifeſto elucet, quod, qui lithargyrium verſant ac ponderant vendendum, morbo noſtro frequenter adficiuntur, quin, quod Cel. *Spangenbergius* obſervavit, canes hiſce operariis domum, peracto labore, reverſis blandientes, ac lithargyrii pollinem, veſtibus eorum calceiſque adhærentem, haurientes, & alvi obſtructione, & ſævis, quantum ſine dubio ex eorum geſtibus colligere licuit, ventris cruciatibus haud raro corripiuntur.

§. XXXIII.

Quanquam certo ſatis ex prolatis elucere crediderim, lithargyrii effluviis cauſſam morbi noſtri vere tribuendam eſſe; attamen, ut huic rei plenum robur addamus, morbos in ſubſidium vocaſſe, juvabit, quorum ſcriptores ſupra recenſuimus, cognatos. Pertinent huc, quæ de figulis relata apud auctores leguntur, quippe qui, in incruſtandis, lithargyrii ope, vaſis figulinis occupati, iiſdem, quæ metallurgis propria ſunt, ſymptomatibus adficiuntur. Ita enim figuli mentionem *Timæus* (*b*) facit, qui quoties fictilibus lithargyrio obducendis operam navaret, in vehementiſſimos inteſtinorum dolores, cum præcordiorum anguſtia, ac ſpirandi difficultate, incidit, quibus artuum tremor & debilitas acceſſerunt. Figulum ſe noviſſe *Stockhuſius* (*c*) adſerit, qui, calide lithargyrium aliquoties tractans ejuſque fumum incaute excipiens, graviſſimis ventris doloribus non ſemel vexatus, & tandem etiam, alvo medicamentis haud ſoluta, manuum paralyſi correptus fuit. Eadem mala ſtannarios a plumbi effluviis, pati *Henckelius* [*d*] & pictores, quibus cum ſaturninis pigmentis res eſt, *Ramazzini* [*e*] adſeverat, caſum ſimul referens, ex *Fernelio* [*f*] depromptum, pictoris, qui ventris doloribus ſæviſſimis, omnem remediorum vim eludentibus, manuum & pedum tremore, convulſione & dolore per triennium tortus, tabe accedente, e vita deceſſit. Adnuit his *Neumannus*; cum, qui ex minio, ceruſſa vel lithargyrio pigmenta parant, magno ſanitatis detrimento, & pedum ac manuum ſæpe paralyſi adfici, adſerit. Aſt, ſi qui illis, quæ ſupra (§. 22.) recenſuimus, ſymptomatibus prope accedunt, certe ii ſunt, qui a vino lithargyrio adulterato oborti graves fuere, adfectus. Variis nimirum, ut hiſtoriam hujus rei

[*b*] In oper. pract. libr. 8.
[*c*] In libell. de litharg. fumo noxio.
[*d*] In libell. *von der Bergſucht und Hüttenkatze.*
[*e*] *Von den Krankheiten der Künſtler und Handwerker.*
[*f*] De lue venerea cap. 7.

rei proferam, annis [*g*], cum ad Rhenum creſcentes uvæ ad maturitatem haud perveniſſent, vinaque reddidiſſent acida auſtera, vinarii illa, ut palato magis accepta & vendibilia redderent, mangonio, quod turpis lucri cupido excogitavit, ex lithargyrio confecto adulterarunt, quæ quidem res œnopolarum ex voto ſucceſſit, ſed magno detrimento ſanitatis bibentium. Correpti enim alii atrociſſimis fuere colicis cruciatibus, quos artuum dolores vagi, arthritici, pareſes, ventris inflationes, continuæ conſtipationes, ructus, gravitas, circa pectus, aſthma, capitis dolores, deliria & ante obitum convulſiones aliaque moleſtiſſima ſymptomata exceperunt. Alii quidem colicis doloribus liberati ab omni deinde malo immunes manſerunt, alii vero illis ſublatis, in membrorum imbecillitates & paralyſes inciderunt, ab iiſque morbis diu vexati ſunt [*h*]. Ipſe qui hæc enarrat *Goekelius* [*i*] hauſto ejuſmodi vino, colicis doloribus febreque putrida correptus eſt, ad quem adfectum profligandum integrum ſemeſtre conſumſit. Sufficiant hæc de illis, qui a vino iſto adulterato oborti fuere, adfectibus, ex quibus horum cum morbi noſtri ſymptomatibus congruentia ſatis ſuperque adparebit. Plura hac de re qui noſſe deſiderat, quos ſupra enarravimus, (§. 21.) adeat ſcriptores, ex quibus ea tantum haud abs re erit addidiſſe experimenta, quæ, cauſſam adeo nocivæ, quam vinum illud exſeruit, virtutis in lithargyrio latere admiſto, certo demonſtrarunt. Pertinent huc, quæ *Goekelius*, olei vitrioli, *Vicarius*, lixivii ex cineribus clavellatis, ſpiritus urinæ volatilis, olei tartari, & *Neumannus* [*k*], lixivii ope ex auripigmento cum calce viva parati, inſtituerunt experimenta, quo ultimo adhibito, vinum lithargyrio adulteratum ex fuſco rubrum induere colorem, ceteris vero inſtitutis, turbari ejuſmodi vinum, lacteſcere, & lithargyrium ſecedere, nominati auctores [*l*] adſeverant. Indicavit porro lithargyrii in vino præſentiam ſapor, quo plumbi in acido facta gaudere ſolutio ſolet, ſubdulcis adſtringens. Et certiorem demum *Brunnerum* [*m*] de lithargyrio vinum illud noxium reddente in cane inſtitutum fecit experimentum, qui quippe, hauſtis duobus lithargyrii cum aceto cocti ſiclis, præter alia, vehementiſſimorum ventris dolorum ſigna edens, paucis horis præterlapſis, exſpiravit.

§. XXXIV.

[*g*] Annis 1487. 1498. 1500. 1548. 1577. 1694. 95. 1705. vid. Eph. Nat. Cur. Dec. III. A. V. & VI. obſ. 261. nec non *Zelleri* diſſ. de noxa vini lithargyrio mangoniſati.

[*h*] Integra, his annuens inquit *Brunnerus*, hinc inde monaſteria incolis orbata, in quibus adhuc dum viſuntur umbræ hominum potius quam viri, elumbes, pendulis artubus & reſolutis enervati. Vid. Eph. N. C. Dec. III. A. IV. obſ. 92.

[*i*] Eph. N. C. Dec. III. A. IV. obſ. 30.

(*k*) Præl. Chem. p. 5. cap. 7. edit. *Zimmerm.*

(*l*) Vid. eph. n. c. dec. 3. a. 4. 5. & 6.

(*m*) Ibid.

§. XXXIV.

Adparet jam ex dictis, omnes, quos recenſuimus, morbos colicæ noſtræ metallurgorum ſymptomatum ratione maxime cognatos, plumbo & lithargyrio præcipue debere originem. Quæ cum ita ſint, morbi noſtri originem iiſdem cauſſis adſcribendam eſſe, non eſt quod dubitemus. Corroborant hæc, quæ *Dioſcorides* (*n*) aliique ex veteribus de lithargyrii effectu memoriæ tradiderunt. Ille ſpuma, inquit, argenti pota ſtomacho, ventri & interaneis gravitatem, cum magnis torminibus, adfert. Addunt his *Aetius* & *Avicenna* (*o*) alvi ſuppreſſionem & articulorum incendium, & *Nicandro* (*p*), in alexipharmacis, auctore, iis, qui argenti ſpumam hauſerunt, alvi moleſtia accedit, quin & flatus ſeſe revolventes per medium ventrem & juxta umbilicum murmurant, hominem diris cruciatibus adflictantes. Argumento præterea ſunt a ſaturninis remediis, plumbi præcipue ſacchari oborti effectus. Pertinent huc, quæ apud *Fernelium* (*q*) de ſaccharo ſaturni ab empirico ad arthritidem ſanandam dato leguntur, quo quippe hauſto, æger in dyſenteriam & poſthac in colicam immanem, alvi obſtructionem & tandem in icterum incidit. Notatu inſuper hanc in rem haud indigna ſunt, quæ Fr. *Hoffmannus* (*r*) de juvene enarrat, qui ad ſiſtendas crebras nimis pollutiones, ſaccharo uſus ſaturni, alvi adeo pertinaci obſtructione, ut per quatuordecim dies nec flatum nec feces emiſerit, adflictus brevi poſt e vita deceſſit.

§. XXXV.

Dicta hactenus curate expendentes, non mirabimur, tantum non omnes, qui de hoc morbo ſcripſerunt, auctores, cauſſam ejus plumbo vel lithargyrio tribuere. Diſſentit enim *Henckelius*, qui non plumbea ſolum, ſed & arſenicalia prioribus adhærentia effluvia cauſſam morbi vere conſtituere, varias, quas mox prolaturus ſum, ob rationes, arbitratur. Arſenicum ſcilicet argento tam arcte unitum eſſe, ut illud huic jam ſeparato adhuc inhæreſcat, neque plumbi, quod ab argento ſeparatur, effluvia arſenico deſtituta unquam eſſe, adſerit; id quod ex polline plumbeo officinarum & furnorum lateribus adhærente, arſenici nunquam non participe, & ex ſapore fumi acri, mordente, colligendum ſit. Addit his, quod quædam, quæ morbum noſtrum haud raro co-

(*n*) De mater med. edit. *Matthiol.* lib. 6.
(*o*) Ibid. in comment. *Matthiol.*
(*p*) Ibid.
(*q*) de lue vener. cap. 7.
(*r*) In diſſ. de paſſione iliaca.

comitantur, ſymptomata, nauſea puta & vomitus, arſenici effectui reſpondeant. Et tandem plumbi fumum, abſque arſenico, morbo noſtro producendo haud ſufficere, ex eo elucere ſtatuit; quod, quibus cum plumbo & lithargyrio puriſſimo res eſt, ſtannarii ac figuli iiſdem quidem, quæ morbum noſtrum componunt, ſymptomatibus, ſed minori gradu adfici untur. Atque hæc ſunt præcipua, quæ cel. *Henckelius* ad ſtabiliendam ſuam ſententiam in medium profert, argumenta. Ad quorum primum quod adtinet, arſenicum mineris adeo arcte inhærere, vinculum ejus neque uſtione nec fuſione nec ſeparatione ſolvatur, atque in his ultimis duabus operationibus, cum plumbi effluviis venenum iſtud adhuc exhalare, naturæ ejus volatili, me quidem arbitro, prorſus repugnat. Sicque vel maxime in iis, ubi *Henckelius* (*s*) in fumum inquiſivit, officinis, ob minerarum, quæ ibi tractantur, arſenico forſan admodum prægnantium, indolem, rem, uti affirmat, ſe habere concedamus; attamen de noſtris mineris earumque effluviis idem ſtatuendum eſſe, earum conditio prorſus diſſuadet. Quæ enim noſtris, ubi malum deſcriptum ſemina ſua ſpargit, in officinis excoquitur, molybdæna ſecundum notas, quas *Gellertus* (*t*) enumerat, plumbi vena maxime vulgaris eſt, ab eodem ſub nomine *Bleyglanz* deſcripta, cujuſmodi venarum genus, præter plumbi magnam & argenti paucam quantitatem, eodem teſte, nil niſi ſulphur continet. Caret itaque, his ſi niti velimus, molybdæna noſtra arſenico. Perſuaſus fere hac de re ſum, ad effluviorum, quæ minera iſta inter urendum (§. VI.) & fundendum (§. XXXI.) edit, nil niſi ſulphur redolentium, copiam, atque ad artificium aliquod, ope plumbi & ſulphuris ejuſmodi mineram producendi (*u*) animum adjiciens. Sed prorſus

(*s*) In Saxoniæ ſuperioris loco fodinis nobili praxin exercet. Vid. titulus libello ejus præfixus, *von der Bergſucht und Huttenkatze.*

(*t*) In libro cui titulus: *Anfangsgründe zur Metallurgiſchen Chimie.* Verba hanc in rem ibi prolata ſequentia ſunt: *Das gemeinſte Bleyerz iſt der Bleyglanz, welcher aus grou glänzenden, würfichten, gleichſeitigen, oder länglicht viereckichten Täfelchen zuſammen geſetzet iſt. Dieſe Würfelchen oder Täfelchen aber beſtehen aus den dünnſten, ſehr glatten, hellglänzenden Blättchen. Er iſt ſchwer, ſehr weich, und zerbrechlich. Er beſtehet aus 2. Drittheil oder 3. Viertheil Bley: das übrige iſt Schwefel. Sein Silbergehalt iſt bloß zufällig: denn man hat glanz, der wenig oder gar kein Silber hält; da man hingegen andere Arten findet, die von einem Quentchen bis über ein Mark halten. Dieſer Glanz iſt bisweilen klarkörnig, oder ſtrahlig. Bisweilen pflegt er in einer Erde, Stein oder Kies in ſehr kleinen Theilen getheilt zu liegen, ſo daß man oft ein Vergrößerungsglas nöthig hat, ſelbige zu erkennen. Dieſes hat Gelegenheit gegeben, ſich fälſchlich neue Bleyerze vorzuſtellen.* Hæc omnia jam enarrata, minerarum indoli noſtrarum maxime reſpondent.

(*u*) Ex minio in ſulphure tritis, & igni per aliquod tempus commiſſis, ejuſmodi mineram artificialem produci, vir omni reverentia colendus, diſputationis

ſus fere hac de re certiorem cum pulvere noſtrarum venarum inſtitutum me reddidit experimentum. Conflavi quippe illum pulverem prunis injectum, nullius additamenti ſed ſolius ope ignis aere ſufflati, aliquoties in regulum. Quo in labore occupatus fumum obſervavi, pro mineræ quantitate, ſatis copioſum, ſulphur redolentem. Admovi curate nares, ut utrum alliacei quidquam odoris perſentire poſſem, experirer; ſed nihil ejuſmodi fœtoris, qui tamen, uti chemia docet, certum arſenici præſentis indicium eſt, percepi. Remiſtum porro ſulphuri minium cruciculo impoſui candenti, ea ſpe fretus, fore ut mineram ejuſmodi, qua de diximus, artificialem producerem, ſed, quia crucibulum minus curate tectum fuit, ſulphur deflagravit, & maſſa ſuperſtes nigra in pulverem redacta, ex parte quidem ſplendorem plumbeum, ſed maxima ejus portio nigrum tantum ſplendoris expertem colorem, limo tamen ex mineris noſtris vilioribus confici ſolito (§. V.) quodammodo ſimilem exhibuit. Injectus vero prunis aere ſufflatis hicce pulvis, in regulum priusquam abiret, eundem edidit, quem minerarum naturalium pulvis ſpiravit, odorem. Quæ omnia certiorem me reddiderunt, quæ noſtris in officinis excoquitur, molybdænam carere arſenico, nihilque præter metalla continere, quam ſulphur. Sed pauca tantum minerarum pulvis copia hæc experimenta inſtitui, & ideo adeo exigua forſan ei inhæſit arſenici portio, ut odorem ejus, quem prunis injectum edere alias ſolet, alliaceum percipere haud curate ſatis potuerim. Fortaſſe venenum iſtud e mineris in officinis noſtris, ubi multi earum centenarii tractantur, nihilominus exhalat? Concedam hæc objicienti, ſed per exigua ut ſit, ſi quædam ibi expellitur, arſenici quantitas, eaque ſub uſtione brevi avolet, neceſſe eſt, alias enim operarii iſti, mineras præſertim cum extrahunt, diros hujus veneni ſentirent effectus; id quod tamen haud fieri, jam ſæpe monuimus. Sumi quidem, uti jam ſupra diximus, poteſt, uſtione arſenicum haud expelli, ſed inter fundendum & ſeparandum una cum plumbeis ſpargi effluviis; aſt quantis, hæc ſi ita eſſent, fuſores æque ac ſeparatores obnoxii forent malis? Laborant noſtris in officinis, plumbea effluvia qui hauſerunt, dolore ſæpe tantum gravativo, diuturno; num, arſenicum illis adhærens ſimul ſi exceperint, adeo lenibus ſymptomatibus adfici poſſent? nonne, ventriculi potius eroſiones, enormes vomitus, nunquam fere non brevi inſequerentur? Diu porro pertinaci alvi obſtructione laborantium in inteſtinis plumbea, quæ illam crearunt, effluvia ſæpe latent; num, arſenici ſi participia eſſent, diu adeo ibidem hærere ſine graviori noxa poſſent, annon inteſtinorum eroſiones & lethales ſæpe dyſenteriæ ægros brevi in-

exc. Præſes me reddidit certiorem. Ejuſdem artificii, plumbi & ſulphuris ope, clauſo & veloci igne inſtituendi mentionem facit *Neumannus* in præl. chem. p. 2. cap. 9. edit. *Zimmerm.* p. 463.

invaderent. Certe ad hæc ſi adtendamus, quæ noſtris in officinis ab operariis hauriuntur, plumbea effluvia arſenicalibus eſſe commiſta, non eſt, quod ſtatuamus. Cum vero, non alia, *Henkelius*, quam quibus & operarii noſtri adficiuntur, recenſeat ſymptomata, in univerſum concludi poteſt, arſenicum de cauſſa morbi coadjuvante nullo jure eſſe accuſandum. Adnuit his morbi noſtri primus æque ac exactiſſimus ſcrutator *Stockhuſius*, qui effluvia morbum creantia, plumbeæ ſolum, minime arſenicalis eſſe indolis, eam ob cauſſam adſeverat, quod neque fumus ille morbum producens acrem quendam, ſed dulcem potius ſaporem, neque pollen officinarum & furnorum lateribus adhærens, ejuſdem mali cauſſa, ullum arſenici, ſed certum plumbi indicium præbuit, utraque vero nulla, quæ ab arſenico oriri ſolent, mala unquam effecerunt. Statuit quidem *Henckelius*, quæ morbum noſtrum comitari interdum ſolent, nauſeam & vomitum arſenico debere originem; ſed tantum abeſt, ut hocce venenum, certo indicent, ut hæc ſymptomata antimonialibus, cupreis vel aliis partibus adſcribi eodem jure poſſint. Has vero cum idem ille de cauſſa morbi abſolvat, arſenico ſuſpicionem, quid eſt, quod adſpergamus? Accedit, quod dicta utraque ſymptomata ex ipſa morbi natura quam facillime explicanda nec tantæ ſint, quantæ, ab arſenico ſi orirentur, forent vehementiæ. Addendum demum, fieri, arſenicum nauſeæ & vomitus cauſſa ſi eſſet, non poſſe, quin idem illud, quod jam ſupra monuimus, ventriculi & inteſtinorum eroſiones, diarrhœas, aliaque, quæ a veneno iſto creari ſolent, mala produceret; cui vero cum morbi noſtri ſymptomata contradicant, arſenico culpa adſcribenda non eſt. Ad ultimum ab *Henkelio* prolatum argumentum, quo metallurgos morbo noſtro gravius, ſtannariis & figulis, adfici, cauſſamque hujus rei in arſenico latere, plumbeis, quæ metallorum excoctores hauriunt, effluviis admiſſo, adſerit, animum adjicienti neceſſe haud videtur, rationem hujus rei in diverſa effluviorum quærere qualitate, cum ex quantitatis differentia eadem reddi facillime poſſit. Quam enim exigua eſt, cui ſtannarii & figuli, cum ea ſi comparemus, cui metallorum noſtri excoctores expoſiti ſunt, plumbeorum effluviorum quantitas? Certe vix huic comparanda. Neque enim ſtannari & figuli magnam plumbi & lithargyrii copiam tractant unquam, neque admodum valido igne utuntur. Cum e contrario metallurgi multos & plumbi & lithargyrii centenarios igne tractant follium ſpiritu ſufflato, vehementiſſimo. Quæ cum ita ſint, nonne ſequi inde neceſſe eſt; ut cum figuli & ſtannarii paucioribus, quæ hauriunt, plumbi effluviis adeo graviter adficiantur, metallurgi, qui longe majori eorundem effluviorum copiæ expoſiti ſunt, multo gravius ac frequentius ab iiſdem lædi non nequeant? Veritati certe hæc maxime accedere crediderim. Quodſi vero quis adhuc dubitet, plumbi effluvia pro vera & unica morbi noſtri cauſſa agnoſcere, recordetur velim eorum, quæ de lithargyrium ponde-

derantibus & reducentibus ſupra enarravimus; qui quippe, plumbi vitrefacti effluviis certo expoſiti, dira illa, qua de tractimus, lue maxime corripiuntur. Quis vero quæſo contendet, arſenico hos lædi operarios? Haud certe ullus lithargyrii originem non ignorans. Eſt enim illud plumbum ſemivitrefactum, in ſeparatione argenti a plumbo ter ignem perpeſſo oriundum, arſenico, ſi quid etiam ejus mineris antea inhæſerit, ſine dubio prorſus deſtitutum. Adnuent demum de ſaturninis effluviis, vera morbi cauſſa, adſertis, ſummæ, quæ morbi noſtri nunquam non comes, quin, ad mentem *Stockhuſii*, ipſe morbus eſt, obſtructionis cauſſas cum vi plumbi comparaturi. Cui enim, quibus illa originem debet, vehemens inteſtinorum contractio, fecum viſciditas ſiccitas (vid. §. XXII.) tribui, cui adſcribi rei poteſt alii, quam vi plumbi vel lithargyrii adſtringenti, exſiccanti, coagulanti? (*v*) Certe ad hæc cæteraque hactenus prolata adtendentem, ſolis plumbeis & ſpeciatim lithargyrii effluviis, veram morbi noſtri cauſſam adſcribendam eſſe, dubitaturum ſpero neminem.

§. XXXVI.

Nota jam vero cauſſa diri illius, quo de tractamus, morbi remota, quæ plumbi partibus ignis ope combuſtis vel ad vitream quodammodo formam deſtructis, lithargyrio puta, tribuenda eſt: ordo nunc poſcere videtur, ut plumbi naturam atque vim curatius examinemus. Ad hoc opus progredientes haud ineptum duximus, quæſtionem primum propoſuiſſe: qui fiat, ut tanta plumbi effluvia creent mala, & an hujus rei cauſſa acido primarum viarum, plumbum ſolventi, cum *Hoffmanno* (*w*) adſcribenda ſit? Certum quippe eſt, acidis ſolutum plumbum magna adſtringendi & exſiccandi gaudere efficacia, miſerumque in modum, infauſto ex conſilio ejuſmodi ſaturnina præparata qui ingeſſerunt, ſæpe adfici, id quod ex ſupra prolatis patet, & infra magis patefiet. Deſtituta vero, quæ morbum noſtrum creant, effluvia acido ſunt: caret eodem, quod cauſſa morbi præcipue eſt, lithargyrium, & tanta tamen mala producit. An ergo plumbum acido carens eadem adſtringendi nocendique vi præditum eſt, an acido potius primarum viarum illud ſolventi tribui illa debet? Ecquidem *Hofmanni* ſequi ſententiam haud dubito: cujus veritas ut tanto clarius pateſcat, quæſiviſſe primum juvabit, quo modo plumbum, vel, quod cauſſam morbi maxime conſtituit, li-

(*v*) Ad toxica, quæ conſtringendo, incraſſando, obſtruendo, exſiccando nocent, plumbi calcem, ceruſſam, minium & lithargyrium pertinere, *Boerhaavius* docet in inſtit. med. §. 1143.

(*w*) Nullum dubium eſt, inquit, quin ſaturninis pulveribus, qui acido primarum viarum ſolvuntur, homines in tantam perniciem conjici poſſint, qua ipſis tandem pereundum eſt. Vid. diſſ. ejus de erroribus circa venena vulgaribus.

lithargyrium nocere corpori generatim queat. Curate hanc rem ſi perpendamus, non, niſi duplicem mente concipi modum poſſe, quo lithargyrium corpori noceat, facile patet. Vel enim illud in primas vias delatum, ut eſt, relinquitur, & ita haud immutatum, immediate, vi mere mechanica, ſolidis nocet; vel ſolvitur primum ab humoribus noſtris, eaque ſolutione mutatum, vi quadam acri chemica, noxam parit. Horum utrum vere obtineat, vel an utroque modo plumbum noceat, ut certum judicium nanciſcamur, quærendum ante omnia erit; ſolvine lithargyrium a noſtris humoribus poſſit? Neceſſe vero ad hæc diſcernendam quæſtionem eſt, cujus generis liquidis plumbum ſolvatur, inquiſiviſſe.

§. XXXVII.

Chemiam ſi conſulamus, triplicis ſunt generis, quæ plumbum via humida ſolvunt, menſtrua. Ad primum olea pertinent preſſa vegetabilia, quæ cocta cum plumbo in balſamum, &, igne auctiore, in corpus abeunt ſemimetallicum (*x*). Alterum, quod plumbi limaturam vel calcem coquendo ſolvit, lixivium alcali fixi conſtituit cauſticum (*y*). Ad tertium omnis fere generis acida referenda ſunt, tam mineralia, quam præcipue vegetabilia. Solvitur enim plumbum & a vitrioli & a ſalis ſpiritu, quamvis ægre & ex parte tantum, facilius vero a ſpiritu nitri, ſed duplo (*z*) quin decuplo (*a*) aquæ diluto. Idem acidis fit vegetabilibus: nam ab aceto deſtillato crudum plumbum ſolvitur (*b*). Aceti ſimplicis & cereviſiæ & vini vapore (*c*) corroditur idem, & in ceruſſam, quæ ex liquore acido & corpore ſoluto plumbi compoſita eſt (*d*) convertitur. Notatu hanc in rem dignus a *Boerhaavio* (*e*) inſtitutus proceſſus eſt. Aceto quippe repletam cucurbitam, alembico, plumbeas laminas continente, inſtructam leni commiſit igni, quo facto aceti aſcendens vapor plumbum corroſit, mutavit in ceruſſam, & deſtillans in excipulum liquor ſaporem dulcem nauſeoſum, ac inſpiſſatus ſalem præbuit, ſaccharum qui dicitur ſaturni. Ad hanc certe ſi adtendamus operationem, lene admodum acidum, ipſo aceto debilius, plumbum ſolviſſe, facile

(*x*) *Boerhaav.* elem. chem. tom. 2. part. 3. proc. 177.
(*y*) *Neumann.* prælect. chem. p. 2. cap. 3. (edit. *Zimmerm.* p. 405. & 407. nec non *Gellerts Anfangsgründe zur Metallurgiſchen Chemie* p. 2. proc. 29.
(*z*) Ibid. p. 1. cap. 7. p. 105.
(*a*) *Boerhaav.* el. chem. tom. 2. p. 3. proc. 174.
(*b*) *Neumann* præl. chem. p. 5. cap. 28.
(*c*) Ibid. & p. 2. cap. 12.
(*d*) Elem. chem. p. 3. tom. 2. proc. 171.
(*e*) Ibid.

facile erit perſpectu. Notum enim eſt, acetum deſtillando principio aquoſas, & ſenſim magis acidas præbere partes. Acetum quippe, dum rectificatur, primum phlegma, vix acidum ad ſaporem, ad quartam fere partem, poſthac acidiores deſtillant duæ quartæ partes, quæ aceti ſub nomine deſtillati colliguntur; in fundo vero vaſis quarta ultima relinquitur portio acerrima, non niſi vehementi ſatis igne aſcendens (*f*). Cum ergo operationem illam leni igne *Boerhaavius* inſtituerit, aceti partes debiliores tantum evectæ in altum ſunt, phlegmati permiſtæ, relictis acrioribus. Fuit itaque acidum plumbum ſolvens ipſo aceto debilius. Et hoc tamen ſufficit ſolvendo iſti metallo? Certe merito cum *Boerhaavio* (*g*) miramur, a leni adeo acido corrodi plumbum, ſolvique. Aſt quamquam crudum iſtud metallum ab acidis vegetabilibus haud ægre ſolvatur, attamen longe facilius idem fit, igne ſi prius deſtructum fuerit plumbum, ſive ad calcem quamcunque redactum. Ita enim plumbum uſtum, minium, multo facilius, omnium vero faciliime lithargyrium ab acido ſolvitur (*h*). Docet hoc, ſacchari ſaturni ex lithargyrio, nec minus emplaſtorum, quæ lithargyrium ingreditur, confectio, quibus quippe parandis qui operam navant, acetum ſæpe adfundunt, quo ſolvitur illud & oleo ſubigitur. Tanta enim acidi in plumbum vis eſt, tam arcte eidem adhæret, ut illud hoc ſolutum variis rebus admiſceri, & mutari innumeris fere modis poſſit; id quod multiplicia, quæ *Schrœderus* (*i*) recenſet, ſaturnina præparata ſatis ſuperque oſtendunt.

§. XXXVIII.

Adparet jam ex dictis, triplicis eſſe generis, quæ plumbum ſolvunt, menſtrua: olea puta vegetabilia preſſa, paratum ex alcali fixo lixivium, & acida præcipue vegetabilia. Videamus jam, utrum hujuſmodi dentur in corpore noſtro menſtrua, quibus plumbum ſolvi poſſit ingeſtum. Ad primum, olea nimirum preſſa vegetabilia, quod adtinet, non eſt quod iis immoremur. Verum quidem eſt, oleoſa varia vegetabilia & olea ex illis expreſſa haud infrequenter adſumi; ſed æque certum eſt, eadem a ſaliva, liquido gaſtrico, bile, pancreatico ſucco & inteſtinali immutari. Dividuntur enim, ſeparantur ab invicem oleoſæ adſumtæ partes, interponuntur illis admiſti dicti humores, aliæque ingeſtorum partes, aquoſæ præſertim, quibuſcum in emulſum abeunt chylum conſtituens (*k*). Neque ergo in ea ſubſtantia ingeſta remanent oleoſa, quæ ad plumbum

(*f*) P. 1. tom. 2. proc. 51.
(*g*) T. 2. p. 3. proc 171.
(*h*.) Acetum lithargyrium inter plumbi calces faciliime ſolvere, *Neumannus* teſtatur in præl. chem. p. 5. cap. 28.
(*i*) Theſaur pharmacologic. libr. 3. cap. 12. & 19.
(*k*) *Boerh.* elem. chem. tom. 2. p. 1. proceſſ. 22.

bum ſolvendum apta ſit. Notum porro, ignis in corpore noſtro deficere vehementiam, qua plumbum fundatur, oleum ebulliat (*l*). Ab oleoſis ergo partibus in corpore noſtro reperiundis plumbum hauſtum ſolvi nequit. Num vero hoc ibi altero menſtruo fit, lixivio puta alcali fixi? certe minime. Nullum enim alcali fixum vel cum alimentis ingeri, vel in ſanguine & humoribus noſtris generari, quilibet & ſalis illius originem & horum qualitatem haud ignorans, facile perſpicit. Naſcitur enim ſal ille ſolis, ſi nitrum excipias fixum, ex vegetabilibus igne violento combuſtis in cineres. Eſt igitur ſola ignis proles. Nec uſquam talis in animali, vegetabili, vel foſſili materie adparet (*m*). Neque cum alimentis, quæ ex vegetabilibus & animalibus conſtant, ingeri poteſt. Aſt quo certius hoc eſt, eo minus, in ſanguine ſalem illum adeſſe, ſtatuendum. Sunt enim, cum ipſe ſanguis, tum omnes, qui de eo ſecernuntur, humores blandæ indolis, & manifeſti ſalis, præter eum, quo cibi condiri ſolent, expertes. Verum quidem, ſanguinem ſibi relictum diu, abſque novo chylo accedente, ut in fame, & valide, uti in febribus, motum, quin & ſerum ſtagnans, ad alcalinam vergere acrimoniam; ſed tantum abeſt, ut fixum præbeant alcalinum ſalem, ut ne volatilis quidem, in ſtatu iſto vel alio præternaturali, nedum ſano, indicium præ ſe ferant (*n*). Et quid eſt, quod huic rei diutius immoramur, cum Chemiæ haud prorſus ignaris notum ſatis ſuperque ſit, ex animalibus nullum ſalem alcalicum fixum parari ne igne quidem poſſe fortiori? tantum abeſt, ut eo, qui corpori noſtro proprius eſt, calore producatur. Exul itaque e corpore noſtro alcali fixum eſt. Sed adeſtne acidum? Cum *Sylvio* ſtatuere ſi liceret, liquorem gaſtricum, & cum *Helmontio*, ſuccum pancreaticum acidæ eſſe indolis; haud difficilis præſentia acidi in corpore noſtro foret demonſtratu. Sed exploſa, curatiori recentiorum inquiſitione, iſta ſententia eſt. Neque enim ſanguinem, neque ſerum acida eſſe, vel aceſcere, unquam obſervatum fuit. Unde nulli, qui ex ſero (quod, *Boerhaavio* (*o*) auctore, omnem materiem, parte rubra excepta, per omnia vaſa movendam, continet) ſecernuntur, humores acidæ eſſe indolis poſſunt; ergo nec ventriculi & pancreatis liquidum. Docuit potius de his ultimis ſpecialis obſervatio, blandos eos eſſe, ab omni aciditate & alcaleſcentia remotos, ſalivæ omni dote ſimiles humores, qui ſibi commiſſi in lixivi potius ſalis indolem mu-

(*l*) Ad plumbum in oleo preſſo ſolvendum vegetabili, igne uſus eſt *Boerhaavius* ſenſim auctiori, uſque dum plumbum liquefieri & oleum ebullire inceperit. Vid. tom. 2. p. 3. proc. 177.

(*m*) Ibid p. 1. tom. 2. proc. 12.

(*n*) Vid. *Boerh.* elem. chem. tom. 2. p. 2. & præcipue proc. 114.

(*o*) Ibid.

mutantur. (*p*). Et tantum abeſt, ut dicti iſti humores acidæ ſint naturæ, ut potius, quæ hujus ſunt indolis, adſumtis infringendis inſerviant. Ingeſta enim innumera acida, ut fructus horæi, aciduli, cereviſiæ, vina, aceta, liquore ſani hominis gaſtrico & pancreatico (juvante ſaliva, bile, inteſtinorum liquido & muco) ſubiguntur ita, ut in inteſtinis omnis plerumque acida ſuperata vis ſit. Sed tamen ſi viſcera debilia ſint, & læſa ſit horum liquidorum, ab acidis magna copia ſæpe ingeſtis, qualitas, acida acrimonia in primis viis omnino præſto eſt. Argumento ſunt hypochondriaci, quartanarii, melancholici, feminæ hyſtericæ, qui omnes modo ructibus laborant acidis, modo acidiſſimam evomunt pituitam, feceſque ſæpe reddunt acidum redolentes (*q*). Novi ejuſmodi hypochondriacum, qui poſt acida, vel leviſſime aceſcentia, ingeſta, ructibus nunquam non torquebatur acidis, haud prius ceſſantibus, quam acidum ſæpe fortiſſimum vomitu rejeciſſet, vel alvum depoſuiſſet acidum vere redolentem. Memini item, poſt aquarum Pyrmontanarum uſum, eundem tanto acido laboraſſe, ut, quanquam ſolis juſculis ex aqua & ovis paratis nutriretur, adeo forte tamen vomitu rejecerit acidum, ut dentes inde ſenſerit hebetatos. Argumento hæc certe eos contra inſerviunt, ſi qui ſunt, qui acidam dari in noſtro corpore acrimoniam dubitant. Neque minus iis repugnant ab *Hoffmanno* annotata (*r*), quibus acidam acrimoniam in cholera & dyſenteria laborantibus, infantibus, ſenibuſque adeo ſæpe acrem reperiri, ut ventriculi & inteſtinorum tunicæ inde adrodantur, certo adſeverat. Et quanquam rarius, fortem ejuſmodi acrimoniam primas obſidere vias, notetur; obſervatu tamen haud adeo infrequens eſt, eos, qui digeſtionis & concoctionis partibus laborant debilioribus, poſt acida vel aceſcentia ingeſta, ructibus vexari acidum manifeſto ſpirantibus. Verum enim vero nec læſis ſolum, quæ concoctioni inſerviunt, partibus, ſed & rite his conſtitutis gaudentes, maxime ſani, acidum utplurimum in primis viis recondunt. In inteſtinis quidem ſani hominis illud frequenter

(*p*) Vid. Generoſiſſ. de *Haller* prim. lin. phyſiolog.

(*q*) Vid. *Hoffmanni* diſſ. de morborum ortu & cauſſis eorum proximis.

(*r*) in diſſ. jam citata §. 19. Quanta, inquit, acrimonia illa cauſtica eſt, quæ in quibuſdam hypochondriacis in choleræ & dyſenteriæ morbis laborantibus viſitur. Annon infantum lactantium funeſta ſymptomata, ut atrocia ventris tormina, epilepticæ convulſiones, acrimoniæ ſuæ incunabula referunt. Monſtrant id feces viridiſſimæ linteamina corrodentes, quarum color a nulla alia cauſa, quam a cauſtico acido cum bile remixto oritur. Idem ille *Hoffmannus*, in diſſ. de ſeri lactis virtute §. 5. choleræ cauſſam ſæpe in ſucco valde acido, corroſivo, cum bilis partibus remixto, poſitam eſſe, contendit. De morbis ex hepatis vitio ab eodem edita in diſſertatione §. 21. ſenibus, inquit, frequens ac familiare eſt, quod omnia in ipſorum ventriculo coaceſcant, ructus acidi cum fœda & anxietate moleſtiam faceſſant, ac rodentes dolores circa præcordia percipiantur, fecibus albis & cum difficultate ſecedentibus.

ter reperiri, equidem haud adſeruerim, quod acidum ibi efficacius ſubigitur, ita ut ibidem omnis ejus vis ſuperata ſit. Aſt raro tamen, ut ad mentem *Hofmanni* loquar, ſine acido ventriculum eſſe (*s*), & ratio ſuadet, & experientia confirmat. Nam minus efficaciter, quam in inteſtinis, acida adſumta in ventriculo ſubiguntur (*t*), Quæ cum ita ſint, ad quantitatem & frequentiam, qua illa ingeruntur, animum ſi adjiciamus, quid vero magis ſimile, quin certius eſt, quam ventriculum maxime ſanorum, dummodo ſarcophagos excipias, acidum quam frequentiſſime recondere. Adnuit his experientia. Teſtatur hac de re humor acidus, quem ſani jejuni homines toties ructant (*u*), & acescens in ventriculo repleto ſæpe reperiundum liquamen (*v*). Cum ergo acidi in primis viis præſentia haud dubia ſit, fieri non poteſt, quin forte hauſtum, quod cauſſam morbi noſtri maxime conſtituit, lithargyrium, inter plumbi calces acido ſolutu facillimum, ab eodem ſolvatur. In hypochondriacis aliiſque forti admodum acido laborantibus, id fieri, ad acidorum plumbum ſolvendi efficaciam (§. XXXVII.) ſi adtenderimus, minime dubitandum eſt. Sed num idem de ſanis hominibus ſtatuendum? Hinc etiam tanto acido gaudent, ut plumbum (*w*) ſolvi eo poſſit? In omnibus quidem rite valentibus, vel in eodem, omni tempore, adeo forte vel copioſum reperiri acidum, equidem haud adſeruerim; alias enim, cum, uti infra patefiet, in acido primarum viarum cauſſa vis plumbi ingeſti nocivæ lateat, omnes, quorum labores ſupra deſcripſimus, operarii, tempore præſertim nebuloſo, quo ſaturni effluvia haurire non nequeunt, illis, quæ ſupra delineavimus, malis corripi neceſſe foret, cui tamen experientia prorſus contradicit. Vero interim maxime ſimile videtur, haud ita raro ſufficiens plumbo ſolvendo in ſanorum ventriculo acidum reperiri. Varia certe, ad hanc rem corroborandam, ex idioſyncraſia corporum & diæta nonnullorum magis acida, deſumere argumenta poſſemus, vel caſum fingere, metallurgum, poſt hauſta ſaturnina effluvia, aceſcentia potu vel eſca ingerere, (quod ſæpe fieri vero utique conſentaneum eſt) quo facto exceptum lithargyrium, ventriculi calore adjuvante, ſolvi neceſſe ſit. Verum, ne conjecturis immoremur, ad experientiam refugiſſe, ſatius duco, optimam rerum magiſtram; quæ quippe, ſanos in ventriculo forte ſatis, quo plumbum ſæpe ſolvatur, acidum recondere, certo commonſtrat. Perhi-

(*s*) Vid. diſſ. de ſeri lactis virtute §. 3.
(*t*) Vid. illuſtr. de *Haller* prim. lin. phyſiolog. §. 717.
(*u*) Preno præſertim thorace. Vid. *Boerhaav* inſtit. med. §. 88.
(*v*) Loco ſub. n. (t) citat. §. 632.
(*w*) Notandum hic, de plumbo loquentes ab acido primarum viarum ſolvendo, plumbum ope ignis deſtructum nos intelligere, & præcipue lithargyrium, quod quippe cauſſam morbi noſtri fere efficit.

hibent hujus rei teſtimonium, quæ, quem ſæpius adpellavi, cel. *Spangenbergius* diuturna, quam exercuit, praxi nixus mecum communicavit: ſanos nimirum, qui ſaturnina effluvia hauſerunt, ſæpe petere lectum, noctu vero expergefactos ſaporem dulcem percipere, nauſeoſum, certum ejus, quem explicavimus, morbi anteceſſorem. Ad hæc certe adtendens de veritate noſtri adſerti facile erit convictus. Quid enim ſapor ille plumbo in acido ſoluto proprius, aliud indicat, quam ſaturnina effluvia acido quodam ventriculi eſſe ſoluta?

§. XXXIX.

Patet jam ex dictis, dari in corpore noſtro, & præternaturali & ſano ejus ſtatu, plumbum ſolvens menſtruum, & quidem unicum, acidum puta in primis viis. Notum porro ex prolatis eſt, illud non ex ſanguine ejuſque humoribus originem ducere, ſed & ingeſtis acidis, ab illis non ſuperatis. Cum vero victus ratio & concoctionis negotium, & in diverſis ſubjectis & in eodem individuo, diverſo tempore, differant; facile adparet, variare neceſſario acidi in corpore, quod quantitatem & qualitatem, præſentiam & abſentiam. Neque itaque, cum acidum iſtud ſolum plumbum ſolvens in corpore noſtro reperiundum menſtruum ſit, in omni individuo, quin in eodem, omni tempore, illud ſolvetur, ſed ſolum, acido præſente, illo vero abſente, in ſubſtantia hauſtum plumbum remanebit. Prætereaque eo plus plumbi ſolvetur, eo minus in ſubſtantia relinquetur, quo major in hoc vel illo individuo acidi adeſt quantitas, quo fortius idem eſt, & vice verſa. His vero ita poſitis, ad ſcopum noſtrum ut propius accedamus, duplex nobis, ſub qua plumbum hauſtum nocere, vimque ſuam adſtringentem exſerere poteſt, conſideranda conditio venit. Cum nempe plumbum, uti ſupra dictum (§. XXXVI.), in primas vias delatum, vel in ſubſtantiam relinquatur, & ita immediate, vi quadam mechanica, noceat; vel ab humoribus noſtris ibi reperiundis ſolvatur, & ita mediate, vi acri chemica, noxam ſolidis inferat; illud vero metallum (x) tunc ſolum a noſtris humoribus ibi ſolvatur, acido quando participant, eo vero abſente in ſubſtantia remaneat; facile patet, plumbum hauſtum, vel in ſubſtantia ubi relinquitur, ſive per ſe, nocere, vel tantum acido quando ſolvitur primarum viarum, vel utraque ſub conditione. Atque exinde quæſtio intelligetur ſupra propoſita, ad quam ſolvendam nos jam convertemus.

(x) Non crudum nos ſubintelligere, ſed ad lithargyrii vel calcis formam ope ignis deſtructum, ex ſupra not. (w) adnotatis palam erit.

§. XL.

Plumbum, calcis quidem ſub forma vel lithargyrii, quo de nobis hic ſermo eſt, hauſtum in ſubſtantia, per ſe, conſtringendo, vel ſimili huic actione, noxam ſolidis inferre, equidem minime crediderim. Natum mihi hocce dubium eſt, cauſſam quærenti, cur metallurgi plumbum dicta ſub forma haurientes raro pulmonum, frequenter vero prægravibus ventriculi & inteſtinorum, morbis adficiantur. Quam rem ita ſeſe habere, *Stockhuſius* teſtatur, cum ejuſmodi operarios vel decies inteſtinorum iſtis, quos deſcripſimus, adfectibus, illæſis tamen pulmonibus, laboraſſe, crebra experientia nixus adſeverat. Si vero, unquam ex aliqua, certe ex hac obſervatione manifeſto elucet, plumbum iſta ſub forma hauſtum per ſe minime nocere. Quæ enim cauſſa reddetur, contrarium ſi ſtatuamus, quod ejuſmodi plumbea effluvia, ab operariis inſpirata, ventriculi & inteſtinorum morbos toties pariant, pulmones tamen relinquant illæſos? Num forſan effluvia iſta in ventriculum facilius & majori copia deferuntur, quam in pulmones? Certe hoc vero minime ſimile eſt. Suadet potius vis aëris in pulmones irruentis, effluvia iſta ſecum vehentis contrarium. Docet porro ipſa experientia, mineralium effluvia pulmones facilius ingredi, quam ventriculum. Ita enim, qui cobalti, vel arſenicales, mineras tractant, frequenter pulmonum, raro vel nunquam ventriculi morbis laborant (*y*); manifeſto indicio, veneni hujus effluvia pulmones facilius, quam ventriculum petere. Quid igitur obſtat, quin plumbea effluvia eodem modo ſeſe habeant? Certe nihil. Hæc vero cum ita ſint, qui fit, ut pulmones a plumbeis partibus, ventriculum & inteſtina lædentibus, haud adficiantur? Num forſan minus ſenſibilis illorum fabrica eſt, quam ventriculi & inteſtinorum? Neque hoc phyſiologicis reſpondet obſervationibus. Ad pulmones enim quod adtinet, aſperamque præcipue arteriam, &, quæ ex hujus continuatione oriuntur, bronchii; fabrica conſtant valde irritabili, quæ, iſtis effluviis, per ſe ſi adeo noxia eſſent, non poſſet, quin maxime adficeretur. Et ad ipſam porro pulmonum ſi adtendamus ſubſtantiam celluloſam, & vaſa quidem, quibus illa intertexta eſt, minima, ſatis copioſa; plumbea iſta effluvia per ſe tanta nocendi, adſtringendi vi ſi gauderent, quanta illuc delata ea creare, neceſſe foret? Certe longe graviora, quam ventriculo inferunt & inteſtinis. Quanquam enim hæ partes nervis multis gaudeant, iiſque inſignibus, pylorum ac cardiam cingentibus & nerveam conſtituentibus membranam, ideoque ſatis ſenſiles ſint; attamen liquidum & mucus ventriculi & inteſtinorum, illis jejunis, atque chymus, iiſdem repletis, præ-

(*y*) Vid. *Henckel von der Bergſucht und Hüttenkatze.* p. 176.

præſens, effluvia ſaturnina obvolvendo, impedirent, quo minus iſta his tantam, ac pulmonibus, inferre noxam poſſent, qui validis adeo præſidiis haud ſunt muniti. Præter mucum enim aſperam arteriam intus oblinentem, nil eſt, quod vi plumbi, per ſe noxium ſi eſſet, ibi poſſet reſiſtere. Sed ingenioſa fictione delectans objicere forſan quis poſſet; eam eſſe muci vel liquidi illius glandularis naturam, ut plumbum illuc delatum ab eo immutetur, ita, ut noxiam, quam poſſideat, naturam amittat. Aſt quantum hæc liquidi illius indoli repugnant! Eſt enim illud blandæ, neque alcalinæ, neque acidæ, ex ſanguine quia oritur, indolis, nec itaque plumbo ſolvendo immutandove aptum. Relinquuntur potius plumbi effluvia pulmonibus excepta, ob acidum ibi deficiens, in ſubſtantia. Cum ergo iſta effluvia in pulmones facilius & majori copia, quam in ventriculum, deferantur, ibi vero non immutentur, ideoque, per ſe in ſubſtantia ſi noxia eſſent, & ob facile lædendam pulmonum fabricam & ob liquidi obvolventis minorem quantitatem, plus illis ſæpiuſque nocere, quam ventriculo & inteſtinis, deberet, quod adeo verum non eſt, ut ejus potius contrarium obſervetur; facile erit perſpectu, plumbea iſta effluvia, ſive plumbum uſtum & lithargyrium, in ſubſtantia, vel per ſe, nulla vi gaudere venenata, adſtringente, vel ſimili.

§. XLI.

Cum vero iſta effluvia duplici tantum corpori nocere poſſint conditione: vel in ſubſtantia quando relinquuntur, vel quando ſolvuntur ab acido in primis viis (§. 39.); priori vero modo prolata repugnent; quid ſupereſt, quam, ut acido in primis viis præſenti, ſolventi plumbea iſta effluvia, cauſſam tantæ, quam illa exſerunt, noxæ ſolum tribuamus. Perſuaſi certe hac de re erimus, ad nocivam plumbi in acidis ſoluti naturam animum adjecturi. Pauco enim tantum eoque leni cum acido conjunctum, quod ceruſſæ ſub nomine venit, plumbum, inſpiratione ductum in pulmonem, aſthmata creat terribilia, inſanabilia fere, tandem lethalia. Idem ore receptum, ac deglutitum cum ſaliva, peſſimos creat morbos viſceribus, languores, debilitates, dolores, oppreſſiones intolerabiles tandemque mortem. Quæ tetra mala quotidiana, teſte *Boerhaavio* (z) videntur apud eos maxime, qui plumbi album conficiunt. Acido porro intimius ſoluto plumbo atque in cryſtallos redacto, ſaccharum quod dicunt ſaturni, quanta, adſtringendo, ſanguinem coagulando, nocendi vis eſt (a)? Laudent, quibus libet, & extollant ſatis illius plumbei, & magiſterii ejuſdem, in extinguenda libidine, ſpiritus ſaturni in ſudore promovendo, nitri ſaturnini, ſalis plumbi volatilis & tincturarum variæ compoſitionis in pulmonum ceterorum-

(z) Tom II. p. 3. Proc. 171.
(a) Ibidem Proc. 172. & ſeq.

totumque viſerum languore, aliorumve, quæ ex plumbi ſaccharo conficiuntur, præparatorum (*b*) in aliis morbis efficaciam; tantum tamen aberit, ut tutam ſanandi methodum amantes iis ſuffragentur, ut potius *Neumanni* ſubſcripturi ſententiæ ſint; ſaccharum ſaturni omniaque plumbea præparata noxia eſſe, quin clandeſtina venena, a quorum uſu interno prorſus abſtinendum ſit (*c*). Adnuunt his præter alios complures *Goekelius* (*d*) & *Hoffmannus* (*e*) quorum hic, lenta ex ſaccharo ſaturni parati iſta deteſtanda venena, quæ *poudre de ſucceſſion* audiunt, certo ſibi habet perſuaſum. Notatu hanc in rem digna ſunt, quæ, teſte *Zellero* (*f*) *Heucherus* de *Erndlio* enarrat. Novit ille, inquit, Chemicum quendam operatorem, qui in Bohemiæ confiniis degentis magnatis cujuſdam laboratorio præfuit, ejuſque juſſu in exaltandis & moderandis venenis multum operæ conſumſit & ſudoris. A quo non ſemel intellexit, ex ſaccharo ſaturni cum additione volatilioris cujuſdam corroſivi parari lentiſſimum poſſe venenum. Vidit & ipſe *Zellerus* lentorum ejuſmodi venenorum quatuor deſcriptiones, quarum quamlibet ſaturnus ingreſſus, paucis additis aliis acribus, in exigua tamen doſi, ita ut in quavis ſaturnus baſin conſtituerit. Et, quid eſt, quod aliunde, ad demonſtrandam ſalis plumbi vel ſaturni in acidis ſoluti noxam, quæramus argumenta, nonne, quæ a vino lithargyrio mangoniſato oborta damna fuere, ſatis ſuperque hac de re teſtantur? Mirandum certe paucam, quam vinum iſtud continuit, lithargyrii ſoluti portionem, tanta mala creaſſe. Facta enim, ſecundum eam, quam *Goekelius* (*g*) tradit, adulterandi methodum, computatione, menſura ejuſmodi vini Wurtembergica major, quam *Reiſelius* (*h*) ſexaginta quatuor unciarum æſtimat, vix ac ne vix quidem ſemigranum lithargyrii continuit ſoluti, unde collectu haud adeo difficile eſt, quam exiguam, ex vino hauſto adulterato ægrotantes ingeſſerint lithargyrii quantitatem acido ſoluti. Neque adeo dubitandum eſt, quin plumbo acido primarum viarum ſoluto, quæ metallurgis noſtris familiaria ſunt, mala ingentia, ſoli debeantur.

§. XLII.

(*b*) Magnam horum *Schroederus* recenſet copiam in Theſauro ſuo Pharmacologico lib. 3. Cap. 14. & 19.

(*c*) Prael. Chem. p. 2. cap. 12. edit. *Zimmerm.* p. 432. & cap. 15. p. 513. nec non p. 5. cap. 28. ubi omnia, inquit, ſaturnina clandeſtina ſunt venena, & conſiſtit ex illis la poudre de ſucceſſion.

(*d*) Gallicin. pract. Dec. 4. Obſ. 2. p. 697. nec non Eph. N. C. Dec. 3. A. 4. Obſ. 30.

(*e*) Diſſ. de erroribus circa venena vulgaribus, §. 35.

(*f*). Diſſ. de noxa vini lithargyrio mangoniſati, ubi, *Heucherum* hæc, in diſſ. de Mithridate, ſiſtente præſervationem Principis a veneno, enarrare, adſerit.

(*g*) Loco jam citato, not. (*d*).

(*h*) Eph. N. C. Dec. 3. A. 5 & 6.

§. XLII.

Atque hoc adſertum, quæ metallurgi hauriunt, plumbea effluvia, (plumbi calces ſpeciatimque lithargyrium) per ſe in ſubſtantia quando relinquuntur, haud nocere, ſed acido demum primarum viarum ſoluta, ea quæ enarravimus mala creare, tanto pleniori fiducia admitti debet, quo facilius ratio inde reddi variorum poteſt, quæ, per ſe iſta effluvia noxia ſi declaramus, explicari omnino nequeunt. Ut enim exinde perſpicitur, qua de re metallurgi, plumbi effluvia haurientes, raro pulmonum, frequenter vero ſævis adeo ventriculi morbis laborent & inteſtinorum; ſic eodem ſumpto, explicari haud ægre poteſt, cur non omnes ſupra deſcripti operarii, & præcipue ſeparatores, cur non iidem ſæpius, diro illo, quem expoſuimus, morbo adficiantur. Veritati enim maxime accedit, quin certum eſt, eos, & præcipue ſeparatores, lithargyrii effluvia, ob furni & laboris conditionem, quam frequentiſſime haurire. Obtecto quippe furno ſeparatrici (vid. §. 8.) ope operculi, altero ejus orificio majori ex parte clauſo, altero minori, per quod lithargyrium educitur, aperto, fieri nequit, quin ex hoc maxima pars lithargyrii vi follium abrepti expellatur, & tempeſtate præſertim adverſa fumi & effluviorum per caminum exitum impediente, ori & naribus lithargyrium educentium perpetuo occurrat; iſtud præſertim, coram quo hi verſantur, foramen ita poſitum cum ſit, ut fumus inde eructans faciem petat operariorum. Quæ quantum experientiæ reſpondeant, colligere ex ſupra dictis (§. 30.) licet, ubi ſudore operariorum iſtorum faciem ſqualere diximus, qui linteo abſterſus flavum exhibet colorem, a lithargyrii polline ei admiſto oriundum. Qui igitur fieri poteſt, quin pollen iſtud faciem adtingens ore & naribus excipiatur? Qui porro impedire in repurgandis furnis occupati queunt, quo minus & lithargyrii furnorum lateribus adhærentem, quem deverrunt, pollinem & molybdænæ fornacum pulverem, evellendo eam, excitatum perſæpe hauriant? Certe neutro horum laborum fumum iſtum plumbi vel pulverem quin majori minorive copia hauriant, poſſunt præcavere. Quod cum ita ſit, qui fit, ut operarii illis hauſtis non ſemper lædantur? Per ſe certe ſi noxia eſſent, nemo, tempeſtate præſertim fumi e camino egreſſui adverſa, eorum illæſus domum reverſurus foret, quod tamen, tantum abeſt, ut fiat, ut potius inter operarios iſtos inveniantur, qui vel nunquam morbo noſtro, vel raro admodum, & minus vehementer, fuerint correpti. Eo vero ſi nitimur adſerto, plumbea iſta effluvia ingeſta, acido tantum quando ſolvuntur primarum viarum, tantam vim exſerere nocivam, hæc res explicatu difficilis non eſt. Cum enim ex ſupra (§. 29.) dictis pateat, neque in omni, neque in eodem individuo omni tempore, acidum adeſſe, quo plumbum ſolvatur exceptum; facile elucet, non

omni-

omnibus, neque iiſdem omni tempore, hauſta ſaturni effluvia nocere poſſe. Ratio demum reddi, noſtro adſerto ſi nitamur, poteſt, cur metallurgi, qui purum in ſubſtantia hauſerunt lithargyrium acido deſtitutum, iiſdem ſymptomatibus adficiantur, ac ii, qui plumbum iſtud ſemivitrefactum in vino ingeſſerunt ſolutum. Haud inepte enim inde concluditur, vel lithargyrium in ſubſtantia, per ſe, eadem vi gaudere nociva, vel acidum in corpore adeſſe, quo illud ſolvatur, reddatur noxium. Cum vero priori ſupra (§. 40.) dicta contradicant, poſteriori vero adnuant, facile patet; acido primarum viarum cauſſam eſſe tribuendam, cur metallurgi tantis cur illi iiſdem, quæ a vino adulterato oborta fuere, malis corripiantur.

§. XLIII.

Atque hæc ſunt, quæ in *Hoffmanni* ſententiam (§ 36.) me deduxerunt, plumbi effluvia, ab acido quia ſolvuntur primarum viarum, tanta mala producere. Videamus jam, quomodo plumbum in acidis ſolutum vim ſuam exſerat, & quænam ſit actio ejus in corpus humanum. Duplex potiſſimum, auctores ſi conſulamus, ſaturni in acidis ſoluti vis eſt. Prima eaque præcipua in adſtringendis ſolidis vel contrahendis, conſiſtit (*a*). Adſtringentia dicuntur, quæ ſolidorum contractilitatem augent, vel quæ faciunt, ut illa majori niſu ad ſe accedant (*b*). Notatu hanc in rem digna ſunt, quæ Cel. de *Gorter* de adſtringentium differentia tradidit: in his, inquit, non requiritur, ut habeant vim, qua faciant, ut fibræ motu vitali magis agitentur, cum quædam eorum cum adſtrictione potius videantur minuere motum. Quare ea, quæ motum ſimul augent & calorem, ſatius erit, roborantia vocare (*c*). Ad quodnam horum genus plumbum in acidis ſolutum pertineat, uſus ejus atque effectus ſatis edocet. Adhibetur illud, ab iis, qui ejus uſum deamant, in hæmoptyſi, menſium nimio fluxu, in ſudore nimio, diabete, gonorrhæa, & quibuſcunque hæmorrhagiis aut humorum ſecretionibus nimiis (*e*). Siſtit ergo motus nimios, minuit eoſdem; & igitur ad mere adſtringentia, quæ motum vitalem minuunt, pertinet. Altera plumbi vis in eo conſiſtit, ut humores noſtros coagulet (*f*). Exſerit vero eandem duplici modo, & primo quidem mediate, vis ope adſtringentis. Auget enim hac vi plumbum vaſis adplicatum eorum contractilitatem, minuit motum eorum & diametrum, quo fieri videtur, ut humores, per ea circulantes, lentius moveantur, &, minus ſpatium ſubire coacti, compingantur, ac fluidiſſima exprimantur; indeque lentor

(*a*) Vid *Boerhav*, El. Chem. P 3. Tom. 2. Proc. 173. Uſus.
(*b*) De *Gorter* medic. compend. Tract. 57. § 1.
(*c*) Ibid.
(*e*) Vid *Schroeder*. Theſaur pharmacolog. libr. 3 cap. 13. & 19.
(*f*) *Boerhav*. Elem. Chem. Tom. 2. P. 3. Proc. 172. & 173. Uſus.

tor oriatur & coagulum. Eandem vero coagulantem vim plumbum & immediate exſerit, nullo ſolidorum adjumento; ita, ut liquidis noſtris admiſtum ea protinus coagulet (*g*). Originem ex hac duplici plumbi vi, coagulante & adſtringente, ceteræ ducunt, quæ ei tribuuntur, refrigerandi, obſtruendi & exſiccandi virtutes. Vi enim plumbi adſtringente laxitas aufertur in vaſis minimis, minuitur ibi motus humorum, qui in iiſdem jam tardior eſt (*h*), & accedente vi plumbi coagulante, incraſſantur humores, ſtagnant in extremis vaſculis, & oritur frigus (*i*). Pari fere modo eadem duplici ex vi, adſtringente & coagulante, obſtructiones oriri, cuivis facile erit perſpectu. Obſtruuntur porro, vi plumbi coagulante, vaſa minima exhalantia, clauduntur eadem æque ac ſecretoria, vi ejus adſtringente (*k*), naſcitur inde defectus liquidi ſolida irrorantis: ex quibus utique ſiccitas ut oriatur, neceſſe eſt. Patet itaque, ex duplici iſta ſaturni efficacia, ceteras, quæ ei tribuuntur, virtutes enaſci. Reſtat, ut ex iis morbi noſtri & ſymptomatum rationem reddamus.

§. XLIV.

Primum, quod plumbum hauſtum interdum producit, ſymptoma cardialgia eſſe videtur, ipſum morbum præcedens. Exceptum enim, ac deglutitum lithargyrium, ab acido ventriculi ſolutum, pylorum æque ac cardiam, orificia ventriculi, ob nerveos ramos, qui ea cingunt, admodum ſenſilia, conſtringit. Quo facto, incluſus aer ibi elaſticus extendet ventriculum, & dolorem ejus vel cardialgiam producet; quam, ob retenta, ventriculo præſertim repleto, ingeſta, acrefacta, vel ob viſcidum, a veneni vi coagulante obortum, ventriculum irritantia, nauſea ſequi non nequit & vomitus. Sed non ſemper venenum ita graviter lædit ventriculum. Subit eundem haud raro, ſine graviori noxa, eamque primum in inteſtinis exſerit. Illuc enim delatum eadem conſtringit, minuit motum periſtalticum, vaſcula claudit, quæ mucum & liquidum inteſtinale fundunt, ſecretoria, liquidaque coagulat; unde chymi & chyli tollitur fluiditas in tenuibus, &, reſorpto ibi chylo, in craſſis fecum naſcitur viſciditas, ſiccitas; ex quibus, accedente, ope vis plumbi adſtringentis, motus periſtaltici, ad feces promovendas neceſſarii, imminutione, ſummam oriri neceſſe eſt alvi obſtructionem; in qua haud inepte ipſum morbum, ſtrictiori ſenſu *Stockuſius* poſuit. Qui enim, paullo latiori ſenſu morbum, colicam puta, efficit, dolor inteſtinorum, ex illa, non ex veneno, ducere videtur originem. Venenum enim non ea acri vi

(*g*) Ibid. nec non ejuſdem libr. de virib. medicam. ſub titulo: de coagulantibus.
(*h*) Vid. Generoſiſſimi de *Haller* prim. lin. phyſiolog. § 133.
(*i*) Vid. *Boerhav.* aphoriſm. de cognoſcendis & curandis morbis, de febrib. in gen. & frigor. febril.
(*k*) Vid. de *Gorter* Medicin. comp. p. 22. de robore contractilitatis majore §. 3.

vi gaudere, qua dolorem creet, ex eo patet, quod obſtructionem ſæpe diu ferant, ſine dolore, ægri. Quo vero modo ille ex obſtructione creetur, facile adparebit. Obſtructa nimirum alvo, aer incluſus, vi ſua elaſtica ſeſe expandens, diſtendit inteſtina, hæc vero, a veneni vi valide contracta, renituntur; unde maximam oriri membranarum tenſionem opportet. Obſeratis porro inteſtinis excernenda diu retenta acria fiunt (*l*), irritantque nerveam membranam; ex qua duplici cauſſa dolor oriri non nequit atrociſſimus. Atque hic junctus cum obſtructione ipſum morbum, eo, quo nos illum ſumſimus, ſenſu, colicam puta, efficit; ex quo, vel ex cauſſa, morbi vel ex aliis ſymptomatibus, cetera ſymptomata ſuam ducunt originem (*m*). Videamus primo, quomodo ex morbo alia mala enaſcantur.

§. XLV.

Ipſe morbus anſam aliis ſymptomatibus præbet, tam ſtatus ope, qui in eo læſus eſt, ſolidorum, quam fluidorum. Ad illum quod adtinet, ſolida vel inteſtina, noſtro in morbo, cum ſumma contractione ſive ſpaſmo, tum magno laborant dolore. Ad fluida vero ſi reſpiciamus, viſcida adeſt, quam venenum præcipue produxit, cacochymia; & acris, ad putredinem vergens, ex diu, durante obſtructione, retentis humoribus oriunda. Solidorum ille, ad quem primum animum adjiciemus, ſtatus alia, in aliis partibus, ſymptomata parit, ope conſenſus. Originem inde ducere, quæ, veneno jam ad inteſtina delato, morbo ſeſe adſociat, cardialgiam, quilibet ventriculi & inteſtinorum continuum, ope membranarum, nexum haud ignorans facile perſpicit. Nec minus, eundem ortum habere, quæ dolores & ſpaſmum ſive convulſionem ventriculi & inteſtinorum comitantur, lipothymias, vertigines, morbum comitialem, aſthma, palpitationem cordis (*n*) aliaque, quivis facile concedet, qui, ab acri acido, vel vermibus, inteſtina infantum irritantibus, convulſiones; & in adultis ſenſibilibus, a terrore, vulnere aliiſque cauſis levioribus, hæc omnia produci, haud prorſus neſcit. Sed num etiam artuum convulſiones & dolores, colicæ ſupervenientes, alternan-

(*l*) Eoque acriora redduntur, quo diutius obſtructio durat, eoque magis irritant nerveam membranam; unde ratio adparet, cur, uti ſupra (§. 22. n. 5.) dictum dolor eo gravior ſit, quo tardior obſtructionem inſequitur.

(*m*) Symptomata vel ex morbo, vel ex cauſſa ejus, vel ex aliis ſymptomatibus provenire, docet Pathologia. Vid. *Boerhav.* Inſt. med. §. 801. Eſt quidem quæ & ibi traditur, quarta quædam ab illis diverſa origo, a cauſſis occaſionalibus oriunda; ſed hæc ad nos, generalem morbi hiſtoriam tradentes, nihil adtinet.

(*n*) Diſtinctam qui hoc de conſenſu cognitionem appetit, ſub Ill. atque Generoſiſſimi de *Haller* a *D. Langhans* defenſam adeat diſſertationem, de conſenſu partium corporis humani.

ternantes, ex conſenſu oriuntur? Equidem hac de re haud dubito. Quantus enim ventriculi & inteſtinorum cum artubus ſit, tum nervorum quam vaſorum ope, conſenſus, experientia ſatis edocet. Alterum vaſorum puta, conſenſum arthritis præcipue commonſtrat, & quidem ſubitanea metaſtaſis materiæ, quæ illam creat, morbificæ ad inteſtina & inde iterum ad artus. Notatu hanc in rem digna *Baglivii* (*o*) verba ſunt: dolorem inquit, colicum vidimus mutatum in arthriticum, & contra dolores arthriticos, per ſupervenientem colicam aut diarrhœam, ſanatos; & alibi (*p*): multis, ante invaſionem paroxyſmi podagrici, ſuperveniunt dolores colici; quibus evaneſcentibus, podagra ſtatim manifeſtatur. Legi porro hanc in rem meretur *Handugii* diſſertatio (*q*); ubi, ſpaſmodicos primarum viarum adfectus, arthriticos dolores excitare, inter alia, duobus ægris commonſtrat; qui, ſpaſmo inteſtinorum & obſtructione atque artuum dolore ſæpius adfecti, dato purgante, & ita avocata ab artubus, quam ſpaſmus inteſtinorum creaverat (*r*), humorum congeſtione, ſanati ſtatim fuere. Unde patet, quantus ſit, vaſorum ope, inteſtinis cum artubus conſenſus. Sed non minor eſt, qui nervorum auxilio fit. Argumento hujus rei hyſtericæ ſunt; quæ, ſpaſmo inteſtinorum & ventriculi correptæ, brachia atque pedes, convulſivo quodam motu, huc & illuc ſæpe jactitant (*s*); nec minus vermibus laborantes. Novi his adfectam puellam, quæ ſæpe ex improviſo epilepſia corripiebatur, cum emproſthotono, & artuum, brachiorum præcipue, intorſione. Memini porro caſus, ab amico relati, viri cujuſdam antea maxime ſani, agiliſque, qui ſermonis uſu ſubito deſtitutus & brachiorum atque pedum intorſione correptus fuit; quorum ſymptomatum cauſſa an vermes fuerint, equidem neſcio; eam tamen in inteſtinis latuiſſe adfectis, ex eo adparuit; quod, quærentibus, quid patiatur, ventrem indigitarit, dolore vel ſpaſmo ſine dubio adfectum. Sed quemadmodum inteſtina & ventriculus ægra artus in conſenſum haud raro

(*o*) p. 66. it. p. 189. 192.

(*p*) p. 190.

(*q*) De ſpaſmodicis quibuſdam adfectibus, Chriſt. Mart. *Burchardi* ſub præſidio habita.

(*r*) Nam cum, ut *Handugii* verbis utar (loc. cit §. 24.) pars ſpaſmo, laborans ſanguinem non rite admittat, neceſſe eſt, ut illa portio, quæ hic tranſitum non invenit, alíorſum ruat. Atque ita per conſenſum, ex ſpaſmo inteſtinorum, humorum ad artus congeſtio, & inde extenſis vaſis dolor oriri poteſt.

(*s*) Nervorum huncce conſenſum explicat Ill. de *Haller*, in diſſ. ſupra citat. de conſenſu partium corporis humani, §. 72. Nervus, inquit, intercoſtalis communicat, ut nemo ignorat, cum nervis brachii, quos quartum, quintum, ſextum, & ſeptimum colli par, primumque & alterum dorſi conſtituunt; quam ob rem facile intelligi poteſt, cur in malo hyſterico brachia toties convulſivo motu agitentur. Ob ſimilem etiam anaſtomoſin nervi intercoſtalis cum duobus ultimis nervis lumborum, & cum nervis ſacris, qui multum omnino conferunt, ad conſtituendum maximum illum nervum iſchiadicum, pedes ſpaſmis corripiuntur.

raro rapiunt; ita & vice verſa, his adfectis, illorum ſæpe actio læditur. Mirandum ejuſmodi conſenſus effectum *Lanzonius* (*t*) enarrat; cum duorum ægrorum mentionem facit, qui ambo, alter poſt fortuitam pedis, alter poſt manus, lapſu ortam, diſtorſionem, vertigine, tremore, nauſea & vomitu correpti fuere; quæ vero, membris repoſitis, ſtatim ceſſarunt. Patet jam ex dictis, quantus ſit primarum viarum cum artubus conſenſus. Neque ergo dubium videtur; qui colicæ noſtræ ſæpiſſime ſuperveniunt, artuum dolores & convulſiones, conſenſui, tam vaſorum, quam nervorum, ſuam debere originem. Qua de re equidem perſuaſus ex eo ſum, quod dato vomitorio & purgante dolor artuum & convulſio utplurimum ceſſant. Sed uti artuum convulſiones & dolores, ita & alia mala, ſupra §. 22. enarrata, chronica, conſenſui partium adſcribenda ſunt. Ita enim cœcitatem ex conſenſu inteſtinorum cum oculis ortam eſſe, viſus, ſublata obſtructione & inteſtinorum ſpaſmo, reſtitutio, in illo ægro, qui curæ Cel. *Spangenbergii* traditus fuit, & in alio a *Nebelio* (*u*) ſanato, commonſtrat. Addenda his, quæ *Langhauſio* teſte (*v*) apud *Morgagnum* & *Michaëlem* de feminis relata leguntur hyſtericis, poſt vehementem colicum dolorem cæcis. Mirandus certe tam remotarum partium conſenſus! Propiori vero ex conſenſu ductum hepaticum conſtringi, & accedente ſumma inteſtinorum contractione, illum, inter tunicas eorum progredientem, comprimente, bilis denegari effluxum, eam retro ad ſanguinem urgeri, & ita icterum naſci, facilius erit perſpectu. Sed num etiam hydrops anaſarca ex conſenſu oriri poteſt? An venæ in extrema celluloſa, inteſtinis contractis, etiam conſtringuntur? An, viſceribus, ut hepate & liene, ob conſenſum nervorum cum inteſtinis, ſpaſmodice contractis, & ita impedito per has ſanguinis circulo, indeque difficili humorum, ab arteriis in telam celluloſam depoſitorum, per venas refluxu, an, inquam, inde aqua oritur inter cutem? Vero id fere videtur ſimile; quia ſolo ſæpe purgante colicæ noſtræ accedentem anaſarcam Cel. *Spangenbergius* abſtulit; id quod fieri haud potuiſſet, ſi, qui alias hydropem creare præcipue ſolet, viſceris cujuſdam infarctus, cauſſa illius fuiſſet. Sed hæc acutiori judicio & majori experientia inſtructis relicturus, ad alterum morbi ſtatum, fluidorum puta læſam indolem, &, quæ ex illa oriuntur, ſymptomata tranſeo. Conſiſtit vero, uti ſupra dictum, liquidorum in morbo noſtro conditio, in acri cacochymia, viſcidaque; ex quo duplici ſtatu febres, quæ morbo ſuperveniunt, & jam recenſita mala chronica enaſci, facile adparet.

(*t*) In Eph. Nat. Cur. Dec. 3. An. 2., ni fallor.

(*u*) Vid. Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. obſ. 71. de coecitate, alvi obſtructione ſublata, fugaci.

(*v*) In diſſ. de conſenſu partium corporis humani, §. 59. *Morgagnium* in epiſt. anat. 18. p. 310. & *Michaëlem Adolph.* in act. Nat. Cur. vol. 2. obſ. 887. ejuſmodi caſus exhibere adſerit.

paret. Obſeratis enim inteſtinis, retenta bilis aliique humores acres fiunt, ad putredinem vergunt; unde febres naſcuntur bilioſæ, putridæ. Craſſi porro, a veneni vi coagulante, humores, & chylus, ob inteſtinorum & ventriculi læſam, imminutam, actionem, male præparatus, viſcidus, quantis obſtructionibus, inflammationibus indeque oriundis febribus creandis aptus eſt! Mirandum certe, præ aliis, inteſtinorum inflammationem haud ſæpius morbo illi ſeſe adjungere. Diſpoſito enim, ob cacochymiam viſcidam, ſanguine ad inflammationem, irritatis a cauſſa doloris (humoribus acribus) inteſtinis, indeque aucto ad illa ſanguinis adfluxu; & impedito denique, ob ſpaſmum inteſtinorum, cruoris per vaſa eorum circuitu; fieri fere haud poſſe videtur, quin obſtruantur vaſa illorum minima & inflammentur. Sed impedit ſine dubio, quo minus hoc ſæpius contingat, vaſorum, quæ inteſtinorum tunicas perrepunt, multiplex anaſtomoſis (*w*). Gignitur interim interdum inflammatio, in abſceſſum ſæpe abitura. Minuta enim arteriarum inteſtinalium, vi veneni valide contractarum, tunicas permeantium, diameter eſt. Reſolvi ergo ibi ſemel nata obſtructio adeo facile nequit; quid igitur mirum, rumpi vaſa obſtructa, vi irruentis ſanguinis, atque affuſis per ſoluta vaſa ultima liquidis & liquefacta ſimul pinguedine, abſceſſum generari (*x*)? Sed uti ex hac cacochymia viſcida inflammationes atque febres oriuntur; ita & varia mala chronica, quæ ex conſenſu ſolidorum jam deduximus, originem inde ducunt. Obſtruuntur enim ab humoribus viſcidis, vaſa minima, in artubus, viſceribus, ex nervorum conſenſu, cum inteſtinis ægris, jam languidis; unde morbum articularem, icterum, cachexiam, hydropem & atrophiam oriri, quivis cauſſas horum haud ignorans facile concedet. Atque hæc ſufficiant de ſymptomatum ex morbo origine, quibus tantum tum addimus; quod ortum ex eo, & quidem e cacochymia viſcida, indeque ſenſim nata vaſorum obſtructione, ducere ea videantur, quæ morbum inſequuntur, ſymptomata, vel quæ, illo jam ſublato, tamen remanent. Cum contra conſenſui ſolidorum ea adſcribenda duxerim, quæ illum comitantur, & illo fugato, evaneſcunt. Unde ratio adparet; cur eadem ſymptomata ex diverſa origine deduxerimus.

§. XLVI.

Patebit jam ex dictis, ex ipſo morbo, tam fluidorum, quam ſolidorum ratione, pleraque, quæ illum & comitantur & ſequuntur, ſymptomata enaſci. Sed annon & ipſa cauſſa morbi, venenum puta, anſam illis præbet

(*w*) Vid. Generoſiſſ. de *Haller* prim. lin. phyſiolog. §. 710.

(*x*) Hanc puris originem, iiſdem fere verbis *Langhanſius* indicat in diſſ. Ill. de *Haller* ſub præſidio defenſa de conſenſu partium corporis humani. §. 12.

bet oriundis? Procul dubio. Cum enim certum ſit, illud, niſi tempeſtive e primis removeatur viis, ad ſanguinem deferri (*y*); quis, quaſo, ad vires ejus (§. 43. enarratas) adtendens, dubitabit & inde pleraque, quæ ex morbo, tanquam cauſſa, derivavimus, ſymptomata oboriri? Non eſt autem, quod illa ſingulatim inde derivemus.

§. XLVII.

Aſt præter morbum, ejuſque cauſſam, & ipſa ſymptomata, uti in aliis, ita & noſtro in morbo, aliis naſcendis præbent originem. Ex quo genere eſſe videtur, quæ artuum dolorem ac convulſionem ſubſequitur: paralyſis, contractura, aridura. Ad primam enim quod adtinet, quæ laxa dicitur muſculi immobilitas, nullo nixu voluntatis vel vitæ ſuperanda, origo ejus impeditus liquidi nervoſi in muſculum influxus eſt [*z*]. Quam cauſſam producere proximam traduntur: dolor ingens, diuturnus, & quicquid obſtruendo, comprimendo, vel conſtringendo, nervos lædit (*a*). Has vero omnes cauſſas, in iis, qui ex colica noſtra paralytici evadunt, adeſſe; convulſio artuum & dolor præcedens, gravis, diuturnus, ſanguis paralyticorum viſcidus (*b*) inflammatorius, obſtructiones

(*y*) Ad ſanguinem, lithargyrium deferri, & in ſubſtantia, aut, ſi mavis, pulveris ſub forma, & ſolutum, experientia edocet. De priori Cel. *Spangenbergii* obſervatione certior factus ſum; cum, eos, qui lithargyrium ponderant, illud ipſum copioſe cum urina reddere, adſeverat. De altero vero Cel. D *Siemens* (in diſſ. Fr. *Hoffmanni* ſub moderamine evulgata, de metallurgia morbifera (§. 25.) prolata teſtantur ſequentia. *Quod lithargyrii partes*, inquit, *ex ventriculo ad ipſum ſanguinem deducantur, inter alia elucet exinde; urinæ eorum, qui morbo metallico Clauſtha'i laborant, incoctæ, prævia decenti tractatione, & fuſione, præbent quantitatem veri plumbi; quod ex relatione Ill. Præſidis habeo.* Novum certe ex his deſumere argumentum licet; plumbum ab acido primarum viarum vere ſolvi. Patet enim ex jam citatis; ſolutum fuiſſe in urina plumbum. Elucet porro ex ſupra (§. 37. ad 40.) adſertis; illud haud ſolvi a noſtris humoribus, niſi acido participant, ex ingeſtis oriundo. Et docet demum Chemia & Phyſiologia (§. jam cit.); acidum iſtud, neque in ſanguine adeſſe nec ſero; ſed tantum in primis viis. Quid ergo ex jam adlegatis aliud ſequitur; quam ut ratio, cur ſolutum adpareat in urina plumbum, acido adſcribenda ſit primarum viarum, quo illud ſolvatur, & ita ad ſanguinem deferatur. Sed hæc obiter.

(*z*) Eam, quam indicavimus, non vero, quæ a nonnullis cum *Boerhaavio* (de cognoſc & curand. morbis (§. 1058.) additur, impeditum puta liquidi arterioſi in muſculum influxum, veram ſolamque paralyſis cauſſam eſſe, Generoſiſſ. de *Haller* edocet, in prim. lin. Phyſiolog. §. 410.

(*a*) Vid. *Boerhaav.* de cognoſc. & curand. morbis §. 1060.

(*b*) Per ſemeſtre paralyticum Cel. *Spangenbergius* obſervavit, cujus e vena eductus ſanguis nigrum, obſcurum, colorem exhibuit, & brevi poſt cruſta obducta fuit flava, ad craſſitiem ſtraminis, adeo tenaci, ut bacillo diſrumpi vix potuerit.

ctiones in vaſis artuum, veneni vis illuc delati adſtringens, ſatis ſuperque commonſtrant. Neque adeo mirum eſt, in illam ex morbo noſtro arthriticos perſæpe incidere. Diximus vero ſupra (§. 22. n. (*a*); motum ſæpe ſolum in iſta paralyſi auferri, ſenſum vero ſæpe remanere; an hujus rei ſufficientem tradidit rationem *Williſius* (*c*); cum paucos & ligatos pro ſenſu ſufficere ſpiritus, ad motum vero plures & quoad expanſiones ſuas liberos ac expeditos, requiri adſerit? Impar, fateor, judicio meo hæc quæſtio eſt, ob obſcuram nimis nervorum actionem. Facilius patet; quomodo paralyſi muſculorum, contractura artuum jungatur. Quodſi enim alter artuum muſculus, in quo ſupereſt quidam liquidi nervei introitus, ſpaſmo, ex cauſſis ſupra adlatis, adficitur, altero muſculo antagoniſta jam paralytico; facile patet, in eo ſitu remanere partem, in quem muſculus illum redegit ſpaſmo correptus; indeque contracturam partis enaſci. Denegato demum omni liquidi nervoſi, in membri muſculos, influxu (*d*); vel & obſtructis, a ſanguine, ob cauſſas antea adlatas, viſcido, vaſis minimis, nutrientibus; ariduram partis oriri vel maciem, nemo ibit inficias.

§. XLVIII.

Sufficiant hæc de morbi origine & ſymptomatum. Progrediamur jam ad illius horumque curationem. Morbum ſanaturum cauſſas ejus corrigere medicina jubet eaſque & morbum auferre. Ad eas, quæ hic ſeſe conſpectui præbent, colicæ noſtræ cauſſas, primo venenum pertinet plumbeum; dein, quæ ex hujus vi oriuntur, obſtructionis cauſſæ: chymi fecumque viſciditas, horumve ac inteſtinorum ſiccitas, atque ſumma contractio; & demum doloris cauſſæ: humores acres & aer incluſus elaſticus (vid. §. 44.) Horum omnium correctionem primo quæramus.

§. XLIX.

Ipſum venenum, vel plumbi effluvia hauſta, ut pleraque venena, generatim oleoſis corriguntur & mucilaginoſis, obvolventibus. Sed cum ea, uti ſupra (a §. 36. ad 42.) commonſtrare anniſi ſumus, acido primarum viarum ſoluta eſſe, quando morbum producunt, videantur; ſpecialem magis antacida opem promittunt: ut magneſia, alcalina, ſalia ex herbis combuſtis; quæ tamen imminente inflammationis metu caute adhibenda ſint, probeque diluta. Præſtabunt his aquæ medicatæ ſelteranæ, quæ quidem alcalinum recondere ſalem dicuntur, ſed dilutum, &, ob alias

(*c*) In oper. cap. de paralyſi p. 229.

(*d*) Ex denegato nervei liquidi influxu muſculum contabeſcere, idem a nervo diſſecto oriundus effectus edocet. Vid. Ill de *Haller* prim. lin. Phyſiolog. §. 377.

alias admiſtas partes, haud adeo curate detegendas, mitiſſimæ atque innoxiæ indolis ſunt (*e*). Quæ obſtructioni alvi anſam præbent, retentorum viſciditas, ſiccitas, præter jam dicta poſteriora, ſalibus corrigentur ſic dictis digeſtivis, & vegetabilibus incidentibus; ſed maxime diluentibus. Quæ ultima, calide data, junctis oleoſis, mucilaginoſis, ſeminibus, herbis, radicibus, vel animalibus; ut cornu cervi, altheæ radice, herbis & floribus quinque emollientibus, hordeo, avenacea farina, aliiſque, inteſtina lubricabunt, ſpaſmum tollent, hocque facto, aëri elaſtico, antea coercito, majus ſpatium reddent, & acrem cacochymiam temperabunt, defendentque inteſtina contra illius vim irritantem; hocque modo & obſtructionis cauſas emendabunt & doloris. Ingeri vero hæc, ad medicæ artis præcepta, partim per os, partim, clyſterum forma, per anum, poſſunt, iiſque externe adplicanda remedia addi: ut inunctiones abdominis, fomenta ex dictis emollientibus & aliis; vel balnea ex his aut ſola aqua dulci (*f*) parata, inſeſſuſque, ad relaxanda convulſa inteſtina. Neque demum ope hic carere venæſectio videtur; cujus vero uſum ceterorumque remediorum ſelectum, a viribus ægri, & reliqua ſinguli corporis diſpoſitione, conditioneque, deſumtæ indicationes ſpecialius determinabunt.

§. L.

Præmitti vero in hoc morbo, ſi unquam in ullo, vel certe jungi evacuantibus dicta corrigentia debent. His enim neglectis, quæ adhibentur, purgantia, præcipue fortiora, irritabunt inteſtina ad majorem motum, & contractionem; ſed fruſtra, quia fecum & inteſtinorum ſiccitas impedient excretionem. Augebunt potius ſola purgantia ſpaſmum inteſtinorum & dolorem, humorumque adfluxum, atque hanc ob rem inflammationis inducent periculum. Exulent itaque omnia evacuantia, draſtica præſertim, ſub forma pulveris, vel parco vehiculo dotata; niſi diluentia præmiſſa ſint. Conſultius erit, (ſpeciatim, ſi non præmittere, ſed ſtatim jungere corrigentia evacuantibus, morbi conditio ſuadet) purgantia dare, multo fluido diluta eaque actu calida; ut infuſa, decocta ex radicibus rhabarbari, polypodii, iridis noſtratis, foliis ſennæ, ſalibus digeſtivis, purgantibus, & ſalibus amaris, vel alcalinis, potiſſimumque ſaponaceis, acuata; vel ad *Stockhuſii* conſilium: decocta ex emollientibus, laxantibus, carminativis; ficubus præſertim, ſemine carvi, nigellæ, aniſi, apii, baccis juniperi, lauri, parata, inque his decoctis electuaria ſolvere purgantia: ut diacarthami, Indum majus, caryocoſti-

 num

(*e*) Vid. *Hoffmann.* diſſ. de præcipuis medicatis Germaniæ fontibus &c. §. 11.
(*f*) Vid. *Hoffmann.* diſſ. de balneorum excellent. virt. ex aqua dulci §. 15.

num &c. (*g*). Addere his, ſuadet idem auctor, externa purgantia, ut unguentum Aregonis, de arthanita, Agrippæ, cum emollientibus conjuncta. Præterea vero & clyſterum purgantium uſum, non ſine jure, idem commendat (*h*). Hi enim corrigentibus idoneis utplurimum magis abundant, & feces egreſſui citius adaptant, quam purgantia per os ingeſta. Jungere interim illos his neceſſe erit; ut totum canalem concoctorium expurgemus. Sed præter illa, duplicis generis evacuantia, & tertium ſæpe requiri, emetica puta, dolor ventriculi, &, quæ hunc ſequuntur, nauſea & vomitus ſpontaneus, difficilis, ſatis indicant.

§. L I.

Correcto & ſolidorum & fluidorum ſtatu, expulſis, priorum ope remediorum evacuantium, morbi cauſis, quæ in fluidis hærebant, & veneno ſublato; ut læſam inteſtinorum & ventriculi actionem eo curatius reſtituamus, ad ſolidorum ſtatum animum iterum adjicere juvabit. Docet enim medica praxis, ſpaſmo ſemel correptam partem facile in eum, quanquam ſublatus antea fuerit, rurſus incidere. Ad hoc igitur in morbo noſtro præcavendum, antiſpaſmodica relaxantia remedia poſt morbum ſublatum continuare conſultum videtur. Sed ſi ſuſpicio ſit, imminutum a veneno motum inteſtinorum periſtalticum eſſe, vel a medicamentis inteſtina debilitata; medentis ſolertia jubet, ut horum tonum motumque reſarciat. Opem hac in re diluentia promittunt, quæ ſimul roborant: ut aquæ martiales, vina medicata, infuſa, decocta, ſtomachica, carminativa, ex fœniculi herba, chamomillæ floribus, mentha, corticibus aurantiorum, caſcarilla, china, abſinthio; quibus addi pro re nata poſſunt eſſentiæ horum vel pulveres, additis, ſi frigidior ſit æger, & aliis quæ magis ſunt aromatica. Cibum capiet æger concoctu facilem, leniter aromaticum, cum potu diluente & corroborante, ac niſi ejus res anguſta domi id vetet, vectionem adhibebit in curru & equo; quæ ambo ad roboranda viſcera maxime commendantur.

§. L I I.

His ergo morbus cum cauſſis ſuis oppugnabitur, quod curatoria indicatio requirit. Sed incidunt ſæpe ſymptomata, quæ prius medelam vel lenimen quidem requirunt, quam ipſum morbum eradicare poſſimus. Pertinent huc præcipue febres, illum ſæpe comitantes (vid. §. 22.) Quibus, quæ opponenda remedia generaliora ſint, nemini erit ignotum. Suadent præcipue medendi regulæ, venæſectionem, nitroſa, diluentia &

(*g*) Libell. de lith. fum. nox.
(*h*) Libell. jam ſæpe cit.

& præcipue acida. Sed ſuſpecta horum vis in hoc morbo, veneno in primis viis adhuc præſente, eſt; quantumvis egregius eorum, in temperanda febre, reſolvendo ſanguinis lentore, indeque nata inflammatione, uſus ſit. Conſultius ergo videtur, vel ab acidis hic penitus abſtinere, vel ſi omnino adhibenda ſint, leniſſimis tantum uti, atque vim febris diluentibus potius, atque laxantibus, & ſanguine detracto, infringere. Quæ præter febres morbo ſeſe adſociant, lipothymiæ, convulſiones, deliria, artuum dolores, aliaque, quæ ex conſenſu ſolidorum oriri diximus, cum, morbo ſublato, utplurimum ceſſent; nullam fere peculiarem opem depoſcunt. Quodſi vero mitigare hæc ſymptomata velimus, id iis, quæ cauſſas doloris inteſtinorum & ſpaſmum corrigere diximus, (§. 49.) vel aliis huic fini aptis, exceptis tamen opiatis (*i*), commode fieri poterit. Præſtat ceterum cauſſas harum, quam primum poteſt, auferre & ſimul ipſum morbum: quo ſublato, hæc omnia evaneſcent, quæ ipſum morbum principalem comitantur, ſymptomata.

§. LIII.

Sed remanent poſt morbum ſublatum, eumque ſequuntur varia, quin eadem ſæpe, quæ eum comitantur, ſymptomata, quorum itaque cauſſa non in ipſis primis viis, ſed in aliis partibus, a morbo vel ejus cauſſa varie adfectis, deliteſcit, ut jam pro peculiaribus morbis habenda ſint. Pertinent huc artuum dolores, vel morbus articularis, colicam inſequens, & varia alia mala chronica, ut icterus, hydrops, atrophia; quæ vel ex cacochymia viſcida orta ſunt, indeque nata in partibus obſtructione, vel ex veneni ad ſanguinem & loca adfecta delati vi coagulante, adſtringente. Hæc itaque, ſanaturus has cauſſas, oppugnabit; diluet ſanguinem viſcidum, indeque ortas obſtructiones reſolvet, opponet vi veneni coagulanti eadem, & adſtringenti ejus: laxantia, emollientia interna, externa, jam ſupra indicata, atque ipſi veneno expellendo navabit operam; id quod laxantibus vel purgantibus per epicraſin fieri poſſe videtur, quin etiam diureticis. Quæ vero ad quævis mala adhibenda ſpecifica ſint, & aptum corpori ægroto eorum ſelectum quivis expertus facilius dijudicabit, quam tradi a nobis hic poſſit. Superſunt alia poſt morbum ſublatum ſymptomata; quæ ex aliis prægreſſis ducere originem videntur: ut, quæ artuum dolores & convulſiones inſequitur, paralyſis, contractura, aridura. Quorum ad primam quod adtinet, cum hujus cauſſa in læſa tranſmiſſione liquidi nervei in muſculos lateat, hæc vero vel in læſa qualitate fluidi ipſius, vel in nervearum fibrarum læſione aliqua, poſita eſſe videatur; requiritur, ut & blandis remediis diluentibus, adtenuantibus,

 ipſum

(*i*) Minuunt enim motum periſtalticum, qui in hoc morbo jam minus fortior eſt.

ipſum liquidum corrigere, ſi fieri poteſt, ſtudeamus, ac ſanguinem novo ſecernendo adaptemus; & nervis ipſis languentibus novum robur addamus. Difficilior quidem praxis hac in re, quam theoria eſt; opem tamen promittunt, diuturnus uſus aquarum medicatarum, ſelteranarum atque ſimilium; & martialium; nec minus Thermarum, fotuum & balneorum ex roborantibus, nervinis; ut balnea e nido formicarum, fotus partis in corporibus animalium vivorum diſſectis, vel recens necatis; ſpirituoſa nervina cum oleis deſtillatis commiſta, & ſimilia. Quibus iiſdem remediis in contractura utendum erit, ad reſtituendam muſculi paralytici, qui contracto antagoniſta eſt, actionem: ipſum autem muſculum contractum relaxare ſtudebimus fotu vel balneo. Quæ demum perfectam paralyſin inſequi ſolet, aridura, ex denegato omni influxu liquidi nervei in muſculos, vel & ex obſtructis vaſis minimis nutrientibus oriunda, ſi medelam hujus ſperare licet, in iiſdem, quæ, ad paralyſin tollendam, adtulimus, quærenda erit.

§. L I V.

Sufficiant hæc de morbi noſtri curatione prolata. Quibus, qui multa, quin plurima, addenda perſpicient, haud mirentur, cum ipſi mihi, praxin artis ineunti, plurimæ ejus regulæ addiſcendæ reſtent; tantum abeſt, ut illis rite aliis tradendis par ſim explicandiſque. Linquam hæc potius æque ac diætam morbo convenientem, cujus jam partem ſupra adtigi, ſanaturi judicio; illudque tantum addam, diætam, quoad potum, diluentem, vegetabilem, &, ſi venenum e corpore jam eliminatum fuerit, ſubacidam maximi uſus futuram eſſe; ad corrigendam, quæ in morbo noſtro maxime adeſt, ſanguinis humorumque viſciditatem.

§. L V.

Finem operi antequam imponam, pauca quædam de præſervatione, a tanto morbo, addere liceat. Abſolvi vero triplici methodo præſervatio videtur: ut primo caveamus, ne venenum hauriatur; deinde, ut corpus muniamus, ne ſi forte ingeratur, eidem noceat, vel ea certe vitemus, quæ illius noxam promovent; denique ſi hauſti veneni indicia obſerventur, ut illud tempeſtive e corpore eliminemus.

§. L V I.

Ad primum finem obtinendum, veneni puta ingeſtionem impediendam, ut officinarum & caminorum aptam, quam varii autores ſuadent

dent (*k*) exſtructionem taceamus; ſi quæ unquam remedia, certe munimenta naribus & ori adplicata, primum obtinent locum. Pertinent huc velamina reticularis texturæ, qualia catapetaſmata vel vela mulierum eſſe ſolent; vel ad mentem *Agricolæ* (*l*), veſicæ laxæ, quas illigare faciei jubet, ſed telæ laxæ, ſi aliqua, pauca tamen lithargyrii effluvia excluſura videntur. Veſicæ autem facies, vel totum caput, ſi ita inſeratur, ut aeris intra ea contenti nulla cum externo communicatio ſit; brevi, conſumto illo aere, larva hæc vel quaſi caſſis, abjicienda erit, ut reſpirare poſſis. Si vero ſit interni illius aeris cum externo commercium, vereor ut tegmen illud ori oppoſitum parvi admodum, ad excludendos, quos vitare volumus, vapores momenti ſit. Verum quantivis hæc uſus ſint, præferenda tamen illis machina videtur, in quam diſputationis ill. Præſes, inter varios, quos de his rebus agitabamus, ſermones, incidit, quæ ſequentem in modum ſeſe habet. Fiat lamina quædam ex aurichalco, ſtanno, bractea ferrea ſtanno obducta, vel alio ex metallo, concava; tantæ magnitudinis, ut os, atque naſi partem inferiorem, tegere large poſſit. Exſcindatur margo hujus laminæ atque curvetur eum in modum, ut faciei partibus, circa naſum & os, ubique curate ſeſe adplicet, manente, inter eam & ipſam faciei partem tectam, cavitate idonea. Subducatur iſta bractea intus, & præcipue in margine, corio vel texto alio molliori, ne durities ejus moleſtiam adferat; utque tanto adcuratius ejus ambitus faciei adplicari poſſit, margo ſubfarciatur. Inſtruatur porro eadem lamina orificio rotundo, diametri pollice paulo minoris. Foramini huic canalis adnectatur coriaceus, inductus anulis metallicis, vel filo metallico in modum helicis convoluto, quo minus concidat. Canalis ille tantæ longitudinis ſit, ut reflecti a facie ad tergum, vel & ad pedes, poſſit. Hunc in modum paratum quaſi ſcutum, & faciei adplicatum, ope ligamentorum firmari, canalis autem coriaceus reflecti poterit, ſic, ut hujus extremum, quo patet in aerem apertum, in dorſo, vel circa coxas aut crura, hæreat, vel in quocunque loco alio, cujus aer quam minime inquinatus eſt. Id, quantum conjectura adſequi poteſt, ſatis muniturum os & nares operarii

(*k*) Legi hanc in rem, præter *Stockhuſium*, *Henkelius* (libr ſæpe cit.) meretur, ex quo præcipua jam adducemus. Jubet hic ita exſtruere, collocare, officinas, ut effluvia e furnis, quos recondunt, expulſa haud retineantur. Quam ob rem ſatis amplæ atque capaces ſint, & ita, quoad locum & cæli plagam poſitæ, ut ventus, qui in illo, ubi exſtruendæ ſunt, loco maxime flare ſolet, eas permeare commode poſſit. Præditæ porro eandem ob cauſſam magnis oſtiis ſint, quibus nulla ædificia vel alia obſtacula opponantur. Camini ſive fumaria ita ſint comparata, ut fumum & effluvia metallica quam optime excipiant. Abſit igitur, ad excipiendas metallicas partes, lucri cauſſa inſtituta fumariorum exſtructio, priori ſcopo adverſa. *Semper* enim *Agricolæ* (vid. libr. 10. de re metall. p. 172. ex conſilio *majorem rationem valetudinis ſuſtentandæ, quam lucri faciendi habere convenit.*

(*l*) Loco modo citato.

rii videtur, adverſus aerem e furno eructantem, metallicis prægnantem effluviis, ſimulque calidiſſimum; atque effecturum, ut hujus loco, per extremum ductus coriacei, ad tergum vel crura hians, orificium, aerem puriorem & frigidiorem excipiat, eoque minus calidum, quo propius oſtium coriacei canalis humo fuerit. Prima hæc idea fuit, in qua ſi incommoda quædam ſuperſunt, ea talia non videntur, quæ tolli nequeant. Ita, ne pulvis, ab operario machina utente, eundo ad furnum & redeundo, excitatus, per ductus illius orificium, verſus humum hiantis, cum aere inſpirato aſcendat; tegi is poteſt laxa tela, vel aliquot ejuſmodi telis ad mediocrem ab ejus ore diſtantiam, in canalem inſertis, invicem parallelis, præmuniri. Aut ſi mavis, & ad hoc ipſum impediendum, & ut eo certius venenati pollinis cum aere ingreſſus arceatur; in fine canalis capſula adpendi poteſt, ſpongiam recondens pauca aqua, vel alio idoneo liquido, irroratam. Vocis uſum ſcutum iſtud haud impediet, verum incondita ea futura videtur, & ex alieno ſane loco proruptura. Quod ſi pro incommodo habeatur, præſto ſunt remedia aliqua, eorumque extremum, ut oris illud ſcutum oſtiolo ſive foricula inſtruatur, ſatis magna, quæ cito ſatis aperiri ad loquendum poſſit, iterumque claudi. Nolui hanc rem ſilentio opprimere, quæ ſi uſus accedat, perfici ita poſſe videtur, ut, aliquibus certe, auxilio ſit; etſi prævideam pleroſque incerti periculi metum tanti exiſtimaturos non eſſe, uti munimine, ſi non moleſto, inſolito certe, id avertere putent operæ pretium. Hos vero ne omni conſilio deſtitutos linquamus, alias quaſdam præſervandi regulas trademus, quibus veneni ingeſtio præpeditur. Caveant ergo ſibi operarii, & primum quidem ſeparatores, in educendo lithargyrio occupati, ne, dum inſtrumentum, quo illud extrahunt, in furnum promovent, ejuſque orificio propius accedunt, ne, inquam, tunc temporis inſpirent. Hauriant vero aerem dum retrogrediuntur & ope inſtrumenti illud educunt. Interdicant ſibi porro fuſores inſpirationem, cum in catinos (vid. §. VII.) aſcendunt, & vel carbones vel fundendam miſturam furnis immittunt. Differant hoc pulmonum negotium, uſque dum a furnis procul ſatis diſceſſerint; id quod fieri commode ſatis poteſt, cum iſta laboris pars vix horæ momentum requirat. Qui lithargyrium ponderant ad vendendum, laudabili ſatis præſidio jam utuntur; cum illud aqua irrorant, ne pulvis ejus excitetur; cui, niſi munimenta illis arrideant, addere fere nihil queo. Sed ſuperſunt quidam operarii, quibus, præter munimenta, nulla fere a veneni ingeſtione præſervandi regulæ ſuaderi poſſunt. Pertinent huc ii, qui furnos repurgant, præſertim ſeparatorios (vid. §. VIII.). Moneri forſan hi poſſent, ut aquam furnis inſpergant ingreſſuri; ſed hoc minime ſufficiet. Aeſtuant enim ut plurimum hæ fornaces, atque ignitæ ſunt, repurgandæ, in quibus injecta aqua ſtatim evaporaret. Neque metalli ſeparandi copia, nec aliæ conditiones permittunt, ut furno frige-

ge-

geſcendo tempus concedant, antequam illum inſcendunt, vel tantum aquæ ſenſim infundant, ut inde frigefiat, ac focus ejus & latera adeo madida reddantur, ut nullus pulvis excitetur, inter repurgandum. Quæ cum ita ſint, qui cavere ſibi alio modo poſſunt intrantes, ne molybdænæ pollinem vel pulverem lateribus fornacum adhærentem hauriant, quam deſcriptis illis vel aliis munimentis, naribus & ori adplicatis? Utantur hanc ob rem hi illis præcipue, &, quibus ſanitas tuenda cordi eſt, cæteri operarii. Præter eas vero jam traditas præſervandi regulas, alias quaſdam ſilentio præterire haud poſſumus, quibus plumbeorum effluviorum ingeſtio præpeditur a cel. *Henckelio* (*m*) commendatas. Fugere ille operarios, quantum poteſt, inter labores multiloquium, eoſque manuum uſu mágis, quam linguæ, occupatos eſſe jubet. Nec minus ſomno, in iis locis, ubi venenata effluvia ſparguntur, indulgendi conſuetudinem carpit, prorſuſque interdicit. Cavere porro eoſdem jubet, metallorum excoctores, ne cibum vel potum in iſtis, quos aura venenata adtingere poteſt, locis haud obtectum reponant, neque eundem ibi unquam ingerant. Addendum hic ſimile quoddam monitum de veſtibus eſſet; ſed memini, jam ſatis laudabilem conſuetudinem operariis eſſe; cum veſtes in ciſtis recondunt, eaque re impediunt, quo minus illæ pulvere ſaturnino conſpergantur, neque hic, inter induendum alias excitatus, hauriatur. Atque hæ, quæ enarravimus regulæ, præcipuæ videntur, quæ, ad veneni ingeſtionem impediendam commendari forſan potuerint. Cum vero iis præſertim, qui munimenta reſpuunt, vel aliis de ſanitate minus ſollicitis, metuendum ſit; ne plumbi effluvia interdum hauriant, ad alteram præſervandi methodum progrediamur, (vid. §. præc.) eaſque regulas, quæ indicant, quomodo corpus muniamus, ne ſi forte hauriatur venenum, hoc illi noceat; & quiſnam, huic finis aptus, inſtituendus victus ſit; quænam vitanda & quoad eum ſuadenda ſint.

§. LVII. Cum plumbi effluvio acido primarum viarum facile ſolvantur, eoque reddantur maxime noxiva, facile patet acidorum uſum, operariis, iſtis expoſitis, valde ſuſpectum eſſe debere, eumque fugiendum. Sed cum iſte tamen nihilominus prodeſſet metallurgis, ad diluendum ſanguinem, reſtituendamque, qua hic inter laborandum, per largum ſudorem ignis æſtu expreſſum, orbatus eſt, partem fluidiorem; limitandus acidorum uſus potius videtur, quam prorſus interdicendus. Caveant modo operarii acida fortiora, auſtera, ut acetum, fructus horæos immaturos; pruna, ceraſa, fraga, & alia: caveant eadem mox ante & poſt operationem finitam, ne, ſi forte veneni quidquam hauſerint, hoc ab illo ſolvatur, antequam in ventriculo prorſus ſubactum fuerit. Utantur vero acidis, diebus a labore vacuis (non enim quotidie operi inſerviunt) poſtquam plumbeum pollinem, uti in robuſtioribus, bene di-

(*m*) Lib. ſæpe cit.

gerentibus, conjiciendum eſt, ventriculum & inteſtina cum cibis ſuperavit. Qui vero minus valide digerunt, vel acida difficilius ferunt, eorum uſum, præter leniſſimorum, fugere omnino debent, vel munimenta adhibere, quæ a veneni ingeſtione eos præſervent; qua ſub conditione, acidis eos uti, omnino licebit. Caveant porro quam maxime ſpiritus vini abuſum, quin ipſum uſum; non eam quidem ob cauſſam, quod acidæ ſit indolis; pauciſſima enim hujus generis ſalis, præter paucam olei & maximam aquæ, pars ei ineſt; ſed quia ſolidis rigiditatem & fluidis lentorem infert, quæ ultima potiſſimum, ob aerem, cui operarii expoſiti ſunt, calentem, jam ſatis neceſſaria fluiditate deſtituuntur. Abſint ceterum omnes in eſca vel potu exceſſus, ne his primæ viæ debilitentur, atque ad morbum facilius excitandum diſponantur. Proderunt vero illis quam maxime, generalia, ex victu deſumta, antidota, obvolventia, mucilaginoſa; ut farina avenacea, hordeum excorticatum, & his ſimilia. Nec minus pinguia animalia & vegetabilia oleoſa. Commendant ex his, operario jejuno laborem adgreſſuro, lardi uſum *Stockhuſius*; butyri *Agricola* (*n*), & olei olivarum cel. *Spangenbergius*; quibus varii generis ſimilia addi facile poſſunt. Specialia magis, quæ noſtri veneni effectum præcavent, vis ejus nota determinat. Conſiſtit hæc, uti ex ſupra dictis patet, in eo præcipue, ut fluida inſpiſſet, ſolidaque conſtringat. Jubet illa ergo diluentem opponere potum, multumque, ex cereviſia tenui bene defecata, non acida, vel alium ſimilem; cujus tamen copioſa una vice facta ingurgitatio abſit ab operariis, inter labores æſtuantibus. Eadem & alteram vim veneni impedient, vel potius corporis ad ſuſpiciendum ejus effectum diſpoſitionem tollent, maxime ſi victus actu calidus, ut juſculorum ante & poſt operationem, uſus pinguium, gelatinoſorum, accedat. Quibus omnibus alia ſingulo cuivis homini convenientia, haud difficulter addi poterunt.

§. LVII. Supereſt demum ſeſe præſervaturo, ut, ſi quæ veneni hauſti indicia perſpiciat, illud e corpore, quamprimum poteſt, removeat. Sunt vero hæc indicia: ventriculi dolor gravativus, nauſea, vomitus, quæ, ſi nullæ aliæ cauſæ manifeſto adſunt, veneni plumbei in ventriculo latentis ſuſpicionem merito inferunt. Jubent hæc vero præparare ægrum vomitui, & illi, cum corporis ſui diſpoſitione congruens, dare emeticum. A quo ſi abhorret æger, vel ſi id vetat ejus conſtitutio, nec minus, obſtructio ſi obſervatur vel alvi ſegnities, veneni ad inteſtina delati ſignum; præmiſſis vel junctis, quæ ſupra enarravimus, corrigentibus, præparantibus, purgantibus ægro mederi, conſilii erit; ne dirum illud malum, cujus tractationem jam finem, Dei gratia, imponimus, inopinato impetu irruat.

(*n*) Vid. lib. 10. de re metallica, ubi in icone quadam, plumbum ab argento ſeparandi methodum repræſentante, *magiſtrum* exhibet, *qui* uti figuræ explicatio docet, *butyrum edit*, *ne venenum ex catino exhalans ei noceat.*

J. ERNESTI

LXXXVII.

JOH. ERNESTI KUHNII

DE ILEO.

DISSERTATIO.

Leidæ 13 Octobr. 1702.

HISTORIA.

*A*NNO *milleno ſeptingenteſimo primo, circa mediam hyemem, cum in Nobiliſſimo* Bremenſium *Emporio medicinæ operam dabam, ibidemque* Noſocomium *publicum, ſub* Duce *&* Præceptore, Viro *Experientiſſ. & Celeb.* Dn. Frederico *à* Cappelen, *Ill. Brem. Scholæ P. P. & Reip.* Phyſico Ord. *frequentabam, inter plurimos ægrotos paupercula quædam puella, quæ tota erat macilenta, in modo dictum Noſocomium allata ſeſe ſiſtebat, ac peſſima uſa diæta, jam diu morbo detenta, tandem Profeſſoris publici curæ commiſſa eſt. Conquerebatur illa maxime de dolore abdominis, pruritus narium continuos, halitum fœtidum atque ſitim intenſam habebat, noctes inquietas tranſigebat, pulſum debilem atque frequentem, urinam crudam cum ſedimento craſſo obtinebat. Alvus ipſi obſtructa, reſpuebat alimenta quæcunque nec medicamentum ullum ſumere per os volebat. Præterea vomitus aderat, nec tamen inſignis. Vermibus eam laborare judicabatur. Et quia averſabatur, quicquid erat medicaminum, unguento abdomen illini curabatur, & clyſter applicabatur emolliens. Quo facto, levamen nullum ſentiebat patiens. Sed die tertio obiit. Cadaver, volente laudato* Dn. Prof. Præceptore *meo nunquam non honorando, anatomicæ ſubjiciebam inquiſitioni. In diſſectione ventriculum obſervavi ab alimentis vacuum, diſtentum tamen & pituitæ tenaciſſimæ refertum. Inteſtina tenuia valde diſtenta flatibus erant; in inteſtino vero* Ileo *volvulum reperi, ſeu ingreſſum partis ſuperioris inteſtini hujus in inferiorem. Plica iſta latitudinem duorum digitorum æquabat, itaque firmiter ſeſe implicaverat, ut vix ſine inteſtini læſione in priſtinum reponi poſſet ſtatum. Reliqua inteſtina, infra* ſuſceptionem, *vermibus erant repleta, nec excrementa ulla continebant. In meſenterio obſtructiones erant innumerabiles; reliqua vero inteſtina ſtatum naturalem vix excedebant.* Volvulum *ipſum aſſervavi, & æri inciſum ſpectandum Tibi, B. L. præbeo, una cum alio quodam duplici, quem, inter plurima & maxime curioſa* artis Anatomicæ *documenta ſepoſitum habet, & benignitas ſumma* Viri Celeb. & Anatomici feliciſſ. *Dn. Frederici Ruyſchii,* M. D. & P. P. *Amſtelodamenſis mecum communicare voluit.*

THESIS I.

MOrbum, quo hæc noſtra fuit correpta, *Ileum* fuiſſe, ſeu *Paſſionem Iliacam*, nemo non videt. Antequam ad ſymptomatum & morbi ipſius tractationem accedam, in denominatione & definitione paulum hærebo.

II.

Græcis veteribus dictus fuit is morbus εἰλεὸς, & aliquando cum aſpiratione εἱλεός. *Heſychius* etiam ἴλεος ſcripſit. Quanquam ita vocetur a parte affecta, nimirum inteſtino *Ileo*, quod ſedem morbi ut plurimum, etſi minus accurate crediderunt, attamen derivari etiam poteſt ἀπὸ τοῦ εἰλεῖν vel εἱλεῖν, quorum prius deſignat coarctationem, alterum vero contorſionem vel convolutionem. Coarctari enim revera inteſtina inſtar chordæ vel ſpiræ, credidere antiqui. Confirmat *Galenus*, qui *loc. 6. aff.* 2. ſcribit, δοκεῖν οἷον χορδήν τινα περιεστράφθαι τὸ ἔντερον, *videri inſtar fidis cujuſdam contorqueri inteſtinum.* Verum hujuſmodi nodum vel convolutionem fieri non poſſe, infra patebit.

III.

Latini vocarunt *Ileum*, *paſſionem Iliacam*, *Volvulum*, *Convolvulum.* *Celſus* nominavit, *chordapſum*, ex χορδὴ, *inteſtinum*, & ἅπτω *necto*, vel *nodum facio*, errore, uti credo, inductus vulgari. *Aureliano Tormentum*; *Cælio Acutum Tormentum* dicitur. Qui *volvulum* ſeu *convolvulum* appellarunt, eodem reſpectu, quo Græci fecerunt. Niſi malles cum Riverio, Prax. Med. I. II. *convolvulum* dixiſſe ab herba *convolvulo*, cujus caulis non recte, ſed quaſi intortus alias plantas circumligat. Qui *miſerere mei* vocarunt, barbare locuti ſunt, & potius effecti morbi hujus triſtiſſimi rationem habuerunt, quo ægroti commiſerationem unius cujuſque merentur, & cum cœco ilio, cujus fit mentio in Evangelio, opem divinam implorantes, habent unde exclament: *Domine Jeſu*, *miſerere mei.* A nominibus ad definitionem procedam.

IV.

Deſcribitur veteribus: *Inflammatio inteſtinorum*, *quæ neque flatus*, *neque excrementa pertranſire ſinit*, *quin tormina valida doloreſque exceſſivos excitet.* Sed vocis (*Ileus*) uſum generaliorem eis fuiſſe, indicat *Mercurialis*, *var. lect.* 5. II. qui ſcribit, *omnia inteſtinorum & ventris tormina uno fere ilei vocabulo apud antiquos ſignificata fuiſſe.* Ex recentioribus Cla-

Clariſſimus *Sylvius lib.* 1. *cap.* 15. §. 16. *Ileum* definit, *inverſionem motus periſtaltici in hac vel illa inteſtini tenuis* (cur non & *craſſi?*) *parte, cum inſequente alvinarum fæcum vomitione.* Brevius *Heurnius*, in *Hipp. Aph.* 3. 22. *Excrementorum per os excluſio, ob inteſtina intercepta.* Prolixiorem deſcriptionem, qui deſiderat, adeat lexica. Vide *Amalth. Caſtello-Brun.* in voc. *Ileos*, & *Blank.* in v. *Chordapſus.* vide & præter cæteros, eruditum *Lindenium*, in *Sel. Med. Excercit.* 4. §. 4.

V.

Jure merito diſtinguimus hic *volvulum*, ſecundum partes affectas, in *iliacum* & *colicum.* Vocatur *iliacus*, ubi inteſtina *tenuia*, veluti hic in noſtro cadavere; *colicus*, ubi *craſſa* ſunt affecta. Craſſa æque ac tenuia chordapſum, ſaniore quidem ſenſu, pati poſſe, & ratio docet & experientia. Poteſt enim convulſio in utroque fieri, & motus periſtalticus inverti. Quin Auctores ſe utrobique reperiſſe tradunt. Ambo quidem, etiamſi periculo nullatenus careant; graviſſimus tamen eſt *iliacus*, cum inteſtina tenuiora tantum non pati poſſint, quantum craſſiora. Practicos tres iliaci ſpecies agnoſcere, ſcribit Doctiſſ. *Dolæus*, *Encyclop. med. lib.* 3. *c.* 6. ſc. *ſtercoralem*, *humoralem* & *flatulentum*, quorum deſcriptionem vide ibidem, addit l. c. alios facere *eſſentialem*, alios *ſymptomaticum*, alios *periodicum*, & exempla ſubjungit. *Epidemicum* in Americana Inſula Jamaica probat ex Auctoribus allatis Cl. *Broen*, in *animad. med. in H. Regii Med. l.* 3. *c.* 31. quem ſis, conſule.

VI.

Hæc dicta de nominibus & definitione nobis ſufficiant. Sequuntur *Cauſæ* conſiderandæ. *Cauſas iliaci doloris* ultra viginti enumerat modo citatus *Lindenius*, quas omnes huc exſcribere nimis longum foret. Primarias ſolum indicabo. Atque ibi ſeſe ſtatim offert nobis *inflammatio*, orta a ſanguinis ſtagnatione. Inteſtinorum nimirum latera per tumores ſcirrhoſos incraſſantur, & cavitas eorum coarctatur. Huc materia, ubi pervenit, hæret. Deinde *faces ſicciores & induratæ oſſaque inglutita* viam inteſtinorum præcludunt, hinc fit, ut retrogrediantur ſurſum verſus, & per vomitum rejiciantur. Κωπριήμελοι, *Merdivomi*, ejuſmodi homines vocantur *Hippocrati.* Porro huc facit *continens corruptio ciborum multorum ac multigenerum, & alia per aliam cruditas.* Exempla habet *Foreſtus.* His adde *herniam*, *hæmorrhoides ſuppreſſas*, *lochia retenta*, *intemperiem calidam*, *omnes motiones magnas & extraordinarias*, *potionem frigidam*, *ſudore jam exiſtente in eo corpore multam & ſubitam*, *vulnera* &c. (De multis vide exempla in *Obſ. Med. Eruditiſſ. Viri & Præceptoris* mei maxime *vene-*

venerandi Frederici Ruyſchii obſ. 91.) &, quod in noſtra occurrit hiſtoria, *ſuſceptionem* ſeu *ingreſſum inteſtinorum in ſe invicem*, *de quo fuſius.*

VII.

Miror, ſummos viros extitiſſe, qui de hoc dubitarint. Impoſuit illis, quod inteſtina alligata ſint meſenterio, atque ideo unum non poſſe ingredi in aliud, & potius ad humores acres intra membranas inteſtinorum hærentes, vel ad fœces duras, obſtructionem cauſantes, vel ad inflammationem, vel ad aliam aliquam cauſam retulere. Cl. *Sylvius* egregie illud demonſtrat, quomodo fieri poſſit, ſcilicet, *cum ægroti corpus ſubito & ſæpius inflectunt, contingit, ut ſubinde ob relaxatum in alterutro extremo inteſtinum, ulterius prorſus flatui locum concedat, oppoſito inteſtini adhuc coarctati extremo ſeſe in ſatis ſufficienter expanſi inteſtini cavitatem inſinuandi, ſuccedente mox ejuſdem inteſtini a propulſo flatu liberati coarctatione ſatis violenta circa partem proximam inſinuatam*, l. c. & *ſeqq.* Me quidem αὐτοψία dubitare non ſinit. Teſtem fide digniſſimum adduco, Celeb. *Ruyſchium Prof. Amſtelodamenſem Celeb.* qui non ſolum duplicem mecum communicavit ſuſceptionem, ſed & certiorem me reddidit, ſe in quatuor inſequentibus cadaveribus diſſectis ejuſmodi volvulum ſeu ingreſſum inteſtinorum obſervaſſe. Huic jure jungo *Riverium*, qui teſtatur, *in Patris aperto cadavere inventum eſſe inteſtinum ileon tribus complicationibus convolutum & quaſi compactum in unam maſſam, circa finem illius; totam autem illam inteſtini portionem complicatam gangræna affectam fuiſſe, cum portione meſenterii ſibi adjuncta.* Cent. 3. obſ. 26.

VIII.

Una igitur vel pluribus ex recenſitis cauſis ſupervenientibus, ſiſtitur motus inteſtinorum naturalis, ſeu *periſtalticus*, & vertitur in contrarium qui dicitur *antiperiſtalticus*. Motus *periſtalticus* definitur: *vermicularis inteſtinorum motus a ventriculo incipiens & progrediens ad inteſtinum rectum uſque, quo alimenta & excrementa promoventur & egeruntur.* Fit motus iſte mediantibus ſpiritibus animalibus per fibras illas, quibus tunicæ abundant per omnem inteſtinorum ductum. Qui motus tremulus clare conſpicitur in animalibus vivis ſubito diſſectis.

IX.

Quibus explicatis, facile jam concipitur, quomodo directio fiat a partibus inferioribus verſus ſuperiores. Refluere coguntur excrementa, ubi ad partem obſtructam pervenerunt, & fibræ jam coarctatæ & conſtrictæ ſuc-

ſucceſſive eadem pellunt, uſque ad ventriculum, ubi fermentationem faciunt, accedentes, qui ibidem hærent, ſpiritus, & *vomitum* excitant.

X.

Dolores exquiſitiſſimi *abdominis*, de quibus ægrota noſtra querebatur, exinde fiunt, quod ſenſiles inteſtinorum tunicæ a materia acri irritentur, & fibræ illarum vi magna moveantur, vellicentur & diſtorqueantur. Augent dolorem flatus intercluſi, qui deorſum properantes, nec exitum invenientes, ſurſum verſus viam repetunt, & inteſtina fortius diſtendunt, divelluntque. Vermium præterea vellicatio, dolorem ſummum excitavit in affecta.

X I.

Sanguini corrupto, pituitoſo, acerrimo, craſſo, originem ſuam debebant, *emaciatum corpus*, *debilitas artuum*, *faſtidium ciborum*. *Halitus fœtidi* cauſa ex ſuperioribus ſatis liquet. Halitus acres quaquaverſum propulſi pungunt inteſtina primum, deinde œſophagum, aſſurgentes ad nares quoque properant, unde *pruritus narium*.

X I I.

Intenſam *ſitim* efficiebat æſtus ſanguinis. Pulmonis fumus, linguæ obductus, humori ſalivali, ad irrigationem partium internarum neceſſario, viam præcludit. *Inquietudines* à dolore ob morbum inteſtinorum.

X I I I.

Vomitus cauſam ſupra §. 9. explicavi. Notandum vero, humores ſolummodo corruptos hanc noſtram evomuiſſe, quod indicium erat, gradum hunc *iliacæ paſſionis* aut ſummum non fuiſſe, aut interceptum, olim, antequam noſtrum imploraſſet auxilium, materiam bilioſam vel ſtercoream vomuiſſe, quod triduo ante mortem facere non poterat, quippe nihil excrementorum amplius in inteſtinis inveniebam poſt diſſectionem.

X I V.

Vermium in inteſtinis repertorum conſideratio non erit incongrua. Erant illi longi & teretes, ut *lumbrici* ſolent eſſe, quos per anum ſæpius excludi videmus. De *cauſis* vermium diſputarunt eruditi. *Materialem* eorum credidere *veteres* pituitam lentam, craſſam & dulcem, ortam à pravis alimentis, vel vitiata concoctione, quæ acquirat diſpoſitionem idoneam ad

ad vermes conſtituendos. Alii exiſtimarunt, *cauſam proximam* eſſe materiam quandam putridam & acrem, in inteſtinis & ventriculo genitam, quæ particulas inſenſibiles ita figuratas habeat, ut ex earum compoſitione vermes oriantur, veluti accidere videmus in fructibus, carne, caſeo, &c. dum putreſcunt & corrumpuntur. Nos cum iis facimus, qui abſque *ovo* eos generari non poſſe pro certo habent. *Ovum* ſpirantium omnium elementum commune eſſe, & omnia animalia principiis ejuſdem ſuccreſcere dicit Cl. *Drelincurtius.* Atque multis illud rationibus & experimentis probarunt *Viri* in arte *Æſculapia* Celeber. *Guilielmus Harvejus in Exercitat. de Gen. anim. Marcellus Malpighius in diſſert. de ovo*, & præter cæteros, Doctiſſimus Italus, *Franciſcus Redus*, in *diſſ. de gener. Inſect. Ova* autem illa, ex quibus excluduntur, latent abunde in ipſis alimentis, tam eſculentis, quam potulentis, in vegetabilibus & in animalibus, quin etiam in ipſo aëre. Latent ibi quoque *vermiculi*, qui, ubi nidum quaſi in corpore humano invenerunt, excluduntur, mediante tepore illo blando, qui requiritur ad generandos vermes. Cum vero ſpeciatim ſaccharata, acida & lacticinia vermes ſuppeditent, (ſi quidem & animalcula ipſa præbent & acidum vitioſum, fovens vermes) mirari non ſubit, ægrotam noſtram magnam eorum copiam habuiſſe in inteſtinis, quia peſſima uſa fuerat diæta, & fortaſſe, (quod plebi ejus loci commune eſt,) multum caſei comederat. Mirari majore jure quis poſſet, cur aciditas hic peccans non conſumſerit vermes? Cui reſpondetur, aut acidum hoc non fuiſſe corroſivum; aut, quod maxime velim, illi acido ita aſſueviſſe lumbricos, ut veſica urinæ & acrimoniæ naturali, & ventriculus fermento, veluti loquitur *Job. Broen*, in animadv. *med. ad H. R. prax. med.* lib. 3. c. 33.

X V.

Obſtructiones, in *meſenterio* obſervatas, ortas fuiſſe putamus a chylo pituitoſo & viſcoſo; glutinoſa enim materia requiritur, ut partes cohæreant, & motum ſucci, qui continue allabitur, ſiſtant, qui ſuccus acidiuſculus facile ſolveret materiam iſtam, niſi valde eſſet glutinoſa.

X V I.

Pathologicis jam præmiſſis, ad *Diagnoſin* me accingo. Præſentiam morbi *Iliaci* indicant, alvi imprimis pertinax obſtructio, dolor magnus abdominis, cibi faſtidium, emaciatio corporis, inteſtinorum murmura & tormina, anxietates cordis, vomitus, quo, ſecundum morbi differentiam & varios gradus, evomuntur humores acres & pituitoſi, interdum chylus, imo fæces ipſæ, ut ſupra, ſingultus, febres accedentes acutæ, vigiliæ, extremorum frigus, animi deliquium, & tandem mors ipſa.

XVII.

XVII.

Signa *diagnoſtica*, ſecundum cauſarum diverſitatem, ſequentia faciunt Practici. Quando dolor *colicus* ægrotum vexat, tum in hypochondriis non adeo acerbus eſt, & vomitus ſtercoreus tardior; ſi *iliacus*, dolor ibidem acutiſſimus, inflatio, diſtenſio, & quandoque tumor, alvi obſtructio pertinaciſſima, vomitus bilioſus & fœtidus, ſudor frigidus, animi deliquium &c. *Ileum* ab *inflammatione* indicant, dolor acutus, compreſſo abdomine, auctus, alvus ſicca, præſentia febris acutæ, vomitus bilioſus, excluſio fæcum citior, ſitis intenſa & inextinguibilis. A *gangræna* præſagiunt multa, quæ ab inflammatione, quæ plerumque in gangrænam degenerat, quam ſequitur ſubita doloris ceſſatio. A *fæcibus induratis*: ventris durities, dolor eundo vires acquirens, febris plerumque carentia, non ita morbus intenſus, ægroti fidelis relatio. *Ab hernia*: ſi æger antea hernia laboravit, nec recte curatus fuit. Hæc viſu atque tactu patet. A *vermibus*: ætas, dolores abdominis terebrantes quaſi, & ordinaria lumbricorum ſigna. Si *ileus* ab *ingreſſu inteſtinorum* provenerit, medicus prudens hoc conjiciat oportet, præprimis ſi adſint flatus fortiores, & vomitus chyloſus ſit, vel ſtercoreus. Sequitur.

XVIII.

Prognoſis. Conſtat inter omnes tam antiquos, quam recentiores, morbum hunc periculi eſſe pleniſſimum. Univerſale eſt *Hippocratis*, de affectibus. 22. Ἔϛι δὲ τὸ νόσημα ὀξὺ, καὶ ἐπικίνδυνον, *Eſt autem præceps morbus & periculoſus admodum.* Idem Sect. 6. aph. 44. Ὁκόσοισιν ἐκ ϛραγγουρίης εἰλεὸς ἐπιγίνεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγινομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ. *Quibus a ſtranguria volvulus ſupervenerit, intra 7. dies moriuntur, niſi febre ſuperveniente copioſa urina fluxerit.* Et ſect. 7. aph. 10. Ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος, ἢ λυγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν. *Ab Ileo vomitus, vel ſingultus, vel convulſio, vel delirium, malum.* Variarum tamen hic cauſarum eſt habenda ratio. Ac primum quidem, ſi *ileus* oritur *fæcibus obduratis*, curabilem eſſe, conſentiunt multi *Doctores*. Alimenta enim, & medicamenta quandoque tunc aſſumit ventriculus & retinet. *Ileus* ab *hernia* interdum exitialis; interdum minus. Illud, ubi *inflammatio* acceſſit. A *vermibus* cum proceſſit, curatu difficilis eſt, quod vermes ſeſe fortiter inſinuent in inteſtinis (quod in ſubjecto noſtro factum fuerat,) & eadem interdum perforent. Si productus fuit a *mutuo inteſtinorum ingreſſu*, ſanabilis modo, modo lethalis dicitur. Cl. *Sylvius*, *Prax. med. lib.* 1. *c.* 15. §. 20. vult, curationis ſpem ſupereſſe, ſive per alimenta aſſumta, aut per pillulas plumbeas aureaſve deglutitas, *quoties pars inteſtini inferioris*

ſubit ſuperiorem; non item, quando *pars inteſtini ſuperior ingreditur inferiorem*, *quoniam ſenſim ulterius pergit pars concluſa*, *unde augetur magis magiſque anguſtia*, *præcluditur contentis deſcenſus*, *quocirca neceſſario*, *inde mortem eſſe expectandam.* Lethalis omnino eſt ab *inflammatione* & *gangræna*, quod jam agnovit *Aretæus*, ſcribens: Ἐντέροισι γίγνεται μὲν φλεγμονὴ, ὀδύνην ὀλεθρίην ἐμποιεῦσα, *Inteſtinis accidit inflammatio*, *dolorem apportans lethalem.* Ægrotus ſe commendet Deo, & diſſolutionem ſuam expectet in fide.

XIX.

Mortis futuræ *ſigna* faciunt, *difficultatem reſpirationis*, deficientibus ſpiritibus animalibus; *impotentiam faciendi urinam*, ortam, partim a fibrarum laxitate, partim a ſenſus carentia; *ſudorem frigidum*, cujus cauſam egregie, meo quidem judicio, deſcribit excellentiſſimus *Williſius* de *medic. operat. ſect.* 5. *c.* 1. & quam in eo conſiſtere putat, *quod a paſſione ſubita ac immani tota anima ſubſiſtens ambitum ſuum contrahat; proindeque ſpiritibus conſternatis*, & *ſanguine cum calore verſus cor retracto*, *effluvia extima*, *per cutem emanantia a ſequentibus derelicta*, & *calore deſtituta*, *illico in vaporem frigidum condenſentur*, *pari quidem ratione*, *ac inter deſtillandum accidere ſolet*, *ubi*, *ſi ignis ſubito reprimatur*, *vel extinguatur*, *mox exhalatio calida alembicum replens*, *in madorem exſolvatur*; *alvum* conſtrictam adeo, ut ne quidem ſpecillum inferi queat, æſtu febrili omnem ſuccum exhauriente, qui & molliendo inteſtino, & fœcibus deferendis vehiculo eſſe ſolebat; *ſupervenientem ſurditatem* & ἀλαλιὰν, emortui pene caloris ſignum, veluti ait *Galenus*; *vomitum bilioſum*, *ſtercoreum* &c. quanquam in *Ephem. Curioſ. A.* 6. *obſ.* 11. annotatum eſt, fæcum vomitionem non ſemper fuiſſe lethalem, quod confirmant *Bonnetus* in *Sepulc.* l. 3. ſ. 10. & alii quidam Itali, a *Lindenio* citati c. 1. qui his omnibus addidit *dolorum ſubitam mutationem.*

XX.

In curatione procedendum eſt ſecundum varias cauſas, in *diagnoſticis* a nobis memoratas. Prolixiores hic erimus, quia in hac parte omnis rei volvitur cardo, & cautus hic præprimis debet eſſe medicus atque cordatus confidens in Dei auxilio, qui medicamina ſua, in ægroti ſalutem vertere dignetur.

XXI.

Merito hic inquirendum, unde in tanta re medicus incipere debeat, atque, quæ ægroto, qui operam illius, ſi ullibi, certe in hoc deplorando

rando ſtatu ſummopere efflagitat, optime conducant remedia? Utrum V. S. an vomitus, balnea vel clyſteres inſtituenda & applicanda veniant? Reſpondeo: omnibus hiſce remediis in omnibus ægris locum non eſſe, ſed illorum delectum eſſe inſtituendum, ſecundum ægroti conſtitutionem & alias circumſtantias. Hic medicum non ſolum decet, ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρέοντας, καὶ τὰ ἔξωθεν. Aph. ſ. 1. §. 1.

XXII.

V. S. admiſere veteres in inflammatione, ira, aut refrigeratione ſubita, ubi & cucurbitulas applicari voluerunt, & clyſteres emollientes & refrigerantes. *Vomitum* iidem ſuaſerunt, ubi cauſa ilei fuerit nimia repletio, vel vitiata concoctio. *Hippocr. aph. ſ.* 2. §. 22. Ἀπὸ πλησμονῆς, ὁκόσα ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἰῆται. *Si a repletione morbi exoriantur, ſanat evacuatio.* Et *Celſus*, l. 1. 3. *Utilis eſt vomitus plenis & bilioſis omnibus, ſi vel nimium ſe repleruut, vel parum concoxerunt. Nam ſive plus eſt, quam concoqui poſſit, periclitari, ne corrumpatur, non oportet. Si vero corruptum eſt, nihil commodius eſt, quam id, qua via expelli primum poteſt, ejicere.* Si affectus *Colicus* cum *inflammatione* factus fuerit, omnino non auſi ſunt purgans dare, ne periculorum & mortis auctores fiant ægrotis. Cæterum vero purgantibus, iiſque fortiſſimis uſi ſunt. *Olea* intus dederunt, externe *fomenta & unctiones. Balnea* in fæcibus obduratis ſalubria judicarunt. *Lavare*, inquit *Hippocrates*, *multa ac calida, tum bibere, quæ alvum movent & urinam ſubducunt, ac clyſterem ſubdere, ſi recipiat; ſi vero non admittat clyſt. fiſtula alligata collo veſicæ inflare flatum multum. Cum elatum fuerit inteſtinum a flatu & venter, exempta fiſtula, injicere protinus clyſterem Quodſi recipiet, dejiciet & ſanus erit.* Si ab *hernia* morbus provenit, chirurgi manum adhibuerunt, & reponi inteſtina curarunt.

XXIII.

Recentiores conveniunt, irritationem fibrarum ſiſtendam, humores acres temperandos, & excretionem quovis modo eſſe promovendam. Quibus vero remediis, utrum purgantibus initio locus ſit, an vero opiatis vel vomitoriis &c. non adeo conveniunt. Prudenter *Cl. Ettmullerus* in *Prax. Med.* obſervari jubet, an irritatio magis urgeat, vel obſtructio: ſi irritatio dominetur, *opiata* prius vult adhiberi, & poſtea *purgantia*; ſi obſtructio fortior ſit, præmittenda eſſe *purgantia* judicat, quibus ſubjungenda eſſe demum *opiata*. *Clyſteres* emollientes hic negligendi non ſunt. Eoſque ſine *ſale*, & adjecta ſola *eſſentia Caſtorei* feliciſ-

 ſime

ſime in hoc morbo à ſe adhibitos, ſcribit Cl. *Doleus.* Laudatur *Clyſma* illud *Rulandi*, ex ſem. lini ol. ℥vj. *Troch. alhand.* ʒ*iß.* quæ poſtquam ebullierint, partim ventriculo inungantur, & reliqua, forma *clyſteris* injiciantur. Alii *decoct. hord.* extollunt, in quo nitrum ad ʒ*iij.* diſſolutum ſit. Nos in adulto talem forte probaremus *clyſterem*, præmiſſis *Pil. Stark.* ℈j. ſuperbibendo potum thee ſatis calidum:

℞. *Herb.* 5. *emoll. aa. Mß.*
Flor. chamom.
melilot.
Rad. alth.
lil. alb.
Sem. fœn. græc.
carv.
fœnic. aa. ℥*ß.*
S. L. A. Decoct. cum ▽. *font.*
Colatur ℥*xij. add.*
Elect. lenit.
bened. laxat. aa. ℥ß.
Mell. Mercurial.
Aq. bened. Rul. aa. ℥*j.*
Ol. Junip. ʒ*ij.*
M. F. Enema.

Applicetur unica vel binis vicibus, prout circumſtantiæ illud exigere videntur. Externe in uſum vocari poſſunt *fomenta*, ex *herb. emoll.* & *atten.* confecta, quales ſunto: *Malv. Viol. Alth. Mercurial. Verbaſc. Chamomill. Rom. Vulg. Melilot. Sambuc. Cicut. Parietar. Caprifol. Cerefol. Fumar. Eryſim. Hed. terreſt. Abſynth. vulg. & Rom. Leviſc. Majoran. Sem. lin. Aniſ. Fœnic. Carv. Cum. Anet. &c. &c.*

XXIV.

Etiam ad humores temperandos, & dolores mitigandos, ſimul & flatus diſcutiendos ſeq. mixturam præſcriberemus:

♃. *Aq. chamæm. comp.* ℥*iij.*
menth.
Fœnic. a. ℥*iß.*
Diaſc. Fr.
Conf. Hyacinth. aa. ʒ*ij.*
Cinnab. nativ.
Oc. ♋. *ppt.* aa. ʒ*j. M.*

Per

Per intervalla ſumatur cochleatim.. Vel *Mixtura* ſequens idem poterit præſtare :

℞. *Eſſent. Myrrh.*
Caſtor.
Sp. C. C. ſucc. aa. ʒij.
Tr. R. Croc. c. o. ℥j. *M.*
Sumantur 40 *gtt. in vino aut aq. fœn.*

XXV.

Ubi ſtomachus roboratus erit, & doloris mitigationem ſenſerit æger ad fortiora medicamina tranſeundum putamus. *Purgantia* tunc adhibenda, quorum ſequentia conducere poſſent.

℞. *Fol. Senn. S. S.* ℥j. *inf. p. noct. in aq. font. expreſſione facta in ea diſſolv. Mann. el.* ʒvj. *Crem. Tart.* ʒß. *poſt* 1. *ebullit. col. add. Eſſ. Cardam.* ʒj.

Vel
℞. *Conſ. Aurant.*
Conſ. Alkerm. aa. ʒiß.
Crem. Tart. ʒß.
Reſin. Gialap. gr. 12.
Balſ. Cinnam. gr. 4.
Syr. aurant. q. ſ.
F. *Elect. una vice ſum. & juſculum calidum uſurpetur.*

Ubi ab inflammatione inteſtinorum erit productus *ileus*, V. S. debet præcedere, & *decoctum purgans* modo præſcriptum ſequi, vel etiam *clyſter* ſupra memoratus, abſque *ol. junip. & aq. bened. Rul.* e contra addendum *ol. lin. Externe* poſſunt unguenta vel cataplaſmata ex *herb. emoll.* §. 23. indicatis, cum fructu adhiberi. Multi caſum hunc deſperatum credunt. Sed nimis timide. Vide quæ Cl. *Ruyſchius* in *obſ. med. obſ.* 49. de ſe teſtatur.

XXVI.

Si malum hoc à *vermibus* originem ſuam traxerit, convenient præter præſcripta, varia, e. gr. *Decoct. Mercur. viv. Mercur. dulc. Sp. Nitr. vitriol. Sulph. Sem. Cyn. Rad. Zedoar. Ariſtol. rot. Myrrh. aloes. ol. deſt. Carioph. Tanacet. abſ. &c.* In infantibus magno cum ſucceſſu uſi fuimus in Noſocomio Bremenſi *Tinct. cærul. ad gtt.* 30. *vel.* 40. quæ *tinctura* para-

paratur ex *Vitriol. de Cypr. Sal. arm. & Ol. Tart. per deliq.* Abdomen illinatur ſeq. *unguento.*

℞. *Axung. tax.* ℥vj.
anſ.
Fell. taur. aa. ℥iij.
Pulv. aloes.
colocynth.
myrrh. aa. ℥iß.
Ol. d. ſabin.
abſ.
tanacet. aa. *gtt.* vj. *M. F. Ung.*

XXVII.

Si *hernia* inveterata excitarit morbum hunc, inteſtina manu chirurgi reponenda ſunt, & adhibenda *cataplaſmata* §. 22. allata.

XXVIII.

Si medicus ingreſſum inteſtinorum ſuſpicabitur, (quod jure faciet, ubi nec purgans fortius, nec clyſter, nec ullum aliud medicamentorum genus opem tulit) ad globulos aureos, vel ſtanneos plumbeoſve confugere poterit. Inteſtini partem *ſuperiorem* intruſam in *inferiorem* nunquam curari poſſe, judicat *Sylvius*, judicant alii. Aſt non difficulter *aſcenſum inferioris* in *ſuperiorem* reſtitui poſſe per globulos ſclopetorum deglutitos ait, præmiſſ. *ol. amygd. d.* Hi etiam conducunt in fœcibus obduratis, haud quaquam vero in inflammatione, cum potius diſrumpantur a gravitate globulorum inteſtina. *Ettmullerus* ſcribit, uſum globulorum ſuperari a Mercurio vivo copioſe ingeſto, ad minimum ad ℥iij. vel 4. applicando ſimul externe fomenta blande calefacientia, & agitando ægrum in curru, vel mittendo in dolium, aqua tepida plenum.

XXIX.

Sed prætermittendum hic non cenſeo inflationem *Tabaci* in anum; quod *clyſterum* genus dicitur præſtantiſſimum *Bartholino & Schoonio*, quodque feliciſſime a ſe uſurpatum ſcribit Cl. *Deckerus* poſt fruſtra applicatos bene multos clyſteres, purgantia aſſumta, unguenta uſurpata &c. Fumus fortiter flando in anum continue propellitur, donec alvum reddat æger. Deſcriptionem inſtrumentorum in uſum hunc, vide in *Exerc. Pract.* &c. *Diuret.* p. 705.

XXX.



XXX.

Quantum ad *Diætam*, victus debet eſſe tenuis, itemque potus, qui & emolliens, & refrigerans debet eſſet. Optime conveniunt *juſcula* ex *pullis gallinaceis* & *hordeo*. Aëre utatur æger temperato. Cibo & potu moderato. Potum *Coffée* moderate ſumtum hic commendo. Somno utatur multo, quoad nimirum ejus fieri poterit. Sed tamen in obſtructione motus conducit. Animi pathemata fortiora, iram, mœſtitiam, inprimis ſummo ſtudio caveat æger. Hæc enim ubi ægrotum vexant, vix ullum medicamentum expectationi medici ſatisfacere poterit. Ut deponendas alibi omnes ſollicitudines, ita in hoc ſtatu præſertim maxime velim. Quia facillime recidivam pati poteſt æger, omni niſu alvi excretio eſt promovenda, & cavendum, ut humores ſemper deorſum ferantur. Vino medicato uti poterit æger. *Dominoque Deo T. O. M. Archiatro Noſtro, æternas perſolvat grates, & vitam ſuam ſecundum Præcepta illius inſtituat.*

Μόνῳ Θεῷ δόξα.

Fig. I.

A. Meſenterii pars. b. Inteſtinum ileum. c. Suſceptio ipſa.

Fig. II.

A. d. Portio Ilei ſuſcepta. b. c. Portio Ilei ſuſcipiens.

LXXXVIII.

J. GOTTL. LEIDENFROST

DE

VOLVULO INTESTINI SINGULARI.

Duisburg. 1750. Octobr.

Erat fœmina mediæ ætatis, hominis bajuli in vicino oppido uxor, quæ poſtquam per aliquod temporis ſpatium de abdominis doloribus conqueſta ſæpius eſſet, tandem medio Julio 1748. incidit in febrem inflammatoriam, quam ſequitur tumor hypochondrii dextri, tendens brevi ad ſuppurationem, quo rupto ingens copia puris exit, cum lumbricorum innatante globo, ciborumque quos paulo ante aſſumſerat nondum digeſtis reliquiis, quo facto de morbi natura nemo dubitavit, nec hactenus aliquid in hac re inauditum erat, præſertim in his regionibus. Ipſaque fœmina morbum nec novitate nec vicinorum exemplis valde metuendum intelligens ſoli ſe commiſit naturæ, præſertim quum & adpetitus & vires redirent, & alvi naturalis depoſitio non eſſet intercepta.

Erat autem vetula, illius vicina, quæ audito morbo ſuadet, ut ægrota cibis durioribus utatur, illoſque vix manſos majoribus bolis deglutiat, hos per anguſtiam ulceris non exituros rata. Aegrota morem gerens fabas magnas Gueſtphalorum huic ſcopo ridicula ſapientia adhibet. Oritur autem novus mox acerbiſſimus dolor, vomituſque vere iliacus & paulo poſt per apertum abdominis vulnus erumpit globus inteſtinorum, craſſus, inflatus, informis, rubicundiſſimus, qui ſenſim explicatus apparet inteſtinum tenue eſſe, duos circiter pedes longum. Id autem erat in hac re mirum, quod hæc fiſtula altero ſui fine non in abdomen redierit, ut opportebat ſi inteſtinorum tractus adhuc integer cohæreret, ſed quaſi abſciſſa eſſet hæc portio a reliquis inteſtinis finem alterum pendulum habebat. Cui præjudicio & illud favebat, quod in pendulo hoc fine foramen aut orificium eſſet, rugis contractum ſed facile ampliandum, ex quo ſubinde albuminis purulenti aliquid effluebat.

Advocati rerum periti, quum portionem inteſtini rubicundiſſimam, penituſque abſciſſam cernerent, decreverunt gangrænam non procul abeſſe, & aeris libero acceſſu futurum brevi ſphacelum, ideoque portionem abſcindendam, & artificialem anum in abdomine procurandam eſſe. Novum vero accidens phænomenon contraindicabat & hoc. Scilicet quod-

quodcunque biberet ægrota, per abdominis vulnus cito poſt aſſumtionem evacuabatur, & quidem non per pendulum illud inteſtinum, aut ejus perforatum finem, ſed juxta latera inteſtini per tenuem hiatum in abdominali ulcere ab infarciente inteſtino relictum, guttatim defluebat. Quare novum adhuc & non cognitum inteſtini ſuperioris vulnus adeſſe videbatur. Omnibus autem his indicationibus mulieris bona valetudo contradicebat, quæ in tantis malis nec febrem nec virium defectum patiebatur. Ideoque reponendum inteſtinum cenſent ut præcipiti conſilio, ſic irrito ſucceſſu. Reliquum erat, ut fomentis lacteis ſphacelum quantum poſſent retardarent.

Hæc inteſtina pendula manſerunt extra corpus ad vigeſimum diem, ſine mutatione nec in melius nec in pejus. Interim quotidie duo, treſve clyſteres injecti ex lacte, juſculis & farinoſis decoctis, quorum ne gutta redibat, ſed omnes in nutrimentum convertebantur, ut fœmina paupercula, lautius nunc per anum quam ante per fauces nutrita, pingueſcere videretur. Poſt hanc hiſtoriam de clyſterum nutrientium poſſibilitate nemo dubitato.

Inter tot naturæ luſus me accerſit chirurgus, ut prudens ſic ſolers fœminæ curator, & advenio vigeſimo die. Erat autem facilis mihi omnium explicatio quam primum viderem. Namque *inteſtinum tenue*, (ut puto jejunum) *inverſum* erat, ut interior tunica villoſa nunc externam ſuperficiem occuparet. Erat rugoſa hæc tunica, pulcherrime rubicunda a translucente ſanguine tunicæ ſequentis, non glabra, ſed inſtar panni holoſerici tomentoſa, referta papillis innumeris, quales in apice linguæ famelicæ conſpiciuntur, aut quales ſunt acini in fructu maturo fragorum. Quæ papillæ minus erant viſibiles quieſcente inteſtino, exſerebantur autem ſi aliquid ſapidi adplicaretur, præcipue vinum, aut quando motus periſtalticus exercebatur. Continuo madida erat hæc tunica, tranſſudante tenui humore, quem etiam craſſus, albus, mucoſus interdiſtinguebat, illo tempore frequenter expreſſus, quo periſtalticus motus fiebat.

Quid ſub motu periſtaltico hæc tunica interior fuerit paſſa, juvat enarrare. Scilicet tunc pars, vel aliquando integra hæc fiſtula inteſtini turgebat, ſimulque creſcebat longitudine & latitudine, tantumque contrahebat ruborem, ut nulla vel maxima inflammatio huic par eſſe poſſit. Inde calor major. Præterea erigebatur inteſtinum, & erectum ſtabat, ut quaſi colem laſcivientem æmularetur. Videntur ergo fibræ muſculares inteſtinorum vicem erectorum in hac tunica præſtare, qui comprimendo trunculos venarum faciunt, ut ſanguis in minoribus ſtagnet, tumoremque & calorem his conciliet, qui forte in digerendo chylo non parvi ſunt uſus. Confirmat hanc ideam quod durante hac erectione copioſiſſimus muci & liquoris inteſtinalis proventus erat, quieſcente inteſtino paucus vel nullus. Quando lac & emollientia adplicabamus,

ceſſabat hic motus continuo, membranaque ex rubore inclinabat ad lividitatem, ſed ex vino calido adplicato, fortiſſimus rubor tumorque, & motus tam vehemens, ut priapiſmum fere æmularetur. Tentor ex his concludere motum periſtalticum magis excretionem inteſtinalium humorum, quam chyli ſecretionem juvare.

Erat & hoc mihi novum, quod hæc membrana omni ſenſu careret. Quomodocunque illam tractaremus, nihil ſentiit fæmina. Si aliquando mucum abſtergebam, animo ejus fontes accuratius videndi, licet modeſtiſſime id facerem, tamen ſanguis fere ſemper manabat, ſine dolore tamen, & ſine damno, oſtiis citiſſime recluſis. An in durioribus cibis eadem pati poteſt? Certe dolor dyſentericus in hac membrana non quæri debet.

Dum per aliquot horas continuas vinum calidum applico, idemque per ſyringam in illud orificium quod in fine penduli inteſtini erat, injici curo, inteſtinum ſenſim accurtabatur & in abdomen repebat, ut tandem vix digiti longitudinem extra abdomen ſupereſſet. Sequenti die etiam hæc portio in abdomen rediit, & penitus inſciis nobis & fœmina evanuit. Poſt paucos dies alvi officium fœminæ redditum eſt, appetituſque viguit. Abdominis tamen ulcus hactenus ex metu & moroſitate fœminæ ſaniora conſilia & gaſtroraphen rejicientis claudi non potuit, ut etiam nunc aliquid potulenti per id effluat, forte quia inteſtini ulcus nunc peritonæo adnatum eſt. Multoties poſthac dolui adventum meum nimis propinquum fuiſſe ſanationi, quia pulcherrima experimenta inſtitui potuiſſent de variorum medicaminum in hanc membranam actione.

Habemus hic exemplum volvuli inauditum. Inteſtinum ſuſceptum & invaginatum per longitudinem duorum pedum, idem tranſiens extra corpus per ulcus, idem per duos pedes nova inverſione rediens. Ergo fimbria meſenterii mirabiliter extenſa, quæ per quatuor pedes inter inteſtinorum ſuſceptorum interſtitia gliſcere poterat. Poſſibilitatem autem in hoc caſu adjuvit ſumma macilentia pauperculæ mulieris. Apparet etiam in morbo iliaco non eſſe emollientibus pugnandum, ſed roborantibus, & præcipue meraco vino.

LAURENTIUS

LXXXIX.

MARTINI JACOB KUPFFER

DISSERT. SISTENS

VOLVULUM SANGUINEUM EJUSQUE CURATIONEM IN VIRO QUODAM.

Regiomont. 15. Januar. 1720.

I. N. D.

HISTORIA.

Vir quidam, generoſo genere in Curonia clarus, temperamento potiſſimum ſanguineo, debili a teneris & gracili corpore, tanto tamen fuit valetudinis robore, ut militiæ moleſtias ſub vexillo Saxonum aliquot annos ſuſtinuerit, atque per germaniam itinera quoque confecerit. Hic, cum annos natus duodetriginta domum reverteretur, a variis ſubinde ægritudinibus quaſi exceptus ita defatigatus eſt per multos annos, ut quibus morbis initio laboraverit, aut non meminiſſet, aut meminiſſe tæderet. Hoc tamen memoria tam diuturnæ valetudinis reddidit, poſtquam quorundam medicaminum uſu biennium circiter a paſſione liber fuiſſet, largioribus variiſque cibis ac cupediis paſtus, ceteroquin otioſus, laſſitudinem membrorum & anguſtiam præcordiorum, cordis palpitationem, preſſionem ac dolorem ſub coſtis ſpuriis, jam antehac paſſim parte dextra dolentem, ſe ſenſiſſe: qui affectus una cum flatibus, torminibus, ructibus atque alvi adſtrictione, ſæpiuſcule redirent. Quibus malis ut liberaretur, ad medicamenta domeſtica confugit, quibus autem non ceſſit, ſed invaluit potius ægritudo adeo, ut interdum ducere ſpiritum vix poſſet: mane inprimis amaro tetroque ſapore ac abundante, qui ore diffluebat, limo atque conatibus vomendi ſtimulatus fuit. Tum mane plerumque vomitus ſubſecuti ſunt, non ſine male habentis anxietate, aliquot demum hauſtibus ſpiritus vini aut frumenti ceſſante. Cum fruſtra eſſet, quicquid domeſticorum remediorum adhiberetur, commiſit ſe curationi empirici cujuſdam, qui, corpus tantummodo purgandum eſſe ratus nihil effecit amplius, quam ut vires ægroti proſternerentur. Quem ſecutus alius ejuſdem ſortis homo corroborantibus medicamentis vomitus compreſſit, pollicitus, dolores ſucceſſu temporis acquieturos. Factum tamen eſt, ut, paucis hebdomadibus interjectis, ægrotus, ut antea, vomitibus agitaretur. Cum itaque familiaris illi factus eſſet iſte morbus, nihil præter pilulas communes, ſæpe diuque jam uſurpatas, quæ alvum aut aperirent, aut apertam conſervarent, oppoſuit. Quoniam vero poſt aliquod temporis intervallum alvi obſtructio pertinacior, vomitus quoque crebriores, medico uſus eſt eo uſque felici, ut rarius vomeret, & dolores mitiores eſſent, meliorque digeſtio. Sed abrupit æger curationem hanc, quæ nimis diuturna viſa eſt; inprimis cum accepiſſet, eſſentiam dulcem eſſe medicamen plane miraculoſum, aliquandiu ea uſus eſt largiori doſi, ſed abſque ſucceſſu. Vocavit igitur denuo in conſilium medicum, quo conſtanter uſus eo uſque redivit ad valetudinem, ut malum, apertis hæmorrhoidibus internis, prorſus ſublatum eſſet.

Sup-

Suppreſſis poſtea iiſdem ſupervenit priſtinus morbus tanta vehementia, ut recuperationem valetudinis, præſertim cum medicus ille, peſtilentia an. 1710. *in Curonia graſſante, e vivis abriperetur, deſperaret. Ita nihil morbo admovit præter paucula quædam, quæ mitigare dolores, & aperire alvum adſtrictam poſſe viſa ſunt. Vires interim ſenſim exaruerunt, & conjugii cupiditas, ante flagrans, imminuta. Ut eo ſolertius curaretur, virginem nobilem, ætate provectiorem, duxit, quæ ſingulari quadam cum providentia medicaminum & enematum quotidiano uſu non mediocre aſſecuta eſt allevamentum. Hæmorrhoides enim triennium occluſæ fluxus repetierunt, uti moderatis doloribus infirmus ille noſter ſupra annum melius haberet. Poſt autem, ubi nimio cibo repletus eſt, ſiquidem perpetua fuit appetentiæ viciſſitudo, flatus, cruciatus & calorem ſenſit, atque quotidie aliquoties evomuit. Malo igitur quanquam in dies ingraveſcente, ægrum tamen ſpes conſolata eſt, etſi cum valetudine penitus reconciliari non poſſet, fore tamen, ut, doloribus enervatis, vita aliquandiu frueretur. Incidit itaque demum in quoſdam medicaſtros, qui cum fruſtra eſſent, in medicum, qui inter alia aquam menthæ ac herbam menthæ ex cereviſia coctam quotidie ad potum commendavit. Quo factum eſt, ut alvus adeo obſtrueretur, ut enemata, quibus alias ſoluta erat, effectum fere denegarent, atque invaleſceret vis convulſionum cum tanto virium defectu, ut ſæpius animo ægrotus linqueretur. Quemadmodum autem ita fieri aſſolet, ut nihil inexpertum relinquamus, ſi quod ingruit vitæ diſcrimen: ita hic etiam aliud ſuper aliud in ſubſidium vocavit, ſecutus imperitorum non minus, prout obvenerunt, quam peritiorum conſilia. Ex quo evenit, ut aliquando ex medicaminibus volatilibus aliiſque calidioribus adeo ille male affectus eſſet, ut moribundi loco eſſet habendus, ipſe quoque certum haberet, nunc illi moriendum eſſe; præſertim cum ad aures ejus perveniſſet, medicum quendam hariolatum eſſe, vix ſuperaturum ægrotum dimidiam anni partem, apoſtemate enim laborare. Cujus prædictum cum eventu deſtitueretur, me invaletudinarius ſub finem februarii anni* 1716. *arceſſi jubebat, atque mecum, qui veneram, lamentabili voce, quæ admodum aſpera erat, conquerebatur, ſe angi torminibus diris in omni ventris infimi ambitu, maxime tamen ſubter umbilicum, præterea doloribus in ſpina dorſi, capite &c. una cum difficili reſpiratione, ſingultu, tractibus & trepidatione membrorum omnium. Cum tormina paroxyzantia inciperent, veſperi peracerbiſſima, & quæ duratione maximam noctis partem adæquabant, abdomen ſurſum, umbilicus intro detorquebatur. Quibus convulſionibus miſer homo, vermis inſtar quaſi in arcum ſinuatus, ejulatu & clamore conficiebat tempus. Corripiebatur quoque horrore quodam & calore, qui affectus priuſquam deſinerent, ingenti iteratoque vomitu conquaſſabatur, quem tanta inſequebatur laſſitudo, ut nec manus nec pedes. Humor, qui vomitu largiter protrudebatur, in ore, quod propter halitus fœtorem nemo accedebat propius, aci-*

ci-

cido tetroque ſapore ſentiebatur, ac viſcidus erat, plerumque cibo intermixtus, colore inſolito, odore fœtido. Obſtructa alvus, neque ſolubilis, niſi enematibus fortioribus, quamvis crebriori egerendi cupiditate. Cumque feces, mucoſa ſæpius materia, pauxillo ſanguine quandoque tincta, non ſine difficultate rejicerentur, inteſtinum rectum prominebat, digitorum ſubſidio reprimendum. Urina, quæ etiam difficulter reddebatur, tenuis erat, aquæ ſimilis, alias craſſa atque rufa. Poſtquam igitur æger, annos natus quadraginta quinque, intervallo annorum quindecim ab his morbis per vices divexatus, atque poſtremo ita invaſus fuerat, ut biennio affixus lecto fuiſſet, virium pene nihil ſupererat, facies Hippocratica, propenſiones in deliquia, animus triſtis & timidus, alias nonnunquam impatiens, & re quavis leviſſima facile excandeſcens. Valetudinem recuperandam cum deſperaret, id unice rogitabat, ut, ſi quid aſſiſtente Divina gratia juvari poſſet, commotionum vehementia dolorumque acerbitas leniretur.

DILUCIDATIO.

SI non ſemper homines, quoties eorum valetudo periclitatur, a multis ac multiplicibus morbis ſimul vexantur, non raro tamen, teſte experientia medicorum, id fieri ſolet; egoque arbitror, hunc etiam ægrotum pluribus uno laboraſſe morbis, tum propria, tum medicaſtrorum culpa, temporis ſucceſſu, contractis, quibus per multos annos corpus valde depravatum ac enervatum eſt. Quanquam vero aliquot hunc ægrum morbi occupaverunt, habuerunt tamen communitatem invicem haud exiguam, & unam potiſſimum radicem; poteſtque affectus hic complicatus uno certoque nomine indicari: quod ſi exigas, colicam ſanguineam aut potius volvulum ſanguineum appello, atque, ita fuiſſe, evincere conabor. Explicatione verborum ſuperſedere poſſe, perſuaſus ſum, cum in lexicis multiſque diſputationibus, de colica & ileo ſcriptis, voces illæ ad nauſeam evolutæ ſint, &, ut jam Galenus lib. 3. de differ. pulſ. c. 1 monuit, de nominibus laborare ſit operam ludere. Volvuli autem notio ideo magis placet, quod hæc affectum preſſius indicat; dum enim certum habeo, illum in ſubliniori colicæ gradu conſiſtere, & Alexandrum Trallianum evolvo, qui lib. 10. p. m. 589. aſſerit, nihil aliud eſſe ileum, quam colici affectus intenſionem & incrementum, ille affectus optimo jure appellari poteſt volvulus: vox εἰλεῦ autem ab interpretibus, quos ego quidem conſului, volvulus ſive convolvulus redditur. Qua notione græcis, eadem etiam latinis audit, quod nimirum inteſtina, quæ in ſtatu naturali obſcure verſus inferiora moventur, hic manifeſte volvi, id eſt, ut Muſitanus oper. tom. 1. p. 249. cum aliis explicat, verſus ſuperiora moveri, ſeu, ut

Celſus loquitur, verti videantur. Neque obſtat, quod morbus non in inteſtino ileo reſideat potiſſimum; ſi enim dolor violentus & perſeverans, vomitus frequens & alvi conſtipatio pertinax, ilei nomine a medicis, notante Chenau obſervat. l. 3. p. m. 256. & ſeqq. vocatur affectus. De cetero ſatis notum eſt, nomine ilei Hippocratem ceteroſque medicorum majores omnia ventris tormina indicaſſe, prout id Mercurialis variarum lectionum lib. 5. c. 1. innuit: atque Tiberii principatu, teſte Plinio lib. 24. c. 1. nomen coli, id eſt, colici affectus, ut Harduinus & alii interpretati ſunt, innotuiſſe, quo nomine etiam, Galeno auctore 2. de loc. aff. c. 2. & ſqq. quivis dolores vehementiſſimi, in quibuſcunque ventris partibus evenerint, comprehenduntur. Quodſi porro affectum hunc volvuli ſanguinei nomine denotem, liberum mihi atque integrum fore arbitror: eodem enim id jure fecero, quo quidam colicam humoroſam, ſcorbuticam, nephriticam, ſaturninam, aliique aliter ex cauſæ ratione appellant; quanquam non adeo eſt uſitatum, colicam ſanguineam ſeu volvulum ſanguineum ſtatuere. Neque id facile invenias apud ſcriptores antiquos, præterquam apud Hippocratem libro de internis affectionibus. Videtur autem iſta deſcriptio ſubobſcura, torſitque interpretem non parum, quid ſenex nomine ilei, atque ſpeciatim ilei hæmatitis intellectum voluerit. Si quis autem loca, quibus ilei fit mentio, recte excuſſerit & explanaverit, ille ſane, ſi quid judico, celeberrimus Stahlius erit, cujus hoc abunde teſtatur diſſertatio, de motu hæmorrhoidum internarum inſcripta, ex qua apparet, Hippocratem per ileum hæmatiten affectum torminoſum propter cauſam ſanguineam, ſive, ut clariſſimus Alberti in diſputatione de colica hæmorrhoidali explicat, a cauſa ſanguinea pendentem, ſimulque affectum hypochondriaco-ſcorbuticum denotaſſe. Quodſi in ægroto taliſmodi morbus offenditur, ſpecialius ille & autoritate ipſius Hippocratis ileus hæmatites ſeu volvulus ſanguineus dici poteſt. Poſt Hippocratem, quantum ego quidem ſciam, de ileo hæmatite nemo præter Stahlium modo laudatum aliquid digni ſcripſit, qui tum univerſæ arti medicæ, cum vel maxime huic negotio lucem affudit illuſtriſſimam, multoſque meliora docuit. Neque immerito mireris tot medicos, tanto tempore, interque tot conatus, de hac re nihil ferme attigiſſe, cum colica taliſmodi ſanguinea quam Stahlius hæmorrhoidalem vocat, tum ab illo tum ab aliis ſæpe in regionibus calidioribus obſervata ſit; in frigidioribus vero, exempli cauſa, in Livonia, tam raro, quam hæmorrhoidalis fluxus, obveniat. Itaque Hippocrates, patet ille artis ſalutaris, cum nihil ſit cum origine perfectum, ſi quid deſiderari poteſt in illa deſcriptione, merito ſuo excuſandus eſt.

Quemadmodum vero ſenex nullam, cur ileum hæmatiten diceret, rationem reddidit: ita nec opus eſſe arbitror, ut ego circa denominationem affectus ſim admodum ſollicitus atque longus. Rem itaque ipſam ag-

aggrediar & affectum, qui volvuli ſanguinei nomine mihi venit, breviter ſtrictimque deſcribam. Eſt affectus abdominis & inprimis inteſtinorum convulſivo-dolorificus, a ſanguine ſuperfluo, acri, in venis, ſpeciatim hæmorrhoidalibus internis, ſtagnante, diſtendente vaſa, vellicante fibras nerveas &c. originem ducens; vomitu alvique conſtipatione ingenti ac aliis diris afflictionibus valde exacerbatus atque pertinax. Ipſi Hippocrati ileum hæmatiten fuiſſe affectum torminoſum, laudatus Stahlius in diſſertatione de motu hæmorrhoidum internarum aſſerere non dubitavit. Quamvis enim ſenex libro illo, quem de internis affectionibus inſcripſit, ubi agit de ileo, tormina non memorat, inde tamen colligi non debet, ileum non eſſe affectum torminoſum. Ipſo enim nomine talem ille affectum indicare voluit, hinc non opus fuit fuſior commemoratio: quid? quod alibi, ubi ilei meminit, tormina & dolores enumerat, quod teſtatur lib. de flatibus p. 407. tom. I. popularium 3. p. 719. tom. I. de morbis 3. p. 105. tom 2. juxta editionem Lindenii. Galenus in 3. aphor. 22. & antiquorum medicorum nonnulli, quibus hodienum quidam adeo aſſentiunt, ut ab eorum ſententia vel latum unguem diſcedere piaculum exiſtiment, arbitrantur proprium id unice maximeque, & quod nunquam ſejunctum ſit, eſſe ileo, quod nihil ad inferiora deſcendat, niſi forte liquida quædam & ſeroſa. Quando vero Hippocrates lib. de intern. affection. jam citato, p. 254. tom. 2. dicit, cibos crudos ſecedere, quoſcunque ingeſſit æger, & popular. 3. p. 719. tom. I. ubi mulieris volvuloſæ apud Tiſamenem decumbentis ſtatum deſcribit, ſeceſſus crudos, tenues, quamvis paucos appellat; teſte inſuper noſtri temporis experientia, interdum colica cum alvi fluxu concurrit, certum omnino indubiumque videtur, naturam atque indolem hujus morbi non conſtitui ab excrementorum retentione, ſed convulſione infimi ventris ac inprimis inteſtinorum dolorifica. Quod enim nulla eſt colica, qualiſcunque ea ſit, niſi ſit morbus convulſivus, id ipſum eſt, cur convulſio, quæ miris modis & gradibus alias differt, illi certo modo propria & eſſentialis, ſeu ut loqui vulgo ſolent, affectio generica dici poſſit. In hoc itaque affectus ægroti noſtri cum omnibus colicæ ſpeciebus conſpirat, quod affectus abdominis & inprimis inteſtinorum convulſivo-dolorificus eſt, ubi videlicet motus inteſtinus, qui periſtalticus ſeu circumpreſſorius dicitur, & in ſtatu ſano obſcurus verſus inferiora videtur, exacerbatus, inverſus & quocunque modo ita præpoſterus eſt, ut dolores vehementiſſimi excitentur. Niſi enim ſint acutiſſimi & fere intolerabiles, a Galeno aliiſque non cenſentur colici. Quodſi vero quidam vellet omnia omnino ventris tormina pro colica habere, non video, quid obſtet, cum & veteres medici non extremi ſane ordinis, prout jam ex dictis conſtat, idem ſtatuerint. Quanquam hodie ad colicam non referuntur ea tormina, quæ in ſubjectis ſenſibilioribus e levibus diætæ vitiis exorta ſunt, ubi forſitan cibos, quos flatus

ſubſequuntur, carnem pinguiorem aut aliud tale ſumſerunt, affuſo potu frigido, qualia tamen tormina ſunt mitiora nec diu durant. Noſtrum autem ægrotum, quod hiſtoria teſtatur, motus convulſivi admodum vehementes aggreſſi ſunt, abdomen quippe verſus præcordia adeo agitatum & umbilicus intro retractus fuit, ut vermis inſtar decumbens inflexus, quamdiu cruciatus iſti continui perdurarunt, ab ejulatu & clamoribus non potuerit ſe cohibere.

Non eſt, quod multis oſtendam, in noſtro affuiſſe convulſiones atroces; ut vero illud æque ac hoc ſatis pateat, hanc nempe colicam ab aliis ſpeciebus differre, præcipua ea, quæ ſignorum vicem obeunt, ex hiſtoria repetam. Tormina illa non vaga, ut in alia colica, ſed fixa circa meſenterium maxime fuerunt, multos annos permanſerunt, & per aliquod tempus intermittentia, ſummo cum impetu & per paroxyſmos quaſi redierunt. Præter hæc obſtructio alvi cum teneſmo contumacior facta eſt, ubi, enematibus nonnihil aperta fuit, ſæpius materia mucida, quandoque ſanguine pauculo tincta, excreta eſt, prominente inteſtino recto: urinæ etiam difficultas ægrum ſollicitavit. Vomitus valde accrevit, ac poſtea materia vomitu extruſa fœtuit, in ore fœtido acidum ingratumque maxime guſtum relinquens. Flatus fuere mitiores, ſed fortior ſingultus, reſpiratio difficilis, calor quaſi febrilis, præcordiorum capitiſque dolor. Priuſquam tormina noſtrum invaſerunt, inter alias paſſiones ex abundantia ſanguinis ſubortas, preſſionem ac dolorem ſub coſtis, inprimis dextro latere, paſſim ſenſit; verbo, malo hypochondriaco affectus fuit, atque poſtea, quam antea non ſenſerat, colicam contraxit, eamque non acquieſcentem, uſque dum, hæmorrhoidibus apertis, ſanguis per alvum deceſſit: quod malum remediis, qualia ſunt purgantia aliaque ordinaria, contra colicam valentia, non tantum non ceſſit; ſed potius, addito quaſi novo robore, invaluit. Ubi contra mitiora media adhibita fuerunt, eaque talia, quæ fluxum hæmorrhoidalem excitarunt, ceſſavit malum, atque durationi fluentium hæmorrhoidum dolorum quies reſpondit. Ex quibus intelligitur, in hoc affectu alia quædam, quam quæ colica vulgaris alit, pluraque & iniquiora ſymptomata extitiſſe, atque eum non tantum eſſe inſignem colicæ gradum, qui prope admodum abſit a ſummo illo gradu, ubi maxima & perpetua eſt alvi conſtipatio, omniaque per os redduntur recrementa; ſed quid differat hic affectus ab omnibus aliis colicæ ſpeciebus. Equidem in hoc potiſſimum diſcrimen illud concipitur, quod hic affectus eſt morbus plane atrox & pertinax; ſiquidem ſemel aut bis jam placatus & acquieſcens omnino, eadem prorſus, imo majori vehementia rediit, neque partibus remotioribus & exterioribus pepercit. Cum his de volvuli ſanguinei a colicæ vulgaris diſcrimine conſpirant, tum quæ tradit Hippocrates lib. de intern. affection. p. 255. tom. 2. ubi de ileo agens ait, morbum hunc multa curatione opus habere, gravem

vem enim eſſe, & multis jam ſanis factis poſt duos annos reverſum eſſe, tum quæ recentiorum, præprimis Stahlii ſparſim in ſcriptis ſuis, obſervationes ſuppeditant,

Porro ex ſuperioribus eluceſcit, inteſtina, ventriculum, hepar, veſicam urinariam ac reliquas abdominis, imo remotiores & omnes fere corporis partes, quaſdam magis, quaſdam minus, affectas fuiſſe in noſtro; cauſam vero materialem primariam non intra inteſtina, in interna nempe ſuperficie, alias quæ ventrem ſolverunt, atque feces copioſe eduxerunt, levamen attuliſſent certiſſimum, ſed, quod apparet, ſi omnia phœnomena recte conſideres, intra venam portæ atque connexa vaſa, hæmorrhoides præſertim internas ac inteſtinorum membranas, ſedem habuiſſe. Rem ſane arduam eſſe, partem primario affectam cognoſcere, quod intus latet, nec oculis apertum eſt, commonſtrant quorundam & veterum & recentiorum medicorum diverſæ ſententiæ. Vulgo putant, colicam in inteſtino colo, ileon in ileo reſidere; verum ſi examines Hildani aliorumque de hac re obſervationes, certum exploratumque eſt, materiam peccantem non facile locum determinatum, ut colon ſolum aut aliud inteſtinum, ſed ſæpe totum canalem occupare. Neque deſunt obſervationes, colicæ cauſam extra inteſtina hærere, quas ut allegem, non opus eſt, præter unicam, obſervationum Riverio communicatarum 4. a Chomelio, qui invenit multam pituitam vitream externæ inteſtinorum tunicæ adhærentem, & per totam eorum longitudinem fruſtillatim diſperſam in cadavere ægræ, cui dolores colici neque clyſteribus, neque purgantibus ac ejuſmodi aliis, ſed tantum balneo tepido ſedari potuerunt. In venis autem & cordis ventriculis nullum ſanguinem invenit, quia natura extremo conatu totum ad inteſtina detruſerat. Meſenterium inprimis inter alios a Williſio oper. tom. poſter. 323. pro genuina colici morbi ſede habetur, cum in illo plurimi nervi & magni eorumque plexus & diſtributiones valde inſignes ſint: cumque hæc pars admodum ſenſilis & humorum affluxionibus plurimum obnoxia, nulla certe regio corporis ad motus varios & convulſivos videtur aptior. Hæmorrhoidalem etiam & meſeraicas venas, nec non ipſum portæ truncum copioſiſſimi nervi, tum a plexu hepatico tum a meſentericis prognati, arcte amplectuntur, ſine dubio conſtrictionum ſpaſmodicarum in ſtatu p. n. autores, juxta Salzmannum in diſſert. de vena portæ. Recenſionem plenam ac inveſtigationem partium affectarum merito hic omitto, quas qui examinare intendit, adeat anatomicorum, Salzmanni, Heiſteri, Ruyſchii, Vieuſſens, ſcripta accuratiſſima. Paulo clarius tamen hæc omnia patebunt, ſi cauſæ conſiderentur, quarum tractatio cum illa de ſede morbi neceſſarium habet nexum, ideo ad eas nunc pergimus.

Negari non poteſt, cauſas morborum eſſe longe abſtruſiores, quam quæ humanæ mentis acie perſpici poſſint; ſed hæc difficultas non eſt perpetua aut abſoluta, ſæpe enim in ægroto culpa eſt obſcuritatis,

 qui

qui aut non poteſt aut non vult medico aperire, quod aperiendum erat. Culpæ quidem noſter argui poteſt, quod ea, quæ nocuerunt, & priorum paſſionum phænomena ignoravit; omnibus vero, quæ hic ſe offerunt, circumſtantiis paulo accuratius conſideratis, haud videtur eſſe diſſimile vero, cauſam morbi primariam materialem extitiſſe ſanguinem ſtagnantem in abdominis vaſis, & primum quidem in hepate dubioque procul potiſſimum in vena portæ. Hoc viſcere non facile procedit ſanguinis curſus, quod vena portæ munus quodammodo arteriæ ſuſtinet, nec affectionem arteriæ perfectam habet, neque valvulis circulo ſanguinis ſuccurrentibus inſtructa eſt, quales ſunt in ramis venæ cavæ, & quod ſanguis, qui natura craſſus eſt, ex amplioribus ramis in anguſtiores tubulos difficulter movetur, hinc levi ex cauſa & ſi modo abundans in motu ſuo impeditur, & aliquatenus ſtagnat. Primum in noſtro ſtagnationem, aut certe motum impeditiorem ſanguinis in vena portæ ac hepate, ideoque malum, quod vocant hypochondriacum, extitiſſe, præter alia indicia preſſio & dolor in dextro hypochondrio arguunt: quod malum, ſi ſanguis per venam hæmorrhoidalem internam ope inteſtini recti excretus eſſet, ceſſaſſet omnino; prout plurium medicorum ſuffragio Solenander, conſil. p. 374. obſervavit, illos, qui hepate laborant, maximam partem curari per hæmorrhoides. Quorum fluxus cum in noſtro non ſubſequeretur, ſtagnatio ſanguinis, affluente ſubinde novo ſanguine, adeo accrevit, ut vaſa venoſa maximeque hæmorrhoidalia, imo membranæ inteſtinorum craſſorum & inprimis recti diſtenderentur, atque paſſim partes quædam coarctarentur, & convulſiones excitarentur. Hic conferri merentur, quæ recenſet Veſalius lib. 5. c. 15. p. 415. de humani corporis fabrica, & Kerckringius ſpecileg. obſervat. 50. ille enim in cadavere quodam animadvertit, venæ portæ ramum, ſub coli inteſtini fine & tota recti longitudine in meſenterio ductum, pollicis fere craſſitiem æquaviſſe, atque ſanguine turſiſſe, hic in uno vaſe, nempe in uretere, & dilatationem & coarctationem vidit. Extra dubium poſitum eſſe arbitror, motum ſanguinis in abdomine impeditum preſſo pede in noſtro venarum dilatationes, uberiores humorum affluxiones, atonias partium, craſſities & ſtagnationes ſanguinis ſecutas eſſe. Sanguis autem opus habuit, ut cum majori impetu moveretur, ideo motus tonicus etiam auctior fieri debuit, cumque ille non facile propelli & excerni potuit, non ſolum venas magis magiſque dilatavit, ſed per vaſa in inteſtinorum ſubſtantiam ſenſim confluxit, nec ſtatim dolorem effecit, donec ſufficienti copia cumulatus tunicas diſtendit, ac nervorum ſtrictura, tenſiones muſculorum, convulſiones & variæ paſſiones orirentur, neceſſe fuit: quales crebrius occurrunt fœminis ex retentione menſtruorum. Novi matronam generoſam, ſanam & vegetam, ſed, quoties ſanguine menſtruo non exſolvitur, vehementibus abdominis convulſionibus cum adſtrictione alvi, vomitu & magna animi anxietate, expoſita

eſt,

eſt, neque prius tali affectu liberatur, uſque dum ſanguis fluit. Obſervatum eſt ſatis, ſi in dextro hypochondrio pathemata magis ſentiantur, accedere communiter affectus colicos, prout apparet ex Juncker. conſpect. med. p. 184. A ſtagnatione autem ſanguinis in vena hæmorrhoidali atrocia pathemata & tormenta colica, præſertim ſi per venas ſedis exitum non habet, procreari, celeberrimus Hoffmannus med. ration. ſyſtem. tom. prior. p. 139. aſſerere non dubitavit. Quod vero ad cauſam efficientem attinet, quæ a materia ſejuncta eſt, non eſt, ut arbitror, quod magnopere ſe angat medicus: ſufficit, quod planum eſt, ſpiritum & corpus ex ſumma ſapientiſſimi Numinis ſapientia conſtituere hominem; ſpiritum eſſe, qui agat, corpus, quod patiatur, atque illum variis miriſque modis, ut teſtantur affectus animi, vim ſuam in hoc exſerere. Quo vero modo in corpus agat, totque variæ oriantur actiones, doctiſſimus quiſque mavult doceri quam docere. Obvia humorum ſtagnatione, ut ex dictis jam conſtat, aut alio circulationis impedimento, major omnino vis requiritur ad humores per arcta vaſa propellendos: quod num ſola partium diſpoſitio & textura ſine anima præſtet, quæ inter tam arctum intercedit connubium quaſi, ut arctius eſſe nequeat, ſapientes judicent. Id certum eſt, animi indoli corporis conſtitutionem reſpondere, quod apparet in viris effœminatis, qui quemadmodum viciſſitudine iræ, timoris, triſtitiæ, gaudii, agitantur, ita facile morbis patent.

Inter cauſas remotas præcipua procul dubio eſt abundantia ſanguinis, quam in ægroto extitiſſe, præter alia in hiſtoria recenſita, laſſitudo membrorum atque anguſtia præcordiorum, nullo alio præſente morbo, indicant, quo malo plethoricos, ceterum vegetos, infeſtari dies, docet. Inprimis illi anxietudinem quandam ſentiunt, qui motionem aut laborem antea quotidianum intermittunt; difficilemque reſpirationem, ſi plus, quam ſolitum eſt, corpus movetur. Quamdiu noſter peregre fuit, &, quantum ſatis eſt, commotus, aut parum aut nihil ejus valetudinem ſollicitavit. Ubi autem, prout par eſt, non fuerit impenſa illa abundantia, non potuit non corpori eſſe noxia, quod ſanguis nequivit debite circulari, ac, ut ſpiſſior fieret atque ſtagnaret, facile fuit. Facilius potuit oriri ſanguinis abundantia, quod fuerit temperamento ſanguineo, gracilique corporis habitu, ut ideo abundantiſſimus ſanguis in venis eſſet, ea etiam ætate, qua ſanguis largiſſimus eſſe ſolet. Unde plethora facile admodum damno eſſe potuit; præſertim cum a puero tenero debilique eſſet corpore. Utrum natura hepar fuerit infirmum, prout raro quiſquam, Celſo teſte, non aliquam partem corporis imbecillam habet; an plethora exceſſerit, & quidem vena cava adeo ſanguine plena & turgida fuerit, ut ex hepate ſanguinem recipere nequiverit, definiri non poteſt. Forſitan non immerito ſuſpiceris, ſingularem in ægro vaſorum abdominis ſtructuram eſſe. Hoc enim quam maxime notari meretur,

tur,

tur, mirum naturæ luſum uti circa vaſa in genere, ita etiam circa venam portæ, brevia & reliqua abdominis vaſa obſervari, id quod Salzmannus celeberrimus anatomicus Argentoratenſis, plus una vice ſe vidiſſe, in diſſertat. de vena portæ, affirmat. Hinc juxta diverſitatem & inſertionem venæ hæmorrhoidalis internæ, quæ frequentiſſime ex ipſo venæ portæ trunco, ſæpius e ſplenico & rarius e meſaraico ramo exſurgit, pathemata in ſanguinea colica præcipue eſſe diverſa atque mira, probabiliſſimum ſane videtur. Conſtat, quoſdam, ceteroquin firmos, colica fuiſſe afflictos, cujus cauſa neque adhibitis remediis ceſſit, ſed invenerunt demum medici, quod clariſſimus Albinus & alii obſervarunt, diſpoſitionem partium peculiarem in cauſa extitiſſe. Optandum, ut ſæpius, quam hucuſque factum, cadavera ſecarentur, hac enim via major certe lux medicinæ affunderetur; quod tamem præpoſtera impedit mortuorum exiſtimatio, non tamen eo uſque efficaci, quin cadavera corrumpantur, vermibuſque pabulo fiant.

Multum plethoram, cacochymiam, ipſumque morbum perverſus rerum nonnaturalium uſus adjuvit. Infarciti ventriculo intemperanter cibi fuerunt, ita, quod plerumque fieri ſolet, præparati, ut appetitionem magis magiſque alerent, atque ad alium poſt alium cibum allicerent, quibus non potuit non plethora oriri, impedimentum actionum, ſecretionis, excretionis, reſpirationis, cauſa ſtagnationum & corruptionum: quod illa quoad pondus ſuum conſtanter aggravat vires naturæ, & viribus frequenter delaſſata natura ordinariis functionibus tam ſufficienter propellendo ſanguinem, quam congrue deputando eundem, ac ſe- & excretiones adminiſtrando & continuando haud ſatisfacere poteſt, adeoque varia & conſiſtentiæ & craſeos in humoribus vitia oriantur neceſſe eſt. Idque eo magis in noſtro contingere potuit, cum ille pro more ſæpius cibis craſſis, muriaticis, fumo induratis, iiſque nimiis veſceretur, qui neque rite digeri, neque ſecerni potuerunt, unde cruditates & variæ nocentes particulæ, inprimis acidæ, humoribus inſpiſſandis & coagulandis aptæ, ad interiora pervenerunt; quod auxit abuſus aromatum & ſpirituoſorum, per quem nimia commotio in ſanguine tam ſpiſſo excitata eſt. Stomachus, cibo potuque nimium repletus, doluit, ut, quod vulgo dicunt, cibi lapidum inſtar premerent, quod ex eo potiſſimum oritur, ſi cibi plenis buccis nimiſque avide devorantur, neque temporis quantum ſufficit, iis maſticandis ac ſaliva miſcendis impenditur, ſpiritus quoque vini inſuper bibitur. Cepit enim vulgo homines error iſte, ut ſpiritum vini & frumenti digeſtioni conducere opinentur; quanquam contra malum inde potius augetur. Ventriculus ſalivali latice deſtitutus cibos intactos relinquit, & cruditates in primis viis collectæ plethoram morboſam, multaque incommoda alia producere ſatis valent. Ut taceam, cibum ferme nullum eſſe, quin ſal quoddam contineat, cereviſiæ autem & vina manifeſtum acidum

dum alant. Quodſi intempeſtive ac in nimia quantitate diverſi generis ſalia continuatis vicibus ingerantur, quis dubitabit, ſanguinem & humores reliquos inde ſalina potentia non imbui atque impraegnari. Si examinemus porro externa, quae materialiter influunt in corpus noſtrum, & ad ejus conſtitutionem faciunt, liquidiſſime deprehendimus, aerem frigidum, humidum & exhalationibus maris inquinatum, corpori aegroti noſtri nocuiſſe, dum aer ille ad coagulationem & ſpiſſitudinem humores diſponit, & ſcorbutum producit, qui, ut regionibus frigidioribus omnibus, ita Livoniae familiare malum eſt: & id quidem in noſtro eo magis evenit, quo minus ſeſe movit, & pro more plethoricorum quietem & otia amavit; motum e contrario & exercitium debitum ac laborem, qui poſt lapſum optima hominum naturaliſque prorſus eſt medicina, neglexit. Defectu motus externi voluntarii non tantum reſpiratio, cujus ope ſanguis intra pulmones cum aere mixtus attenuatur, & ad actiones corporis obeundas aptior redditur, impeditur, ſed etiam tota humorum circulatio haud rite procedit, atque variae paſſiones progignuntur: quod hominibus multi laboris, quales ſunt ruſtici navigatores, non obvenit.

Haud parum ineptae curationes ad intenſionem & durationem morbi contulerunt: latuit enim cauſa empiricos, ſymptomatum ſaltem rationes habentes, nimia purgantia, aloetica & roborantia medicamina variaque calidiora adhibentes, quae in colica e ſanguinis ſtagnatione orta non tantum uſui eſſe non potuerunt, ſed quod effectus demonſtravit, convulſionum vim intenderunt, vireſque corporis enervarunt. Mentha quidem inter ſpecifica contra colicam a Sydenhamio aliiſque numeratur, quae vero neutiquam, ut Junckerus conſp. med. p. 572. monet, pro abſolutis habenda, ſiquidem virtutem debitam ſecure certeque non praeſtant. Menthae aqua & decoctum omnino, quod nimis adſtringens, alvi adſtrictionem adauxit, ipſique malo incrementum ac robur dedit. Eſſentia ſic dicta dulcis, quae propemodum pro univerſali medicamine habetur, quamque ſumſit aliquandiu noſter, ad augendum morbum nihil contulit, quoniam nihil inde detrimenti ſenſit, quamvis largiori doſi infuſa. Quidam enim paſſim in Saxonia & hic Regiomonti dimidiam unciam illius eſſentiae una vice exſorpſerunt, non majore damno, quam ſi tantillum Hiſpanici aliuſque boni vini ſumſiſſent. Interim non poſſumus ſatis conqueri, tantam eſſe quorundam levitatem, ut magni faciant peregrina, artificioſa, ſplendida, pretioſa, quamvis fraus facile deprehendi potuiſſet. Ut taceam, quae medici praeſtantiſſimi jam dudum de mediis ſpecioſis ſenſerunt, atque excellentiſſimus Hoffmannus ſaepe & haud pridem praefat. cit. lib. in contrariam partem diſputavit, fieri non poteſt, ut morbi medicamine quodam, abſente medico & in conſilium non vocato, curari poſſint, dum naturae ac circumſtantiae adeo diverſae ſunt atque mutabiles, ut dici vix queat, medicoque praeſenti

vel dexterrimo negotium faceſſant, ac multum difficultatis pariant. Ipſe Hoffmannus ſancte affirmat, ſe antea mirifice inhiaſſe chymicis, atque ubivis fere arcana conquiſiviſſe; poſtea vero longe aliud per attentam experientiam expertum eſſe, domeſtica nimirum ac ſimplicia majoris & certioris eſſe efficaciæ, omnibuſque ſpecioſis anteferenda. Quod ſi modo medicus genuinas morborum cauſas, & rectas medicamentis ſimplicibus utendi rationes cognitas habeat atque perſpectas, optima tunc habet arcana, & pauca vilioraque omnino ſufficiunt. Maxime vero omnium animi pathemata noſtro nocuerunt, quæ efficacia omnes materiales cauſas longo intervallo poſt ſe relinquunt, quibus ægrotus nimium fuit expoſitus, præſertim cum virili ætate conſtitutus matrimonium cuperet, miris certe, cum haud felix eſſet, affectibus agitatus. Aſſuetudinem denique multum valere ad morbos fovendos & revocandos, omnes uno ore fatentur medici. Et, nullam evacuationem facilius & pertinacius aſſueſcere, quam illam per hæmorrhoides, adeo ut vix ullus huic excretioni bis terve obnoxius fuerit, quin iterum iterumque ejus inſultus experiatur, Stahlius haud ſemel animadvertit.

Cum tot in ægroto concurrerint cauſæ, mirandum non eſt, tot extitiſſe paſſiones, totumque corpus valde depravatum ac enervatum eſſe. Quemadmodum enim actiones in homine quaſi in circulum eunt, id eſt, una actio ab alia juvatur & juvat aliam, omneſque partes ad illas conſpirant: ita qualis chylificatio talis ſanguificatio &c. ſanguine etiam magis affecto, chylus aliique humores ac demum ipſæ partes ſolidæ ita depravantur, ut actiones rite procedere nequeant. Venarum certe in abdomine obſtructionem & atoniam partium convulſiones atque deturpatæ ſecretiones & excretiones ſecutæ ſunt: teſtante id quam maxime urina tenui ac pallida, difficulter reddita. Bilis & ſuccus pancreaticus non potuerunt non remorari, omnes humores remanentibus excrementorum variis particulis nocentibus imbui, glandulæ hinc inde obſtrui, impeditus magis humorum circuitus fieri, & afflictiones exacerbari. Quam ſoli humores crudi & acidi inteſtinis & ventriculo ſint inimici, ut inde flatus, tormina, ructus, oriantur, experiuntur vel ſaniſſima ſubjecta e levi aliquando in diæta commiſſo errore, & ſi modo cibos nimis craſſos aſſumſerint. Quidni particulæ acidæ in ſanguinem delatæ efficiant? tranſpirationem enim maxime impediunt, ſerum reddunt magis viſcidum, ad motum ineptum, unde circulatio tardior, obſtructiones, humores acidi, particulis ſulphureis terreis nupti, acriores, rodentes ac vellicantes fibras minutiſſimas. Quod vero hæ particulæ non continuo, ſed per intervalla, rodant, & convulſiones efficiant, ſive ſaltem adjuvent, inde provenit, quia non hærere nec vellicare poſſunt, niſi adſit obſtructio. Prout itaque, exempli cauſa, ſtagnatio ſanguinis in vaſis hæmorrhoidalibus, accedente nova materia, vel citius vel tardius diſſipatur ſuperaturque, eo vel minor vel major

quo-

quoque paroxyſmus exiſtit. Prolixius hæc omnia potuiſſent explicari, ſi diſſertationis limites excedere voluiſſem, quanquam non poſſim non fateri, explicatus hos præprimis eſſe difficiles ad demonſtrandum, qua ratione ſinguli affectus a cauſis dictis fuerint orti. Interea negari nequit, in initio ab abundantia ſanguinis fuiſſe laſſitudinem membrorum & anguſtiam præcordiorum. Tum a craſſitie & ſtagnatione preſſionem in hypochondriis atque dolorem, anxietatem, cordis palpitationem, ipſam convulſionem totius abdominis, a qua & cruditatibus in primis viis vel ſingulatim vel junctim flatus, dolores abdominis, ructus, alvi adſtrictio, vomitus, horror, calor, appetentiæ proſtratio. Ab humoribus magis magiſque depravatis & acrioribus affectus invaluit, ſcorbutus ortus eſt, fœtor oris, rauca vox. Cumque malum diu admodum duraret, ineptiſque medicationibus increbreſceret, aliæ quoque ac diſſitæ partes per conſenſum partium & præcipue nervorum affectæ ſunt, ipſeque animus læſus eſt, unde dolores in ſpina dorſi & capite, reſpiratio difficilior, ſingultus, tractus atque trepidatio membrorum, ſumma tandem virium proſtratio, triſtitia &c. A tono debilitato & humoribus acribus quoque, accedente ægri conatu egerendi & teneſmo, hæmorrhoidariis ſolenni, procidentia ani profecta eſt.

Supereſt prognoſis, quæ parum læta eſſe poterat: quemadmodum ægrotus ſibi ſuffecturum credebat, dummodo convulſionum dolorumque inde ortorum dira exacerbatio ſedaretur. Affectum equidem potuiſſe & tolli & præcaveri, non erit medicus, qui neget, ſi modo ſanguis, excitato & conſervato hæmorrhoidum fluxu, aut adhibita iterataque debita venæ ſectione, tempore attenuatus atque imminutus fuiſſet. Sed morbus tam diutinus, præpoſtera medendi ratione exacerbatus, ut malum inveteratum robuſtius utique eſſet, proſtratæ præterea ægrotantis vires, ſingultus, colicæ accedens, diri ominis plerumque habendus, & pareſis metuenda, omnem felicis curationis ſpem fere proſcindebant; præſertim frigidiore tum temporis & iniquiſſima tempeſtate. Felicis inſuper eventus prædictioni reclamabat, quod non conſtaret, annon abſceſſus in meſenterio ſive alia abdominis parte exiſteret; quod jam medicus quidam exiſtimaverat, cui haud pauca abſceſſuum exempla, ab anatomicis annotata, ita præſagiendi occaſionem præbuiſſe videntur. Hinc Baglivius prax. med. l. 7. inquit, colicam quandoque, ſi fixa eſt & febris adeſt, in abſceſſum abire ſolere. Et quamvis abeſſet abſceſſus, atque morbus curari poſſet, brevi tamen tempore fieri non poſſet, ſed eo longius requireretur, quo plura viſcera depravata, tonus partium ſolidarum magis laxatus, vix aut ne vix quidem integritati reſtituendus.

CURATIO.

Quoniam pagellæ anguſtia excludor, neque ulla neceſſitas magnopere urget, ut definiam, quo modo & quo ordine ſingulis diebus tam diu, quoque eventu ſint media ægroto adhibita, ſtrictim indicata ſeu medicamina, quæ præbui, & quid præcipui durante curatione contigit, enarrabo. Et, ut ordine, quo par eſt, incedam, indicationes, quibus reſpondit curatio, ſimul memorabo, idque eo magis, quo pluribus in noſtro indicantibus reſiſtendum erat. Cum debilitas virium, tum omnibus facile morbis, tum iis maxime obnoxia, ubi proclivitas ad lipothymiam ipſaque lipothymia adeſt, ſeſe proderet inſignis, par erat, ut ei primum occurreretur. Igitur præter juſcula, opportune ſumta, roborantia quædam temperatiora & ſuaviter humectantia, ut liquor balſamicus ex oleis æthereis, tinctura florum, ut dicuntur, cordialium, cum aqua cinnamomi ſine vino, roſarum, liliorum convallium, quod pluribus ex cauſis alia non ſuppetebant, exigua doſi aliquoties quotidie dabantur. Quæ quamvis vomitu reddebantur, non tamen intermittebantur. Nonnunquam inter hæc vini Rhenani tantum, quantum unum alterumve cochleare capit, ſorbebat, non infelici ſucceſſu: neque minus externe ſpiritu vini camphorato & leniter crocato abdominis regio lavabatur, impoſitis inſuper calidis linteolis.

Convulſiones cum eo uſque eſſent intenſæ, ut abdomen maxime doleret, & per alvum recrementa paucula, plurima contra inteſtinorum contenta per os protruderentur, affectis propemodum omnibus corporis partibus, flagitare videbatur neceſſitas, ut mitigarentur convulſiones, neque tamen ſtatim ſedarentur. Conſultum enim hoc non fuiſſet, clariſſimorum medicorum judicio, monentium, ut in morbis habitualibus, quos ita appellant, caute agatur, ſubſequi enim pejora ſemper, ſi uno impetu cruciatus velis ſupprimere; quanquam obteſtaretur ægrotus, ut diris iſtis doloribus liberaretur, id quod opiatis fieri facile potuiſſet. Quod autem jam medici experientiſſimi obſervarunt, opium & ex hoc compoſita medicamina non tantum nihil in colica attuliſſe auxilii, ſed periculoſis ſymptomatibus locum feciſſe, ſubſecuto plerumque immodico ſudore, imo & paralyſi, alias facile colicæ pediſſequa, quam pareſin vocant, dubitabam, opiatis uti. Neque itidem e re erat, vomitus ope adſtringentium aliorumque uſu vulgarium medicamentorum compeſcere, multo minus retentionem recrementorum purgantibus tollere, quippe in ſanguinea colica, ut experientia teſtatur, mala pejora reddunt. Et quia æger leniſſima vomitu reddebat medicamina, merito colligebatur, multo minus purgantia aliaque generoſiora remedia, quibus extenuatiſſimum corpus

corpus impar erat, ſtomacho retentum iri. Quæ cum ita eſſent, maxime curæ erat, ut externis mediis lenirentur convulſiones, adhibitis hoc conſilio lenibus ſedativis ſeu antiſpaſmodicis, diſcutientibus, nervinis, humores fibraſque rite demulcentibus, ut linimento, quod conſtabat ex ol. laur. nuciſt. chamæmel. ver. fœnicul. citr. quo mane, ceſſante paroxyſmo, & a meridie abdomen calide inungebatur, impoſita brevi poſt veſica, quæ calida aqua repleta erat, ſimulac calor imminutus eſſe incipiebat, removenda, ut alia calida ſuccederet. Spiritu vini camphorato & crocato etiam ante meridiem & veſperi ſemel aut bis abdomen leniter lavabatur, ſuperimpoſitis noctu calidis linteolis. Interne pulvis e magiſt. lap. cancror. tartar. cinnab. antimon. nitr. bis a meridie aquæ herba thee decoctæ admixtus parca primum, poſtea largiore doſi dabatur. Id quod fiebat, priuſquam paroxyſmus veſperi adveniret, quo durante nihil admovebatur: neque ſane affectus iſto tempore pati poterat, ſi quis manu corporis inferioris regionem attingeret. Parum tamen hæc valebant remedia, niſi alvo aperta: unde mane poſt vomitus enema ex herb. alth. veronic. fl. chamæmel. melilot. bacc. laur. decoct. ſal. commun. & ol. lin. applicabatur, quo facto, plerumque ſomni nonnihil ægrotum recreabat. Enematis quantitas moderata præcipiebatur, ne inteſtina extenderentur, atque dolores exacerbarentur; iſque tamen uſus quotidie bis terve iterabatur. Sal admiſcebatur non ſemper vulgaris, ſed, prout circumſtantiæ exigebant, mox nitrum, mox nihil ſalis, multum contra olei lilior. alb. lin. aliuſve. Plerumque adhibito ex aqua & ſale enemate, quod mane fiebat, non multo poſt, quieto aliquandiu corpore, aliud e lacte, oleis, vitellis ovorum, ſacharo, applicabatur, ut inteſtina etiam nutrirentur & corroborarentur. Equidem clyſteres decumbens non probabat, commonefaciens, his factum fuiſſe, ut inteſtinum rectum promineret, facile tamen mutabat ſententiam, ubi intelligebat, alvum aperiri alia via non poſſe, imo dum ſentiebat, ex iis, in quibus largius oleum inerat, ſibi bene eſſe.

Medicamentis illis aliquot dies continuatis, melius paulo affectus eſſe cœperat. Quoniam vero omnino non magna eſt vis remediorum, quæ cauſas morbi non expellunt, de eo cogitandum erat, ut cauſæ materiales, & primum quidem materia illa in inteſtinis mucida, valde acida, ad ejectionem præpararetur, atque deinde profligaretur; ut obſtructiones reſerarentur, & inprimis ſanguis in vaſis ſtagnans diſſolveretur, corrigeretur, &, ſi fieri poſſet, ita diſponeretur, ut per vaſa ſedalia poſſet excerni. Siquidem id jam conſuetudinis vim obtinuerat, ut ægrotus liber eſſet a colica, quam diu ſanguinis excretio recte procedebat. Quod ut præſtaretur, offerebant ſeſe diluentia, incidentia, abſorbentia, balſamica, antiſcorbutica, aperientia & laxantia. Mixturæ, quæ conſtabat ex eſſent. hellebor. fol. ſenn. cort. Winteran. myrrh. mane poſt vomitum, præmiſſis mediis externis, pariterque a meridie 40 guttulæ in

aqua, herba thee tincta, ſumebantur. Poſt duas circiter horas dabatur infuſi ex rad. rhabarb. cichor. herb. fumar. fl. centaur. parumper, additis criſtallis tartari, calide bibendum; antea autem atque alias aliquoties os eodem infuſo curatius eluebatur, & cubebæ aliquot ore tenebantur. Ad veſperam pulvis antimon. diaphoret. terr. japonic. arcan. duplicat. parva doſi ſuggerebatur in aqua cinnamomi ſive vino, non intermiſſis tum externe tum interne corroborantibus, parcius itidem adhibitis. Clyſteres vero paulo majori quantitate uſurpabantur, eo fine, ut inteſtina eo melius purgarentur. Poſt dies aliquot potio ſumebatur e gum. ammoniar. in aqua cinnam. ſolut. lap. cancroco tartar. tartariſat. addito aliquando uno alterove grano auri fulminantis, cujus alternus cum mixtura illa uſus erat.

Hiſce conſtanter integras hebdomades tres adhibitis, ſentiebat æger mitigatam convulſionum & ſymptomatum vim eſſe. Vomitus erant rariores & mitiores, ſingultus fere nulli, recrementorum & urinæ, quæ, quo pauciores erant convulſiones, eo magis tincta & craſſior erat, melior diſceſſus. Hinc id curæ erat, ut viſcera & fibræ magis magiſque roborarentur, debituſque tonus reſtitueretur: ſiquidem in curatione ægritudinum diu durantium major fere ſolidi quam fluidi ratio habenda. Docet enim experientia celeberrimorum medicorum & inprimis Baglivi, temperiem fluidorum ſemel vitioſam facile reſtitui, ſolidorum contra tonum remiſſum difficilius vel raro inſtaurari. Itaque ingeſtam ægroto mixturam illam aut potiunculam, interjectis duabus horis, nec minus a meridie bis doſis inſequebatur tinct. antimon. tartariſat. una cum liquore balſamico, vino Rhenano infuſa, poſt habitis omnibus internis remediis. Externe abdomen ſpiritu vini camphorato & crocato lavabatur, ſacculus ex rad. angelic. ir. florent. fl. chamæmel. Rom. ſambuc. ſem. nigell. abdomini imponebatur: enema unum quotidie, quandoque nullum applicabatur. Hæc, obſervata ſimul diæta convenienti, benigna admodum erant noſtro: ſenſim redibat melior appetentia cibi, poterat æger lecto ſurgens per conclave circumſpatiari, ex quo tamen propter frigus tunc temporis intenſiſſimum egredi non licebat. Inteſtino recto, quoties exſiliebat, maſtiche, in pulverem ſubtilem attrita, parcior aſpergebatur, lenique preſſione digitorum, oleo liliorum alborum inunctorum, reponebatur. Quod ſi hoc fieri ſtatim non poterat, fotus ex herbis emollientibus & carminativis applicabatur, redactoque inteſtino, ſacculus avena excorticata, in aqua ad molliculam conſiſtentiam cocta, repletus, & ſæpiuſcule tepefactus, ano ſuperimponebatur. Quo factum eſt, ut inteſtinum poſtea raro admodum atque modo eo tempore, quo hæmorrhoides, aliquandiu obſtructæ, fluxum recuperabant, ſuo loco cederet.

Cum preſſio & dolor circa medium meſenterii, dextrum hypochondrium & anum non prorſus requieſceret, conſultum videbatur, periculum

lum facere, num excretio ſanguinis per alvum poſſet effici. Quod ut obtineretur, aliquot veſperis continuis e maſſa pilular. propriet. cinnabar. nativ. extract. card. bened. exigua doſis atque mane pulveris antiſpaſmodici quidpiam dabatur, &, ſi mane pilulæ operabantur, enema nullum applicabatur. Poſtea mane itidem ſalis mirabilis Glauberi major ſenſim doſis ſumebatur, addito infuſo e rad. vincetoxic. hellebor. nigr. herb. veronic. linar. capil. vener. croc. ſæpe bibendo, ut & pauxillo vini Rhenani. Salis hujus uſus cum duas hebdomades duraſſet, nihil medicaminum quatuor dies ſuggerebatur ægroto, applicitis ſolis clyſteribus. Pilulæ ab hoc tempore majori paulo doſi offerebantur, mane vix exſerentes ſuam, ut ſanguinis aliquid tandem excerneretur. Tum a laxantibus & aperientibus abſtinendum eſſe videbatur, proſequendus uſus corroborantium & corrigentium, liquor. balſamic. eſſent. carminativ. Wed. pulverum e criſtall. montan. lap. cancror. tartar. vitriolat. ſal. abſinth. &c. enemata quoque rarius veniebant.

Quanquam poſt aliquot hebdomades eo uſque convaluerat æger, ut nihil dolorum ſentiret, peregre proficiſci poſſet, & quidquid ageret ex voto, videbatur tamen ad confirmandas fibras, corrigendos humores, pro novendam & conſervandam eorundem circulationem debitam, herbis temperatis, balſamicis, amaris, in infuſum redactis, quotidie, & leni evacuante, præmiſſo digeſtivo, ſingulis menſibus, utendum eſſe. Purgans ante illud tempus ſumendum præſcribebatur, quo fluxus hæmorrhoidalis, interdum vehemens admodum, redire ſoleret, qui ſi penitus ceſſaret, e veſtigio venam in pede ſecandam, conſulebatur. Simulac obſtructa alvus eſſe intelligeretur, loco ordinarii infuſi aliud e rad. rhabarb. polypod. fol. ſenn. uſurpandum, &, ſi hoc efficax non eſſet, enema e lacte, floribus chamæmel. addito oleo olivar. & ſacharo applicandum, monebatur. Cumque, ex conſilio Ballonii lib. 2. conſil. 24 volvulo liberati, etiam convaleſcentes, tanquam puerperæ curandi ſint, ideo porro admonitus eſt noſter, ne in rebus, quas nonnaturales vocant, erraret. Aërem frigidum, ſi inimicus illi eſſe ſentiretur, plane vitaret, &, quamvis ferre poſſet, corpori tamen & pedibus maxime recte fovendis proſpiceret: calidum quoque aerem fugeret, &, quantum poſſet, aeri temperato & puro ſeſe committeret. Suaſum eſt inſuper, circa victum ut curaret, ne quid delinqueretur, generatim ne nimium neque ederet neque biberet, ſed parum cumque mora: inter edendum parum biberet, ſed, horis circiter duabus poſt paſtum, paulo plus. Quæcunque flatus, obſtructiones alvi & calorem contraherent, ut lac, hortenſia, cibos largius conditos, ſalſos, ſiccos & ſimilia, ſpiritum vini, generoſum quemcunque potum, cereviſiam modo decoctam, cujus feces nondum conſederunt, ſummo ſtudio eſſe vitanda, dictum eſt. Præterea corporis motionem mediocrem eſſe debere, abſtinendum a nimio, celeri nimis equitatione & vectione: motui tempus non omne convenire, optimum eſſe matu-

matutinum, ante prandium non eſſe commovendum corpus, ſed duabus horis poſt: veſperi juſto tempore cubitum eſſe eundum, vitandumque, quidquid ſomnum impedire poſſet. Tempus, quo alvus aperta eſſe ſolet, curate obſervare, tum vehementer ſe non movere, atque vitare quodcunque, quo minus aperta ſit alvus, obeſſe poſſet. Et, quo tranſpiratio inſenſibilis eſſet conſtans, noctu neque nimis negligenter, neque ſollicite nimis obtectum eſſe corpus debere. Tandem fugiendos eſſe, tanquam peſtem, vehementes affectus, iram, triſtitiam omnemque occaſionem terroris ac ſimilium animi commotionum, quippe maxime iniquarum.

Quod autem fieri ſolet, ut, ſi domi non ſumus, & in circulo amicorum, regulas diætæ migremus, atque vel quantitate vel qualitate ciborum & potuum peccemus; id quoque noſtro evenit, qui, ſuſque deque habitis conſiliis iſtis, tormina, ſed rariora & mitiora, ſenſit, nec ultra quaſdam horas durabilia. Semel tamen anno & dimidio poſt curationem vehementes illum adorti ſunt cruciatus, integras ſex hebdomades tenaces, eo uſque tamen mites, ut neque vomendum neque ſemper lecto decumbendum eſſet, quos antiſpaſmodica & paregorica una cum reſolventibus, tonicis aliiſque compeſcebant. Abſorbentia, non terrea craſſiora, quæ copioſius præſertim ingeſta humores magis inſpiſſant & tenaces reddunt, ſed ſubtiliora & parciore doſi data, nec non modica volatilia & laxantia noſtro conveniebant. Salia enim admodum volatilia, quæ, ut Junckerus lib. citat. aſſerit, mirifice hodie extolluntur, quorumque virtus reſolvendi ad nauſeam prædicatur, nunquam fere ſunt uſurpanda, quandoquidem pauca grana aſſumta ſatis declarant, illa non in humores, ſed in vias vim ſuam exſerere, iiſque ſtimulum ad conſtrictionem incutere; quæ ſtrictura, quando ſanguis minus mobilis ac viæ nimis repletæ ſunt, varia producit mala. In purgantibus vitanda erant aloëtica, quæ, ut quotidiana teſtatur experientia, nimium in hæmorrhoides agunt, & ſanguinem provocant, quippe aloës pars ſubtilis ſanguini commiſcetur, & craſſa ac pinguis, quæ gummeo-reſinoſa dicitur, inteſtinorum tunicis adhæret, & acrimonia ſua ſtimulat. Convulſiones autem non prius plane deſinebant, quam in utroque pede venæſectio erat adhibita, quod fieri lubuit, quoniam hæmorrhoides aliquandiu fluxum intermiſerant. Quem ſimulac repetierant, continuato fluxus ordine, æger malo prorſus liberabatur.

D. S. G.

LAURENTII

X C.

LAURENTII GRUBER

DE

FEBRE ACUTA EPIDEMICA

EXANTHEMATICO-DYSENTERICA.

Baſil. 19 Sept. 1747.

PROLEGOMENA.

HActenus tot omnium morborum ab Laureæ Doctoralis eruditis candidatis in lucem editæ reperiuntur deſcriptiones, ut mihi imperito recentem & attentione dignam materiem producere difficillimum videatur. Nihilominus tamen, cum priſca conſuetudo, uſuſque academicus poſtulent, ut ſinguli gradum Doctoralem ambientes, quoddam ſtudiorum ſuorum ſpecimen impreſſum edant; idcirco his conſtitutis neutiquam contrariabor, ſed potius ſummo ſtudio ad artis medicæ honores conſequendos, annitar, ut & ego pro viribus ad egregiam hanc artem aliquid conferam. Quem in finem nunc adjuvante Deo materiam mihi propoſui tractandam, primo quidem intuitu non multa pollicentem, quæque hiſtoria vulgaris eſſe videtur. Ex eventu autem hujus meæ diſſertationis obſervatoriæ ſummopere exploranti faciilime liquebit, quanta ſit differentia inter dyſenteriam ſimplicem vel ordinariam, & hanc hiſtoricam relationem, de febri *nempe* Acuta Epidemica Exanthematico-Dyſenterica, *quam anno elapſo incolæ Tigurinæ urbis & agri haud exiguo ſuo damno in inferiore ejus parte & plateis meridiem verſus, ut & in vicinis variis ibidem locis, toleraverunt.*

Mea igitur mens non eſt de dyſenteria generatim, ejuſque diverſis ſpeciebus agendi, nec quoque celeberrimos eruditiſſimoſque, ut par eſſet, citandi auctores; quoniam hoc centies ab aliis factum, centieſque recoctum eſt, ſed ſolummodo & unice ad febris acutæ ſpeciem ſupra allatam me convertam.

De illius autem principio, incremento, vigore, ſtatu omnibuſque phænomenis prolixius in morbi narratione agere cogito. Confiteor quidem materiæ hujus difficultatem meamque levitatem in hoc ſcribendi genere; L. B. interim maxime orans roganſque, ut de meo tenui opuſculo primitiis inſerviente benevole judicare velit. A ſupremo interim numine enixiſſime efflagito, ut omnia mea incepta proporro ex alto fortunet in S. S. nominis ſui gloriam, proximi, maxime vero ægrorum ſolatium & emolumentum.

§. I.

AD obtinendam genuinam & perſpicuam morborum *cognitionem*, ſecuramque eorum tractationem, omnium maxime neceſſarium eſſe exiſtimo, exactas *obſervationes* & morborum *deſcriptiones* componere, quoniam nonnulli morbi cum aliis magnam habent ſimilitudinem; ubi vero cauſæ eorum rite examinentur, differentia, quæ inter eos intercedit, clare

clarè patebit; hinc etiam medendi methodus juxta leges inſtituenda eſt; nam aliter multorum hominum ſanitas, & ſæpius vita ipſa periclitarentur. Hanc in claſſem hic Epidemicus morbus mox delineandus (qui parum cognoſcentibus erat lapis offenſionis) à pleriſque tantummodo Dyſentericus ſimplex dictus, ſummo jure cenſeri meretur. Apparebat enim ex multorum, qui modo dictas obſervationes & diſtinctiones neglectui habuerunt, agendi modo, illos in incertas ſemitas delatos, adeo ut nil, niſi experimenta fallacia fecerint, & perverſam medendi methodum noxiorum eventuum cauſam neceſſariò inierint; ea enim medicamenta, quæ alias Dyſenterico optime conveniebant morbo, noſtro huic malo maximopere contraria, plurimis ſanitatis damnum, ſæpius etiam mortem ipſam afferebant. Hic permotus præſentem relationem publicandam cogitavi, ſimulque afferam ea, quæ in hoc periculo ſingularia contingebant, nulla cum oſtentatione aut multorum ſcriptorum modo dicta citatione, ſed ſimplici ſermone & ſtylo, rebus potius quam verborum copiæ & elegantiæ intentus, atque ſtudens, herbis enim, non verbis curantur morbi, verbis verò offendi juxta Tullium, aut morbi aut imbecillitatis argumentum eſt.

§. II.

Hiſtoriam hujus morbi quod attinet, ea ſeſe ſequenti modo ſiſtebat. Initio Aprilis & per totum ſequentem Majum anni præteriti inter infantes & parvulos æque ac adultos Tigurinæ Civitatis variæ erant febrium ſpecies ſatis frequentes, ut purpura rubra & alba aut potius miliares benignæ, vomitibus, ac doloribus in abdomine levioribus, variisque exanthematibus concomitatæ, nulla tamen morbi malignitatis indicia adhuc in receſſu obſervabantur, neque Epidemicæ neque rebelles erant, ſenſimque lenioribus corrigentibus facillimè remiſerunt. Elapſo verò menſe Majo cum dimidio ſequentis in tota Civitate præprimis quidem in inferiore ejus parte & plateis fama percrebuit, iisdem in locis graſſari Dyſenteriam, quâ & multi, maximè infantes, hac in platea degentes à tenerrima ætate quintum vel ſextum usque ad annum ob teneram corporis illorum fabricam, faſtidium medicamentorum, ea applicandi ſummam difficultatem, nimiam materiæ peccantis acrimoniam ſymptomatumque gravium adfluxum tandem 36. placidè diem obierunt ſupremum.

§. III.

Menſis Julii initio *Filiolam 6.* annorum eodem morbo in ejus vicinia graſſante planè correptam fuiſſe relatum eſt, quæ inteſtinorum dolores, frigus, calorem, cephalalgiam, ſitim, delirium leve, extremitatum tam ſuperiorum quam inferiorum Laſſitudines, ſimulque Diarrhæam levem qui-

quibusdam ſtriis ſanguineis commixtam ſentiebat, imo aliqualem teneſmum, apparentibus vero ſtatim exanthematibus, diarrhœa ſenſim ſenſimque ceſſit. Aſſumtis dein medicamentis blandiſſime Bezoardicis, Antifebrilibus & antiſpaſticis exanthemata cumulate in Peripheria inſtar Milii repullularunt, & continuatione horum remediorum, Inteſtinorum dolores lancinantes, frigus, delirium leve, inprimis Diarrhœa dictis Striis ſanguineis mixta, ut & Teneſmus ipſo quaſi momento ceſſabant, ægraque iterum brevi ſanitati reſtituta fuit.

Præterea credibile, ſi cujuscunque generis laxantium tractatio inſtituta fuiſſet, Symptomata etiam graviora ratione materiæ peccantis jam à centro ad peripheriam intendentis inſecuta eſſent.

§. IV.

Altera perſona 42. annorum ſexus quoque ſequioris, de Diarrhœa, Teneſmo, & tandem dyſenteria querebatur, cui itidem frigus, calor, ſitis & dolores Abdominis ſupervenerunt. Quia vero aliquod dierum intervallum, medicamentis & lecto neglectis, interceſſerat, Metaſtaſis materiæ acris morbificæ fiebat, veraque Phlegmone in brachio formari cœpit. Uſu autem Bezoardicorum, Alexipharmacorum, temperantiumque paulatim Dyſenteria abiit ſimul cum Phlegmone.

§. V.

Quibus 2. caſibus adhuc adjungi meretur tertius, ancillæ nempe cujuſdam in inferiori Civitatis parte apud honeſtam Matronam degentis, quæ, cum omnibus ſupra allegatis Symptomatibus correpta, ſemper rei familiari præeſſet, ſicque ſe ipſam eousque obliviſceretur, ut plane lectum cuſtodire cogeretur, tandem illa miaſmata maligna à centro ad Peripheriam, brachium, denique manum extremam & quidem digitum annularem occupantia ſe extendebant, ubi a præcedente Miaſmatum ſtagnatione, inflammatio & tandem ſuppuratio ſubſequuta eſt; illa autem feliciter peracta de die in diem melius ſe habuit, & paucis diebus reconvaluit.

§. VI.

Licet hæ tres primæ fuerint ægrotæ, quas febre acuta epidemica exanthematico-dyſenterica anno elapſo in hac civitate correptas fuiſſe novi, attamen permultos diverſæ ætatis homines hic morbus afflixit. In eo vero ſtatim ſingularia quædam tam quoad ſymptomata morbi, quam curam & medicamentorum effectum obſervanda erant, quæ dein in hoc fatali morbo maximæ utilitati ægris fuerunt. Hinc enim intelligi poterat, hunc morbum non ſolum a dyſenteria vulgari ſanguinea, alba, mucoſa,

bilioſa &c. notabilem indolis ſuæ diverſitatem exhibere, ſed & ejus curam ſolito difficiliorem eſſe, ideoque perneceſſarium fuit, mature cauſam procatarcticam propius examinare, eique alio modo aliiſque remediis auxiliaribus, cum ſtudio excogitandis obviam ire, idque eo magis, quoniam malum indies magis magiſque incrementum capiebat, vireſque ſuas latius explicabat, quod inde manifeſtum eſt, quod intra 200 paſſus, morbo de platea in plateam ſerpente, 36. infantes morbo hoc correpti perierint, inprimis in fine Julii & ineunte Auguſto. Non ſolum vero in inferioribus civitatis locis hærebat, ſed primo plateas inferioribus his locis vicinas, dein remotiores quoque infeſtare cœpit, imo etiam ipſos ruris incolas corripuit, ita ut non in civitate tantum, verum etiam ruri plures jam graviter decumberent, & per integrum Auguſtum menſem vigor morbi ſummus erat, multique vi morbi abrepti, animam efflabant.

§. VII.

Conjectare facile eſt, quam calamitoſa illa fuerit tragœdia, dum feretra funeribus excipiendis per eam civitatis partem ante plures fores collocata, & non ſolum defuncti undique ſed & potius tria, quatuorve cadavera ex iiſdem vel 2. ædibus deportata videbantur. *Incipiente autem menſe Septembri* malum ſenſim ſenſimque in urbe remiſit, hinc & indies ægrotantium numerus ſeſe diminuebat, raraque funera conſpiciebantur, uſque dum tandem circa finem ejuſdem menſis auſpice Numine Divino per totam civitatem plane ceſſabat. Sed poſtea viciniam & plurimos vicos circumjacentes infeſtavit, & ibi in menſem uſque Octobr. continuavit, quod inſuper notatu digniſſimum, illi, *qui male ſanati evaſerunt*, *denuo morbis exanthematicis & acutis corripiuntur*, plurimi etiam e medio tolluntur; ratio hujus clare patet, quia nempe neque miaſmata methodice per medicamenta appropriata eliminata fuere, vel illorum malignitas cauſa fuit, ut nulla poſſibilitas reconvaleſcendi ſupereſſet. Præterea adhuc attentu dignum, non omnes toto illo morbi tempore alvi fluxum perpeſſos, dyſenteria vera laboraſſe, ſed *diarrhœæ leviores vel dyſenteroides* potius appellandæ eſſent ratione dyſenteriæ vulgaris, morbus contra acuto dyſentericus ſemper hic eodem tenore & perpetua febre, variiſque exanthematibus triſtes produxit progreſſus.

§. VIII.

Ut vero redeamus ad morbi noſtri *caſum* nempe *acuto dyſentericum*, ejus indoles ſequenti modo ſeſe ferebat: non omnes æquali modo infeſtavit, ſed quotquot hic morbus corripuit, tot fere diverſa ægrorum ſigna apparuerunt, duplici modo conſideranda; maxime attendendum 1°. erat diverſitati & temperamentis laborantium, ſi nempe vel malignius vel mi-

mitius affligerentur, cui cholerici & ſanguinei magis, melancholici & phlegmatici vero minus obnoxii fuere: malignius à malo correpti per aliquot dierum ſpatium febrem acutam, flatus, borborygmos frequentes, dolores abdominis leviores, alvi ſegnitiem à vi elaſtica fermenteſcentis, putrefactæ, ventriculo & inteſtinis inſitæ, illorumque tunicas nerveas vellicantis acris materiæ ortam ſentiebant, quibus ſtatim adhuc a primo morbi inſultu ſupervenerunt frigus, calor, cephalalgia, anxietates nimiæ, tormina, faſtidium ciborum, nauſea, fortior alvi dejectio ſanguine tincta, teneſmus ingens, irritus vomendi conatus, vomitus vehementes ipſi, ſitis intenſa, in nonnullis lientericorum more, ciborum, potus, medicamentorum aſſumtorum, omniumque ingeſtorum immutata excretio erat, & quam primum guttam liquidi ingeſſerant ægroti, eis alvi fluxum, vomituſque cum moleſtia mox creabat. A miaſmate illic depoſito, & abſente metaſtaſi ejus ad peripheriam adeo facta eſt inteſtinorum laxatio & relaxatio, ut canalium mortuorum inſtar nihil retinerent. Dein ſubitæ virium proſtrationes, pulſus intermittens & debilis, anxietates maximæ, hinc inde ſingultus, lipothymiæ, frigus extremorum, lingua ſicca, vel muco ſubducta adparebant, ut & exulcerationes, imo angina ipſa; porro Agrypniæ, & Pervigilium, ob nimium ſanguinis orgaſmum, in nonnullis ſtranguria, urinæ ſuppreſſio; in infantibus ani procidentia à Teneſmo vix tolerabili ſequebatur; apud pleroſque varia exanthematum ſpecies, imo Petechiæ ipſæ in variolis laborantibus tunc temporis aliquando obſervatæ ſunt. In duobus 30 & plures annos habentibus puſtulæ ſubrubræ vel aphthæ in dimidia tantum linguæ parte repullularunt; denique & in plurimis ſubſultus tendinum aut convulſiones totius corporis, mentis abalienationes, deliria, animi deliquia in moribundis tantum notatæ ſunt. Horum oculi profundi ac torvi intuebantur, vultus diſtractio, nec eodem loco manere, ſed peregre abire volebant. Fœtor excrementitius ut plurimum aderat putridus, cadaveroſus, intolerabilis, adeo ut ad id accurate attentus animo vix comprehendere & credere poſſit, *quanti corporis humores* in hoc morbo per inteſtinorum canales foras ejecti ſint; totum fere corpus liquefactum & per ea expurgatum videbatur, tantaque macies ægros invadebat, ut magis ſceleti quam hominis imaginem repræſentarent.

§. IX.

In illis itaque qui *mitiori gradu* decumbebant, alvus fere ſemper erat lubrica & excrementa primo flavo aut quodammodo bilioſo colore plus minus tincta, dein cruenta magis, ſenſimque velut ulceroſa evadebant, ac indies cum impetu excernebantur, in aliis meri muci albi ſtriis ſanguineis tincti emiſſio notata eſt; faſtidium ciborum & nauſea minori gradu, in nonnullis appetitus ſatis bene adhuc conſtabat; torminum &

cru-

cruciatuum inteſtinorum minor ſenſibilitas, ſed hos præcordiorum anxietates multum vexabant. Somnus & vires ipſos non ita relinquebant; pulſus motum febrilem leviorem indicabat, certam tamen febris periodum non ſervabat, & ſi ſudor levis in his ſecutus eſt, alvi defluvium cum reliquis ſymptomatibus ipſo momento decreſcebat, fæcibus ad naturalem conditionem redeuntibus, ægri paucorum dierum ſpatio ob jam allatam rationem, quia nempe materia illa acris per ſudorem eliminata eſt, reconvaleſcebant.

§. X.

Hoc fere univerſale erat *prognoſticon*, quo magis inopinato morbus aliquem invadebat, & quo gravioribus ſymptomatibus jam recenſitis, vomitu nempe, præcordiorum anxietatibus, lipothymiis, ſubitis virium proſtrationibus febri continua, frigore extremorum, ſingultu &c. comitatus erat, eo gravius etiam ægros infeſtabat morbus, ac eo citius intra 14 dies ad finem ut plurimum lethalem properabat.

Cachectici & plethorici præprimis & cholerico-ſanguinei magis periclitabantur. Subſequente autem tranſpiratione inſenſibili aut ſudore felici cum ſucceſſu & quidem omnes iterum convaluerunt. His vero abſentibus malum erat omen, malignus & lethalis fuit vomitus, præcipue ſi ſanguis per ſuperiora & inferiora, materiaque fœtida, purulenta vel alia excrementis ſimilia ejiciebantur, quia non ſolum exulceratorum, ſed & jam putrefactorum inteſtinorum certum erat indicium. Singultus in ſtatu morbi ſuperveniens plerumque fuit lethale ſignum; ubi vero in morbi principio adparuit, nullius mali erat ominis, nam à vermibus in ventriculo degentibus, illius tunicarum vellicationem efficientibus ortum ſuum traxiſſe obſervatum eſt. His enim extra corpus emiſſis ſive per ſuperiora ſive per inferiora pleraque cætera ſymptomata remiſerunt. Dolorum remiſſio manente fluxu fœtido involuntario copioſiſſimo, deſiderio aquæ frigidæ cum pulſu debili intermittente comitato, anxietates nimiæ, certiſſima gangrænæ præſentis indicia erant.

§. XI.

Fatalis erat gravidis hic morbus, verendum enim erat, ne præ nimia alvi dejectione abortirent; ubicunque vero exanthemata ad ſeptimum uſque diem prodierunt, fere omnes ſanitati reſtitutæ ſunt, inprimis accedentibus tumoribus inflammatoriis brachiorum, eryſipelatibus extremorum inferiorum jam exulceratis, ſtatim morbus acuto dyſentericus ceſſabat. Plurimi infantes ac impuberes teneram partium ſtructuram habentes, medicamenta ſalutaria omnino fugientes & cum faſtidio ingerentes, ſic & valetudinarii ab aliis antea morbis nimis debilitati maximo lethi periculo expoſiti erant. Convulſiones ſemper ut & angina mortis prodromi erant;

aphthæ

aphthæ vero aliquando tantum lethalis exitus omen fuerunt. Subſequente dein puſtularum exulceratione & harum recta ſuppuratione ægro ſaluti erat. Stranguria & urinæ ſuppreſſio in morbi exitu deterioris fuerunt ominis. Teneſmus plus oneris quam periculi afferebat. Si morbus denique ille in una domo graſſari cœpit, quidam illius incolæ diverſimode tantum intra duorum aut plurium dierum intervallum pro diverſitate diſpoſitionis & temperamenti eodem morbo decubuerunt, eo tamen diſcrimine, ſi quidam ex ædibus latus eſt, cæteri quoque violentius inficiebantur, imo ſæpiſſime plures perierunt; quare exhalationes in ipſis fortiores virulentioresque fuere, hinc quoque eo magis in alios tranſmigrare potuerunt.

§. XII.

Cauſam proximam iſtius morbi quod attinet, ea pro ſubtili *virulenta* & valde *acri materia* habetur, corporis humores ita movens, & diſſolvens præprimis ventriculi & inteſtinorum tunicas irritans, putrefaciens, vomitus, tormina in inteſtinis procreans, motum periſtalticum augens, adeo ut inde haud leves motus convulſivos ſubſequi neceſſe ſit; hæc ſi in ſanguinem tranſiit, & per tranſpirationem vel ſudorem ſe eliminare non poteſt, ad vaſaque ventriculi & partium vicinarum retropellitur, tum omnia ſupra deſcripta ſymptomata neceſſario contingere debent.

§. XIII.

Inter cauſas remotiores vel procatarcticas cenſeri merito merentur *aër* ſeu *calor fervens*, indies conſtanter durans, *noctesque vero frigidiores*, ventiſque Borealibus fœtæ, qua ratione conveniens tranſpiratio inſenſibilis & miaſmatum exhalatio prohibita materiæ morbificæ hinc inde ſuas agendi tragœdias occaſionem dedit. Inſuper etiam frequentem ſtagnantis & ſemi putridæ aquæ potum & deglutitionem variorum inſectorum, quæ tunc æſtatis tempore in nimia quantitate obſervata fuere multum contribuiſſe irrefutabile eſt. Ruſticos etiam à ſolis æſtu fere intolerabili & inopia recentis aquæ fontanæ ex foſſis & lacunis vel paludibus bibere coactos paucis poſt diebus in hunc morbum incidiſſe, imo de vita periclitatos eſſe quædam exempla probant. Nonnulli hujus morbi ortum adſcripſerunt fructibus horæis. Sed tunc temporis à primo nempe morbi inſultu ne minimum adhuc maturitatis gradum attingebant. Plerumque etiam infantes, qui nullis adhuc dum veſci poterant, vel alios ab illis ſibi probe caventes, infeſtabat morbus. Interim nullus negabo, quin his abutentibus non contingere poſſit dyſenteria vulgaris, & quidem contagioſa, ſed ſi ſimplex tantum ſit, brevi quoque inprimis deficiente calore ſuam abſolvit periodum, iſte vero morbus contra eadem ſævitia & incremento continuavit.

§. XIV.

Quoad *medendi indicationes*, eæ commode in tres claſſes vel ſpecies dividi poſſunt; quarum *prima indicatio* ita inſtituenda, ut ad materiam acrem, cauſticam, noxiam temperandam, leniendam, demulcendam, præprimis per ſudorem aut alvi ſeceſſum eliminandam medicus prudens ut plurimum intentus ſit. Secunda motus ſpaſticos vel convulſivos feroces ac truculenta inteſtinorum tormina cruciatuſque cum febre mitiganda, ſedanda; & tertia nimiam partium præcipue inteſtinorum labefactorum debilitatem corroborandam.

§. XV.

Primæ indicationi ad materiam nempe acrem cauſticam temperandam, demulcendam, tranſpirationem vel ſudorem promovendum, ægro à primo morbi inſultu auxilium petenti, & nulla adhuc tormina dolorifica ſentienti, abſentibus ſimul alvi dejectionibus inſerviunt ſequentia ut pulvis diaphoreticus temperans.

℞. *Antimonii Diaphoret.*
Conch. ppt. aa. *drachm.* 1.
Nitri depurat. Scrup. 1.
Bezoard. Mineral. Scrup. dimid.

Miſce, dividantur in 6. part. æq. ſingulis 6. horis in juſculo vel potu thée ſumendus, vel ß in forma mixt. ſequentis:

℞. *Aquæ fl. Samb.*
Scord. papav. Rh. ana. unc. 2.
Bezoard. Mineral.
Ocul. cancr. ppt. ana. drachm. 1.
Nitri Antimoniat. ſcrup. 2.
Syrup. papav. Rh. vel
Rub. Id. unc. 1.

Singulis 2 horis 3 cochlear.

γ Sequens quoque decoctum magnum præſtat uſum:

℞. *Rad. Cichor.*
Tarax.
Pimpinell. alb. ana. drachm. 2.
Herb. Agrimon.
Scord.
Card. Bened.
Arnic. ana. Mp. ß.
Flor. Sambuc. pugill. 2.
Nitri depurat. unc. ß.

Coqua-

Coquatur in 2 menſuris aquæ fontanæ ad remanentiam 1. & dimid. menſ. tum octav. menſ. pars, mane & veſperi ſumatur.

♪ Decocti loco electuarium non minus conducit:

℞. *Roob. Sambuc. Junip. ana. unc. ß.*
Elect. Diaſcord. drachm. 2.
Theriac. Venet. drachm. 1.

Mane & veſperi cultri cuſpidem impletum ſumat. Si igitur hæc medicamenta ſudorem copioſum imo exanthemata eliciunt, tum antifebrilia ad diem 7 vel 9. adhibenda ſunt. Ubi vero ægri quarto demum die conſilium petunt, fortes torminum ſenſationes, alvi dejectiones copioſæ, & motus febriles leves ſunt, tum Pulv. Rhab. ſalutaris habetur, ex

Rhabarb. v. gr. 50.
Nitr. depurat. gr. 15. *M.*

Mane vel tempore neceſſitatis ingeratur, infantibus ſyrup. de cichor. c. Rheo pro diverſitate ætatis felici cum ſucceſſu tanquam laxans propinari poteſt. Ad potum ordinarium confert Pthiſana ex demulcentibus & blande ſudoriferis.

§. XVI.

Secundæ indicationi quoad motus convulſivos feroces ac truculenta inteſtinorum tormina cum febre delinienda & ſedanda, materiemque acrem per cutim eliminandam intus ſatisfaciunt liq. anodyn. mineral. Hoffman. ſive ſolus ſive cum tertia parte ſpirit. Bezoard. Buſſi mixtus aliquoties de die à gutt. 20 ad 25. cum idoneo vehiculo propinatus, vel mixturæ ſupra deſcriptæ ana. ſcrup. 2. ſive drachm. 1. additus. Diverſa gelatinoſa & mucilaginoſa ol. amygdalar. dulcium, recens, Theriac. Andromach. à drachm. ß. ad drachm. 1. additione maſſ. pillular. de Cynogloſſ. vel Theriac. Cœleſt. gr. 1. veſperi dari poſſunt. Extus proſunt injectiones clyſmatum ex herb. emollientibus in ſero lactis coctis, Ol. mixtorum, ſæpius repetitorum ad ſedandos vel mitigandos dolores, abſorbendam ac eliminandam materiem acrem, inteſtina demulcenda, quibus & conferunt lacticinia ol. commixta, ut & calor temperatus, externa ol. Anodyni applicatio.

§. LVII.

Tertiam denique atque ultimam conficiunt indicationem medicamenta ſequentia analeptica & tonica ad partes debilitatas & labefactatas corroborandas, ut mixt. analept. confort.

℞. *Aq. Meliſſ. Scord.*
Millefol. ana. unc. 2.
Cinamom. Cydoniat. unc. 1.
Confect. de Hyacinth. drachm. 1.
Syrup. Cydonior. unc. ß.
Pulv. Cort. Caſcarill. ſcrup. 1.
Corall. r. ppt.
Matr. plarum. ppt. ana. drachm. 1.

Singulis 2 horis 2 cochl. ſumend.

Huic adjungi poteſt tinct. confortativ. ex eſſ. cort. aurant. amar. ana. unc. *ß.* M. mane & veſperi 40 gutt.

In quibuſdam felici cum ſucceſſu ſeq. *decoctum* adhibetur nempe rad. Gentianæ unc. *ß.* Galangæ drachm. 2. Zedoar. ari. ana. drachm. 1. Summitat. cent. minor. Card. Bened. ana. p. 2. Herb. ſanicul. & pyrol. ana. Manip. *ß.* Cort. citr. & aurant. ana. drachm. 2. Inciſ. affund. 1. & dimid. menſ. aq. calid. coq. ad remanentiam menſuræ unius cum quadrante, quotidie bis vitr. impletum aſſumatur.

§. XVIII.

In *faucium inflammationibus* gargariſmata *aceto (qua reſolvens & putredini ſummopere reſiſtens)* mixta, & linct. refriger. nunquam ſunt obliviſcenda. Adverſus ſingultum ſumi poteſt ol. olivar. vel ol. amygdal. dulc. aq. roſar. lacte & parum ſacchari commixtum ana. cochl. 1. Externe conducunt ſacculi ventriculo imponendi ex herb. menth. criſp. matricar. chamomill. ana. M. 1. flor. roſar. manip. *ß.* ſem. aneth. unc. *ß.* inciſ. & contuſ. inſuantur duobus ſaccul. & uti modo mentio facta, viciſſim imponantur.

§. XIX.

In ani procidentia & forti teneſmo ſacculus componatur ex ſpec. ſequentibus:

℞. *Verbaſc.*
Camomill. ana. M. 1.
Sem. lini drachm. 1.

Coquantur in lacte aut ſub forma ſaccul. aut etiam linteola imbuta ano applicentur. Eadem magnum quoque præſtant uſum in *ſtranguria* vel *dyſuria*, ſed regione Hypogaſtrica imponantur.

Repoſita ani procidentia variæ halitus ſpecies ex adſtringentibus vel contrahentibus conſtantes, vel etiam tegulæ rubræ calefactæ aceto humectandæ corpori ſalutiferæ ſunt.

§. XX.

§. XX.

Cautelas quod attinet venæ ſectio ſemper omittenda præterquam ſubjectis valde plethoricis & quidem ſtatim in morbi principio & circumſtantiis ſingularibus. Itidem cujuſcunque generis emetica plane rejicienda ſunt, quia plerique his utentibus hoc in morbo ſiniſtrum viderunt effectum. Rhabarbarina vero caute & cum quodam diſcrimine dari poſſunt; adſtringentia fugienda ſunt, ut & omnia anodyna propter vim nimiam inſpiſſantem anxietates inflammationemque augentem, & miaſmatum excretionem pernéceſſariam cohibentem.

§. XXI.

Excurſus in loca frigidiora ut & potus nimium frigidi inprimis evitandi ſunt. Regimen Diætæ per totum morbi curſum probe obſervandum eſt. Primo ratione aëris conclave ſit temperatum, & baccis juniperinis ſæpius ſuffitum, reiterata induſiorum, linteorum calefactorum & exſiccatorum mutatio, matularum ſ. v. accurata expurgatio, earumque ſedula elotio.

§. XXII.

Alimenta vel eſculenta eligenda ſunt digeſtu facillima, tenuiſſima, mucilaginoſa, farinacea, blanda ex hordeo, oryza in lacte cocta. Juſcula ex ovilla & vitulina carne, ut & gallinis, ovis & farina, pedibus vitulinis, condylis, apud divites aliarum tamen carnium juſcula inprimis gallinarum &c. ut & Cornu C. gelatinæ. Porro panis albus, bis coctus, & ova recentia, ſorbilia, lacte parata utilia ſunt, utpote quæ egregium nutriendi & ſimul demulcendi præſtant uſum. Fugienda contra ſunt concoctu difficillima, omnes crudi chylum ineptum reddentes cibi, ut piſces, ſuilla &c. Sic & varia fructuum horæorum genera, ex gr. Pruna, Pruna Damaſcena &c. loco potionis ordinariæ vel Ptiſanæ confert hordeum melle admixtum &c. vel emulſiones amygdalarum dilutæ, potus thée cum lacte vel aqua decocta cum tabula panis toſti. Siti vero ingenti ſuccus citri aquæ infundatur. Potus omnis non raptim ſed lente imbibatur. Vina cujuſcunque generis ſic & omnia ſpirituoſa maxime evitentur, nimirum ſpirit. vin. ceraſorum mororum rubi, quia morbus ob harum vehementiam magis exacerbatur. In fine vero morbi, ubi adeſt febris minor, parum vini generoſi quoad confortativum admitti poteſt.

§. XXIII.

Poſtremo inſigniter conducunt quieta corporis & animi continentia, objectorum abſentia; omneſque motus tum animi tum corporis, præcipue ira, mœror, metus, terrores &c. frigus fugienda ſunt.

FINIS.

XCI.

ABRAHAMI VATER

ET

J. GOTTLIEB VOGEL

DE

DYSENTERIA EPIDEMICA

MAXIME CONTAGIOSA ET MALIGNA

SUPERIORI ANNO PATRIAM DEVASTANTE.

Vitebergæ 26 Maij. 1747.

PROOEMIUM.

Quantus quamque egregius aëris, ubique nos ambientis, ad vitam & agendam & conſervandam ſit uſus, vel me tacente non ignorant omnes. Vix enim minuta aut momenta temporis quædam, hocce deſtituti, exantlare vel ſuperare valemus. Teſtantur hoc cum ceteris experimenta, cum animalibus brutis ſub Antlia, quam vocant pneumaticam, inſtituta. Hæcce enim campanæ commiſſa vitreæ, aerem incluſum quidem, ægre tamen, ferunt; embolo autem extracto, adeo auram captare ſtudent, ut eam quandoque in altiori campanæ parte quærant; iterata tandem aeris ſub campana contenti evacuatione, miſerrimis cruciata convulſionibus, præter modum tumida, pereunt. Quorum in cauſas jam quidem non inquiro, cum mihi in præſenti monuiſſe ſufficiat, aerem cum vita pari paſſu ambulare. Uti hæc de aere intelligenda ſunt puro & naturaliter conſtituto, quippe qui ad ſanitatem & vitam egregie conducit: ita mutationes ejuſdem ſenſibiles in omnibus viventibus, vegetabilibus & animalibus, in ſpecie quoque hominibus, inducunt alterationes. Afficit autem aer modo calidus, modo frigidus, modo humidus, modo ſiccus, varie, humores modo rarefaciendo, modo condenſando, tranſpirationem nunc augendo, nunc imminuendo, nunc plane ſupprimendo. Afficit autem eo magis, quo magis mutationes ſibi invicem oppoſitæ aut contrariæ, eæque ſubitaneæ, ſeſe excipiunt. Hæc qui accuratius perpendit, ſummam perſpiciet neceſſitatem, Medicum, in hiſce annotandis & obſervandis aeris mutationibus, eſſe debere ſolertiſſimum. Qua in re quidem anteceſſorem habent Hippocratem, Medicorum principem æque ac parentem, qui librum ſuum, de aquis, aere & locis conſcriptum, his verbis incipit. „ Quicunque artem medicam integre adſequi vult, primum quidem temporum rationem habere debet, quantum quodlibet eorum valeat: (Non „ enim ſimile quicquam in illis exiſtit, verum differunt invicem propter varias, quæ in iis fiunt, mutationes:) Deinde ventorum frigidorumque „ & calidorum, maxime, qui ex omnibus his hominibus ſunt communes, „ & mox, qui in unaquaque regione ſunt indigenæ & proprii." Noſtro quidem tempore, quo omnibus doctrinis & ſcientiis multæ acceſſiones factæ ſunt, ſtudium hoc, obſervandi mutationes aeris, a Medicis iterum magis magiſque coli cœpit. Teſtantur hoc imprimis Annales Phyſico-Medici Breslavienſes, in quibus variationes aeris ex barometris, hygrometris & thermometris, nec non tempeſtates variæ, & has excipientes variæ morborum ſpecies, accurate conſignantur. Merito enim aer primaria, morborum epidemice graſſantium, dici poteſt & debet cauſa. Quanta autem aeris, præcipue vitioſi, in alterandis corporibus vis ſit, in memet ipſo expertus ſum, dum ſuperiori anno iter faciens, in via nebula fœtida adeo perturbatus & languidus redditus ſum, ut vix domum reverti licuerit, ſicuti mox pluribus ſum edocturus. Secuta eſt paulo poſt dyſenteria maxime maligna & contagioſa, in

 patria

patria ſtupendam edens ſtragem, quam huic præprimis nebulæ adſcribendam eſſe, paucis ſequentibus indicabo paginis.

Cum enim more majorum legibus Facultatis Medicæ ſtatutum ſit & ſancitum, ut Candidati Medicinæ, qui lauream Doctoralem ambiunt, ſpecimen aliquod practicum, ex doctrina Pathologiæ & Therapiæ deſumptum, edere teneantur, themata reliqua, quæ mihi praxis medica & chirurgica, in patria viciniaque, vicenaria alias ſuppeditavit, prætereo, unicum illud de dyſenteriæ malignæ, anno præterito patriam devaſtantis, cauſis & curatione pertractaturus. Faxit vero ſummum Numen, ut conatus mei in ſui gloriam & laudem, proximique oblectamentum & emolumentum vergant.

HISTORIA MORBI.

Cum primo anni præteriti Vere, menſe ſcilicet Martio, tempeſtas turbida cum nebulis frequentibus urgeret, non poterat non fieri, quin catarrhi aliique varii generis morbi affligerent. Subſequebatur præcipue Menſe Aprili & Maio quædam dyſenteria, at levior, neque adeo contagioſa & lethalis, quam illa, de qua in præſenti agere animus eſt, quamque vix aliquibus adhibitis, ægroti ſuperabant, medicamentis. At enim vero medio menſis Junii, cum tempore matutino Radebergam ire amarem, ſtatim in vicinia Luſatiæ ſuperioris, haud procul a domicilio noſtro, oritur ad ſolis exortum vapor craſſus, denſus, fœtidus & varie coloratus, fumi inſtar congregati apparens, qui me per dimidiam pagi patrii partem, per quam iter faciendum erat, comitabatur. Cum ego ad templum accederem, in medio ſcilicet conſtitutum, en nebulam ad dextram, rura ſylvaſque propinquas petentem, mihique valedicentem. Petebam quidem Radebergam, tanta tamen cum laſſitudine totius corporis, ut vix inde domum reverti licuerit. Domum reverſus, adhibito ad profligandum hoſtem antidoto, per bis ſeptem hebdomadas, Deo *volente, incolumis manſi. Reliquorum quæ ſors fuerit miſera, videamus. A menſe enim Julio ad Octobrem uſque dyſenteria graſſabatur, notæ malignæ, quæ non procul ab habitaculo noſtro, in eadem patriæ parte, quæ inferior vocatur, primum ſæviens, ab infectis ab initio mali ita occultatur, ut ne propinqui quidem eoſdem prius ægrotare perſentiſcerent; quam eos atrociſſime jugulatos ſcirent, dumque campanarum ſtrepitus, a multo mane ad ſeram uſque veſperam exauditus, ingentem denunciaret ſtragem. Exinde malum hoc a domo ad domum, per totum patriæ tractum inferiorem, ad templum uſque ſerpit, ubi ſcilicet nebula per rura ſylvas ingreſſa erat, reliqua pagi parte ſalva manente, ſine ætatis ſexuſque diſcrimine, illos etiam, qui nullos in diæta errores commiſerant, juxta & puerperas recenſque natos adoritur. Quoſdam in principio lente, poſtea ceu fulmine tactos afficiebat impetuoſe, cum inſigni præcordiorum anxietate, cardialgia, ventris inflatione totius, torminibus, nucharum æque ac capitis dolore exquiſito, frigore, partium refrigeratione extremarum, cumque febri ardente,*

ſiti

ſiti intolerabili, tuſſi, virium proſtratione totali, appetitu deperdito, nauſea, vomitu, ſuppreſſione urinæ, urina quandoque cruenta, ſingultu; & ad finem tendente malo, cum angina atque puſtulis nigris ſub lingua & faucibus, excrementorumque fœtidorum nigrorum & viridium purulentorumve, nec non fibrillarum & pellicularum ab inteſtinis exeſis abraſarum, ſanguinis denique dejectione. Alios atroci cum teneſmo, ingenti alvi conſtipatione, variis ſpaſmorum generibus, ipſis tandem convulſionibus corripit, eoſdemque infectos, unius vel alterius diei ſpatio, ſumma macie conficit. In tanta rerum acerbitate quid conſilii capiant incolæ, alias puſillanimi & conſternati, plane ignorant. Confugiunt ad empiricos, qualibus, præ ceteris binis textoribus, vicinia ſuperbit; alii pulverem antidyſentericum Klepperbeinianum, de quo infra pluribus agam, in uſum vocant; alii exporiſtis ita dictis, & inter eadem lacte calido crocato, quod unus ex medicis Dreſdenſibus maxime commendat, abutuntur; ſed omnibus abſque effectu exoptato, potius cum detrimento, adhibitis. Quid igitur mirum, ſi ob eorum inconvenientiam perierint. Alii rejectis omnibus medicis medicamentiſque, miſere cruciati, miſere perire cogebantur. Alii in auxilium tunc demum vocatis medicis, cum omnia conclamata eſſent, mortis acerbitatem experiri tenebantur. Sic factum, ut intra quoddam temporis ſpatium ſatis breve, tertio plerumque vel quarto poſt invaſionem die, morbo non decimum quartum tranſgrediente, vel centum funera numerarentur. Qui meæ ſeſe tradiderunt manui, plerumque in integrum reſtituti, optime & nunc valent, quamquam alios & ipſorum culpa, & morbus ad ſummum provectus ſuſtulerit. Quibus uſus ſim remediis ſequentibus edocebo.

---

§. I.

DYſenteria, vi originis, difficultatem inteſtinorum ſignificat nihilque aliud eſt, quam diarrhœa, cum teneſmo, vel leviori, vel graviori, totiuſque ventris torminibus; ac ſanguinis & puris excretione conjuncta. Definiunt propterea eandem per frequentem, ſimulque cruentam, ſanioſam & mucoſam alvi dejectionem, torminibus ingentibus ventris, teneſmo, inquietudine aliiſque graviſſimis ſymptomatibus ſtipatam, ab ejuſmodi humoribus acribus, inteſtina continuo ſtimulantibus & erodentibus obortam.

§. II.

Subjectum quidem hujus mali ſunt inteſtina, tam tenuia quam craſſa, non tamen excluſo ventriculo, capſula biliaria atque glandula pancreatica, ex quibus materia morbifica in canalem alimentorum defertur. Hoc quidem commune habet cum aliis alvi fluxionibus, diarrhœa ſcili-

cet, fluxu hepatico, hæmorrhoidali, a quibus tamen dyſenteria torminibus gravioribus ventris, teneſmo & difficultate egerendi, differt & dignoſcitur.

§. III.

Eandem quoque malum hoc cum ceteris alvi fluxionibus agnoſcit cauſam proximam, irritationem nimirum canalis inteſtinorum ab humoribus, motu convulſivo eodem confluentibus, ſed in dyſenteria acrioribus, plus minus acidis vel ſalſis, tunicam prius inteſtinorum villoſam, & in ea latentia vaſa abradentibus, tandem etiam nerveam & carneam erodentibus, unde ſanguis, ſive purus, ſive purulenta mixtus materia, imo tandem carunculæ & villi carnoſi ſecedunt.

§. IV.

Hæc ſicuti cauſa proxima omnibus dyſenteriis eſſe ſolet: ita antecedentes, a quibus talis humorum in corpore humano acrimonia oritur, in quavis fere dyſenteria aliæ, atque a ſeinvicem diverſæ, ab autoribus obſervantur. Cauſas haſce Bergerus (*a*) collectim enarrat ſequentibus uſus verbis: „Cauſis id genus mali variis oritur, interioribus & externis, fæcibus nimirum diu retentis, & cruditatibus ſucciſque acribus, „in inteſtinis genitis, vel eo tranſmiſſis, frigore pariter æſtuve, & „aliis temporum tempeſtatumve mutationibus magnis, cibis porro acrioribus, frigidis, ac frugibus præſertim crudis, immaturis, fugacibus „& rubigine uredineque, ut meminit Plinius Hiſt. Nat. Lib. 18. c. 1. „& 28. corruptis, potu item egelido & fæcibus non purgato, medicamentis demum, venenis & contagio, & quæ ſunt aliæ, ſtimulo & „fermento, modiſve aliis nocentes cauſæ, quibus tonus inteſtinorum „perverti, atque acrimonia quædam abradens intus inteſtina & erodens, „vel gigni vel recipi poteſt. At differunt in eo potiſſimum hæ omnes „cauſæ, quod vel ſua uniuſcujuſque culpa & apparatu morboſo ſuccreſcant, aut errorem conſequantur externum, vel a communi non „ſolum victus, imprimiſque frugum, ſed etiam aeris, vitio procedant, „nec raro eam inteſtinorum corruptionem & putredinem inferant, ut „inde oriens profluvium contactu alios immundo fœdet, & contagio „mali, ab uno profecto, manet latius ac plures inficiat.

§. V.

Cum dyſenteriæ, de qua in præſenti ſermo eſt, quæque patriam adeo devaſtavit, rationem dare deberent medici, alii hæc, alii alia incuſarunt. Sic rationalium quidam medicorum, æque ac grex empiricorum

cauſam

(*a*) In Diſſertatione de dyſenteria Anno 1709. Wittebergæ infeſta §. 4.

cauſam hujus mali primariam, in ſolis æſtu, menſe Auguſto excedente, reperire credebant. At enim vero, ut mihi videtur, ſtatuebant hæcce abſque fundamento. Aut enim ſemper poſt auctum ſolis calorem, tale malum ſubſequi, aut regiones, quæ eoſdem ſolis radios experiuntur calidiores, pari paſſu parique gradu pervaſtare debet. Jam vero ſæpius æſtates ſiccas, caloreque ſqualidas, experti ſumus, ubi ne veſtigia quidem, ſubſecuturi ejuſmodi mali, apparuerunt. Obſervavimus quoque, regiones, non tantum ſub eodem climate ſitas, ſed vix quædam a locis infectis diſtantes milliaria, immunes manſiſſe. Sit Miſnia teſtis, quæ cœlo fruitur præ reliquis hiſce tractibus amœno & ſicco, in qua, exceptis quibuſdam locis, ſalva res erat. Et qua, quæſo, ratione quadrabit hocce in infantes recens natos ratiocinium, qui ne umbram quidem radiorum ſolis perceperunt, ſymptomata tamen atrociſſima, in morbi hiſtoria expoſita paſſi ſunt? Cur tandem inferior patriæ pars, iiſdem expoſita ſolis aeriſque injuriis, non eadem cum ſuperiori experta eſt mala? Sane, ſi omnia hæcce accuratius rimemur, perſpiciemus quam diſtinctiſſime, cauſam hancce ab aliis adductam, hic non parem fuiſſe, talibus edendis effectibus.

§. VI.

Hæcce ab aliis ſunt rejecta, in eorumque loca alia ſubſtituta. Placuit ſcilicet iiſdem, omnem culpam in cometam, (*b*) quem vulgus imminentium malorum cauſam & prodromum credit, ſtellamque cadentem (*c*) conjicere. Quæ autem cum ita comparata ſint, ut lubrico minuſque firmo innitantur fundamento, merito rejicimus, fabuliſque annumeranda cenſemus.

§. VII.

Quæ de fructibus finxerunt alii, quod ſcilicet ab aere maligno acriori & nutriti, deinde ab hominibus crudi, vel male cocti & conditi, comeſti, chylum particulis ſuis acrioribus & facile fermentalibus imprægnent, indeque particulæ hæ heterogeneæ, vel ſtatim in inteſtinis ipſis irritationem & ſpaſmos, vel maſſam ad ſanguineam delatæ, mediante

(*b*) Monendum hic, notam hanc & ſequentes, literis diſtinctas, a Præſide illuſtrationis gratia additas eſſe. (a) conferatur tamen hanc in rem Siegesbeck, qui in relatione medica de dyſenteria maligna 1719. Seehuſæ obſervata, quæ habetur in Annalibus Breslavienſibus Anno 1719. Menſ. Octobris claſſe II. totus allaborat, ut dyſenteriam, quam deſcribit, a varia planetarum conſtellatione & eorum energia hunc in aerem deducat.

(*c*) Anno 1745. menſe Octobri talem ſtellam cadentem, ſeu globulum ignitum, partem patriæ ſuperiorem totam, ubi anno 1746. hæc dyſenteria, ſæviit, multi mecum viderunt.

diante circulo ad colatoria iterum propulſæ, dyſenterias cauſari & producere queant, neque negamus, concedimuſque vim aeris, quo perpetuo veſcimur, ſpiritus corporis humani & humores, cachecticorum imprimis & puerorum, turbandi ac excitandi, magnam eſſe juxta *Hipp. L.* 3. *Aph.* 1. radicalem tamen hujus mali contagioſi, & eſſentialem cauſam, fructus non conſtituiſſe, ex ſequentibus patere mihi perſuadeo. Erant ſcilicet arbores fructibus ſteriles, nec terra fungos pariebat, nec vitis erat ferax uvis; imo invaſerat jam menſe Aprili & Majo aliqua dyſenteria, maxime tamen mitis, quæ tantum puerum unum vel alterum & ſenem vexabat, quo tempore vix ſtamina dicti fructus cœperant; & inferior patriæ pars cum pomis ſuis tunc temporis ſoſpes ſaltabat, quo ſuperior hancce malignam deplorabat dyſenteriam. (*d*) Et quid fructus hi ad infantes, eidem atrociſſimo malo obnoxios, quorum quoque matres ab eorum eſu abhorruerunt? Quid quodſi hominis exemplum propoſuerim, hoc diro affecti morbo, cui non tantum non exitio fuerunt fructus illi, ſed & levamini? Ille enim hoc infectus malo, cum morbi injurias, intolerabilemque, quam perpetiebatur, ſitim non amplius ferre valeret, ſtatim ab arbore quædam legit pruna, ex eiſque ingeſtis tale percepit levamen, ut non æſtus tantum ventris infimi extingueretur, ſed totus etiam morbus, abſque ſubſequente recidiva ſymptomatumque exacerbatione, tolleretur. (*e*). Non quidem hæcce ſcribo, ut contendam, novum dyſenteriæ medicamen in prunis eſſe inveniendum, quippe quæ ſæpiſſime vim mali augent, ſed ut eadem quoque tradam, quæ inſolita, quæque inaudita fere obſervaverim. (*f*)

§. VIII.

Manet itaque ex mea quidem ſententia, cum reliquas refutaverim; contagium illud, per nebulam terræ, & ſuperiori quidem patriæ parti communicatum, cauſa hujus mali principalis & primaria, quamquam nos ignorare, fatendum ſit, cuius conſtitutionis & figuræ illud miaſma venenatum & contagioſum fuerit. Hoc ſicut ipſe expertus ſum; ita facillime mihi fides haberi poterit. Dum enim vix per dimidiam patriæ obam-

(*d*) Talem frugum dyſenteriæ tempore defectum annotavit quoque Bergerus l. c. §. 5. nec non alii.

(*e*) Ancilla quoque, quæ tunc temporis a manibus mihi erat, mala immatura, ſiliquas, cucumeres, pruna aliaque ſine metu aut ſubſequente dyſenteria, avidiſſime devorabat.

(*f*) Inſueta talia remedia anti-dyſenterica tradit Siegesbeck l. c. Sect. II. p. 441. ubi dicit: Allegare poſſum patientes, in diverſis locis degentes, quibus cucumeres vel recentes, cum aceto, ſale, pipere & oleo olivarum more ſolito confecti, vel etiam acida muria conditi, largius commeſti, remedium fuerint antidyſentericum, & hæc veriſſima eſſe, aſſeverare poſſum.

obambulo partem, oritur nebula, iterumque recedit. Effectus autem in me inde redundans, tantus tamque ſubitaneus, ut vix locum, quem petebam, ex ingenti, quæ membra premebat, laſſitudine attingere valerem, ſicuti ſtatim ab initio in recenſione hiſtoriæ tradidi. Manet, inquam, miaſma illud per nebulam communicatum, vera atque unica cauſa hujus mali, peſtis ad modum ſerpentis, quidquid in contrariam aſſeruerint partem; idque ex eo potiſſimum cum ceteris fundamento, quod ea tantum pars patriæ huic malo ſuccubuerit, quam nebula oppreſſerat. (*g*)

§. IX.

Aſſerui quidem paragrapho antecedenti, veram hujus mali epidemice graſſantis & maligni cauſam conſtituiſſe nebulam illam fœtidam, craſſam atque denſam: Plura tamen alia & varia, ad tale monſtrum alendum & producendum contuliſſe & conferre potuiſſe, ipſe annuo. Sic temperamentum cholericum ſive bilioſum, cum laxitate & teneritate pororum cutiſque, nec non ventriculum cum inteſtinis, fermentabili & corruptibili humorum colluvie ſcatentem, ad contagium hocce recipiendum, præ ceteris aptum fuiſſe obſervavi. Inde eveniſſe credo, pueros magis cum ſenibus, hujus mali atrocitatem experiri coactos fuiſſe; quanquam vix ulli morbus hicce, domum invadens, pepercerit. Contribuerint quoque multum tempeſtates turbulentæ, autumnuſque nebuloſus & pluvioſus. Auſtri imprimis eodem anno ſemper ſævientis, & æſtus, tota fere æſtate intolerabilis, in humoribus exagitandis & turbandis in hominibus, alias ſtrictam diætam obſervantibus, magnam vim fuiſſe, cum

(*g*) Degnerus quidem in tractatu de dyſenteria contagioſa, quæ 1736. Neomagi & vicinis ei pagis epidemice graſſata fuit, in Append. ad Volum. 5 Actor. Phyſic. Med. reperiundo, & quidem Cap. 2. §. 23. p. 38. ita ſcribit: „Verum uti non „negamus, ab aere corrupto & putreſcente, ubi revera talis exiſtit, multos & „graves morbos oriri poſſe, tamen venenum illud contagioſum, quod variis anni „tempeſtatibus, aut quod tempore morborum epidemico-contagioſorum, aeri in„ſinuatum, & quod in eo vagari & volitare putatur, mera ſane, uti doctus qui„dam loquitur Medicus, videtur eſſe chimæra & feſtinata nimium conjectura illo„rum, qui efficaciam communium qualitatum aeris, e. g. ſimplicis caloris, ſicci„tatis, humiditatis, frigoris &c. diuturnioris aut intenſioris, extraordinarii, in„ſueti in noſtra corpora, & imprimis notabilem inde humoribus noſtris inductam „mutationem & vitioſam alterationem, non ſatis attente conſiderant, neque per„pendunt, quam facile & quam vario modo, ex varia & ſimplici aeris illa qua„litate, humores noſtri blandi alterari & in putredinem converti poſſint." Siegesbeck tamen l. c. Sect. 2. p. 445. nebularum in iſta dyſenteria obſervatarum, naturam venenatam his verbis deſcribit. Accedit, quod & ipſa atmoſphæra a matutinis, & vix non cauſtici odoris nebulis, eodem tempore aliquoties ſubortis, inquinaretur, ut etiam animalia paſſim in paſcuis mortua conciderent. Non tamen ideo cum Peyero Exerc. Anat. Med. de Gland Inteſt. P. 2. c. 9 miaſma vel inquinamentum aliquod morboſum, quod arſenici naturam referat, ex aere communicatum, ſtatuendum erit. vid. Berger. l. c.

cum Sydenhamio p. 153. contendo. Quibus cum acceſſerit ſingularem poſt rarefactionem, nimia aeris, per frigus intenſius, nebulas pluviaſque repetitas, compreſſio, quæ animalibus brutis, docente antlia pneumatica, quoque lethalis eſſe ſolet, non mirum fuiſſet, ſi hæcce ſola malum excepiſſet dyſentericum. Corruptionem autem iſtam aeris & malignitatem efficere, pabulumque novum & fermentum quaſi præbere potuerunt miaſmata, tum ex cadaveribus animalium dyſenteriæ ſpecie mortuorum, (*b*) tum effluvia illa putrida ex cadaveribus hominum, ſtrage ingenti nuperrime locis in propinquis interfectorum, cujus recordatione ſtupemus, jamque in plenariam putredinem abeuntibus, exhalantia, quippe quæ per auſtros magis magiſque fota, per calorem expanſa & elevata, perque pluvias, nebulas & intenſius frigus terrenis rurſus communicata ſunt. Quid dicam de excrementis illis contagioſis & fœtidis, ubique oculis prætereuntium expoſitis? Quid commemorem de terrore, atque timore, a quo multos, ſqualiditate illa præcipue percitos, hunc in morbum incidiſſe, mihi conſtat. Talia ſane ſunt, quæ ni malum producere, illud tamen augere & egregie propagare queunt.

§. X.

Cum jam non ignoremus cauſam primariam ſive proximiorem contagii hujus eſſe aerem, non quidem per ſe talem, cum per ſe ſit ſubtiliſſimus & puriſſimus, quo ad vitam ſuſtentandam quotidie utimur, ſed quatenus particulis & effluviis venenatis, vehiculum quaſi & ſubjectum

(*b*) Cum præcedenti autumno anno, ſcilicet 1745. homines quidam, cum bobus polonicis mercaturam facientes, Fiſchbachii, quod non adeo procul a patria diſtat, primum boves infectos malitioſe, & prætextu ſub falſo mactarent, iſtamque carnem multa variaque in loca venum portarent, (quam tamen, detecta feliciter nebulonum malitia, averſabantur omnes, atque ut carnifici, ad ſepelienda talia lernæa mala, poteſtas daretur, efficiebant, (factum eſt, ut incolarum pecora omnis generis, nec ſtabulis clauſis, nec antidoto ſatis munita, lue hac infecta perirent. Latius vero jam ſerpebat malum, atque hunc devaſtans locum, ad vicina quoque tranſibat loca. Stolpam enim, Altſtadium, nec non Seeligſtadium invadebat peſtifer ille morbus, animalia omnia intra breve temporis ſpatium enecans. Mera autem hæcce lues erat dyſenteria, mera diarrhœa continuo fluens, quæ tantam inter animalia edidit ſtragem, omnibuſque fere incolas privavit pecoribus. Tanta autem in malignitate fieri vix potuit, ut homines ſublevandis atque conſervandis brutis accedentes, ſemper immunes manerent. Afficiebantur ſcilicet & homines dictis in locis dyſenteria, quadam non adeo tamen maligna & contagioſa. Quæ vero Bretnigii & Hauſswaldaviæ in ſuperiori Luſatia, in quæ bina loca dyſenteriam talem ex patria a ſervo infecto, & Hauſswaldaviæ moriente, deportatam eſſe, vulgo crediderunt, graſſabatur, noſtro non abſimilis malo contagioſo, multos e vita quam citiſſime ſuſtulit. Quid igitur mirum, cum ſemina morborum contagioſorum præcedenti jam adfuerint anno, nec aer hyeme ſubſequenti ſit purificatus, quin potius magis magiſque per effluvia ejuſmodi putrida, ex putreſcentibus oborta cadaveribus, corruptus, tale malum inauditæ malignitatis inde ſubſecutum eſſe.

jectum conſtituit, jam a me expectari video, ut probem, qua ratione effectus tales tragicos edere valuerit. Hic autem ad communes modos atque rationes, quibus miaſmata morboſa atque maligna corporibus aliis communicari poſſunt, redeundum eſſe cenſeo. Per os nareſque receptum contagium, cum ſaliva mixtum, atque ad ventriculum & inteſtina delatum, ipſam digeſtionem primam turbando, fundamentum morbi ponere potuit. Quia prӕterea aer ubique nos ambit, & quovis momento per inſpirationem intra pulmones hauritur; per univerſi denique corporis poros & meatus patulos penetrat, per omnes ſuccos intime ſe diffundit, & pro ſua temperie eos modo premit, modo rarefacit, calefacit vel refrigerat, humectat vel exſiccat, aliiſque innumeris modis afficit, quid mirum, ſi contagium hac via per univerſum corpus diffundatur. Notum enim ſatis ſuperque eſt, poros cutis, ſicuti extus, ita & intus patere; eademque ratione, qua quid egeritur, etiam ingeri, & cum interioribus exactius miſceri poſſe. Denique affirmare liceat, aerem illum, inſigni fœtore ſuam malignitatem prodentem, & fontes & herbas & alios fructus, alimentorumve genera varia conſpurcaſſe, horumque ope, dum ſcilicet ad vitӕ conſervationem inſervire debebant, ventriculo, inteſtinis ſanguinive communicatum, humores varia ratione alterando, huic malo aptiores reddidiſſe, aut eodem jam prӕſente, graviora ſymptomata excitaſſe.

§. XI.

Generaliorum horum quodlibet quicquam contuliſſe ad id malum vel inducendum, vel alendum, vel etiam exacerbandum, nullus affirmare dubito. Confirmor prӕcipue in hacce mea ſententia vario invaſionis modo, quem ӕgri perpeſſi ſunt. In aliis enim totum genus nervoſum, aut unus ſaltem vel alter digitus in ſpaſmos atque torturam trahebatur miſerrimam. Sӕpiſſime quoque in multis ſubjectis frigore & dolore capitis maximis antecedentibus, & toto genere nervoſo in conſenſum tracto, corpus univerſum convulſionibus ad mortem fere ultimam excarnificabatur, priuſquam dyſenteria hӕc adventum ſuum triſtiſſimum, cum cardialgia magna, prӕnunciabat. Alia ſubjecta primum de tonſillarum tumore & otalgia, nec non de dolore circa orificium ventriculi dextrum, ſubſequente deinde dyſenteria conquerebantur. Pleroſque fere ſine his antecedentibus, malum hocce ſtatim corripiebat & miſere divexabat. Imo ab initio jam talia quandoque aderant ſymptomata, qualia vix ſomniaverit quidam. Videatur hiſtoria ab initio invenienda.

§. XII.

Quo rarior atque inſperatus quandoque fuit hujus mali incurſus: eo

nus mirandum, idem corpora puriſſima, a fructibus horæis abſtinentia & diætetice viventia citius, quam colluvie humorum ſordida atque heluatione infarcta, nec non in diæta innumeros committentia errores infeciſſe, priora magis, quam poſteriora divexaſſe. Credendum igitur, in ſqualide viventibus materiam adfuiſſe, ad dyſenteriam egregie aptam & diſpoſitam, in quam contagium illud morbificum agere, ſuamque vim, abſque inſigni inteſtinorum eroſione, & omnium partium præternaturali turbatione, exſerere potuiſſe. Quam ob cauſam pruna præcipue, imminente aut jam præſente dyſenteria, comeſta, alvum fortaſſe lubricando, atque educendis humoribus præparando, uti antea jam addidimus, conduxerint. Mirum quoque videtur, mulieres paucas gravidas, malo hocce licet graviſſimo correptas, abortum paſſas eſſe. Dicit quidem Hippocrates Sect. 5. Aph. 34. Mulieri in utero gerenti, ſi alvus multum fluxerit, periculum, ne abortiat, & porro Sect. 3. Aph. 31. Morbo quodam acuto mulierem gravidam corripi, lethale. Jam vero hunc morbum acutiſſimum ſane gravidas adortum eſſe, abſque ſubſequente illarum morte, obſervavi. Obſervavi potius legitimo accedente partus tempore, mulieres dyſenteria affectas melius habere cœpiſſe, malo tamen, poſt partum plerumque difficilem, in infantem recens excluſum delato, quem ob morbi atrociam tenerioremque corporis conſtitutionem, poſt brevius temporis ſpatium, vita plerumque exceſſiſſe recordor. Res a me non primum obſervata atque detecta, ſed jam a pluribus annotata autoribus (*i*). Qua ratione autem eveniat, ut, cum matri communicetur tale malum, fœtus adeo infelici ſui ipſius omine, adſugat quaſi, & matrem a morte liberet, inter abſcondita naturæ myſteria referendum eſſe cenſeo.

§. XIII.

Cum hucuſque in variis recenſendis circumſtantiis atque inveſtigandis cauſis, paulo fuerim prolixior, jam ad malum ipſum me converto. Hoc ſicuti egeſtis purulentis & ſanguineis, cum ingenti teneſmo egerendique difficultate ſe alias quoque prodit; ita ab iiſdem inchoandum erit. In aliis autem nihil excretum, niſi particulæ minores muci fœtidi & purulenti, cum flatibus, ἄνω καὶ κάτω decedentibus, perpetuo deſidendi deſiderio, ſed ſemper irrito, cum torminibus inteſtinorum atrociſſimis, inflammatione totius abdominis, urinæque ſuppreſſione totali. Peſſimi genii hæc erat dyſenteria, abſolute fere lethalis, niſi aut ope naturæ, aut aſſumtorum miniſterio medicamentorum, alvus fuerit lubrica reddita, quæ mihi ſicca quoque appellata eſt. Humida quæ mihi vocatur, vel erat cum dejectione crebra & doloroſa, humorum diverſorum putridorum & purulentorum, qui quandoque citrini, viridis, praſini erant coloris, imo & nigri, rariſſime cum ſanguinis puri & limpidi

(*i*) cf. Siegesbeck l. c. p. 442. & Degner. l. c. Cap. 1. §. 33. p. 22.

pidi effuſione, quod inter centenos vix uni contigit, & ſalutare boni eventus ſignum conſtituit, conjuncta: vel mera erat mucoſa, coagulo & gelatinæ oſſium non abſimilis, chylo tamen permixto conſpicua, quæ prioribus longe erat mitior, atque, vix aſſumto laxativo, ceſſabat.

§. XIV.

Quæ lues pro diverſa diſpoſitione humorum, pro majori vel minori lymphæ, ſanguinis ſuccique nervei acrimonia, cum vario ſub ſchemate invaderet: cum varia alia, eaque plus minuſve atrocia & periculoſa adjuncta haberet ſymptomata, cum ratione graduum vel perfecta vel imperfecta, incipiens, aucta, ſummo denique in gradu conſtituta eſſet: cum ratione cauſæ efficientis, peſtifera quaſi & contagioſa affligeret, cum una tandem febris acuta certe, quandoque acutiſſima, urgeret: varia formanda erat prognoſis, & pro harum circumſtantiarum varietate mutanda; mutandum circa lethalitatem aut reſtitutionem judicium. Ingenue tamen fateor, adeo fallacem & ancipitem fuiſſe prognoſin, ut nunquam certi quid innuere auſus ſim. Evadebant, quorum ſtatus deperditus, imo deſperatiſſimus erat, quibus ſymptomata peſſima interitum minitabantur: ſubitanea autem morte jugulabantur, qui ſymptomata patiebantur mitiora, quorumque res in vado poſita videbatur. Sic inteſtinorum tunicæ abraſæ, caruncularum inſtar rejectæ, faſtidium cibi cum ſingultu, febreque ardente, excrementa varii coloris, viridia ſcilicet & nigra, cum pure & bile atra permixta, minime ſigna erant lethalia, quanquam id annuat Hippocrates VI. aph. 3 & 4. nec non 2. aph. 2. ubi autem per totum morbi decurſum appetitus plane erat proſtratus, & digeſtio abolita; ibi mortem in olla fuiſſe, quilibet perſpicere valet.

§. XV.

Effectus cum teſtetur de cauſa; hocque malum adeo malignum, acutum, imo venenatæ quaſi naturæ, fuerit; uti demonſtrare poteſt hiſtoria morbi & ſymptomatum: cauſam inde ſumme mobilem & malignam eruere didici. cf. §. 8. Deſperatis morbis generoſiora & efficaciora quandoque opponuntur remedia. Hæc in ſtatu, ubi nullum auxilii genus ſupereſt, multa cum ægri euphoria adhibentur: non eadem tamen promiſcue applicanda eſſe, multis fultus argumentis, cenſeo. Quæ adhibuerim, quoque ordine, patebit, ſi methodum medendi communicaverim. Conſtabat autem in eo; (1) ut humores acres, fermentantes & peccantes per laxantia & purgantia iterata educerentur; (2) ſerum ſanguinis cum reliquis humoribus turgeſcentibus & coagulatis temperaretur & corrigeretur; (3) ſymptomata mitigarentur, nec non removerentur;

 (4) ven-

(4) ventriculus cum inteſtinis corroboraretur, & tandem (5) diæta decens obſervaretur.

§. XVI.

Triplicis generis remedia cuilibet morbo dantur applicanda. Sive enim quædam auxiliorum genera e chirurgia petuntur; ſive e pharmacia deſumuntur; quædam etiam diæta ſuppeditat. E chirurgia nullum quidem certum remedium ad dyſenteriam hanc & levandam, & plane pleneque exſtirpandam ſuppetebat. Quam enim autorum multi laudandam ſibi ſumunt venæſectionem, tum ad præſervationem hujus mali, tum ad exoptatam ejuſdem medelam: illa in plethoricis forte & hæmorrhoidariis, inque iis, qui regiones incolunt calidiores, admittenda eſſet, utpote in quibus & dyſenteriæ ſæpius affligunt, & æſtus ſolis intenſior huic malo præcipue anſam manumque porrigit. Noſtro in caſu neque clyſteres, propter continuum deſidendi, irritum licet & ſterilem, ſtimulum, atque perpetuam totius corporis jectigationem, applicari poterant. A venæſectione autem ex ſequentibus abſtinuimus rationibus. Reſidebat hocce malum non in ſanguine ſic dicto ſolo, ſed ſerum tantum ejus, lympham, roremque præcipue nerveum cum reliquis occupabat humoribus. Cum vero per venæſectionem abſumatur ſerum dulce, relicto ſale maligno, quo ipſo ſanguis magis ad grumeſcentiam atque ſeceſſum, a ſero ſuo diſponitur; eaque venæ ſectio ſolum utilis, quæ, quod oportet, evacuat, judice Hippocrate 1. aph. 2. venæſectionem ſupervacaneam, niſi lethiferam cenſui. Affligebat adeo præterea malum, quod in ſale quodam acido, acri, volatili, corroſivo, venenato, totam humorum craſin aggrediente, nec non laticem totius corporis exſiccante, conſiſtebat, ut ægri, proſtratis abolitiſque repente omnibus viribus, paucorum ſpatio dierum mera viva repræſentarent ſceleta. Deficientibus autem viribus, ſanguinem mittere cum vetitum ſit, juſtam venæſectionis intermiſſæ cauſam habere videbar. Imo fatendum mihi eſt, me in multis morbis acutis atque catarrhalibus perniciosam venæſectionem obſervaſſe; meque in praxi vicenaria millenos, licet pleuritide, pleuriſi, angina, febribuſque omnis generis & dyſenteria correptos, *Deo* annuente, brevi & feliciter, ſine ſanguinis evacuatione, curaſſe.

§. XVII.

Pharmacia opem præſtare principalem, æque ac certam, in præſenti debebat; & quidem priori loco eadem ſuggerebat, quæ materiam morbificam, ventriculo & inteſtinis inhærentem, evacuarent. Eaque ſunt vel vomitoria, ſive per inferiora ſordes expurgantia. Vomitoria a quibuſdam in dyſenteriæ cura, feliciter ſuſcipienda, ſumme neceſſaria reputantur, &

& inter eadem radix Ipecacuanhæ, tanquam remedium ſpecificum antidyſentericum, non ſatis laudibus extolli poteſt. Nobis vero, radicem hancce ab initio propinantibus, contrarium evenit (*k*), quia in principio ſtatim expanſio diaphragmatis & ventriculi magna aderat, & inflammatio, & malignitas non in ventriculo ſolum hærebat, ſed in momento inteſtina tota perreptaverat, non adeo mirum, ſi talia in dyſenteria maligna epidemice graſſante, exoptati loco effectus, deprehendimus. Salutarem autem in luis hujus declinatione obſervavi eventum, ex Ipecacuanha cum vel ſine ſtimulo data, tempore quæ hoc perquam ſalutaris fuit, & vomitionem blandam excitavit, & ſæpiſſime plane non, vel ſaltem leviter κατω operata eſt.

§. XVIII.

Melius meæ ſatisfecerunt expectationi, non parvo cum ægrotorum levamine, laxantia, ac quandoque ipſa ſic dicta purgantia, quæ tamen non promiſcue, ſed pro indicantium ſuaſu cum judicio adhibui, obſervato inprimis inter dyſenteriam humidam & ſiccam diſcrimine. Sic in malo ita dicto humido, mere laxantia & tuta erant, & congrua. Dedi hunc in finem pulverem n. antidyſentericum laxativum vel ſequentem, ex raſura rhabarbari, corn. cerv. nuce moſchata paratum, additis theriaca vel diaſcordio correcto vel Laudano opiato (*l*) pro indicantium ſuaſione

(*k*) Idem obſervat Siegesbeckius l. c. Sect. 3. p. 450. Cum multi patientes hoc morbo, dyſenteria ſcilicet, afflicti Cardialgias & præcordiorum anxietates ſimulque vomendi conatus perſentiſcerent, dedi ſub morbi initium quibuſdam doſin hujus pulveriſatæ radicis convenientem, cum ſale ſtimulante maritatam, ſed vomitus hæc ipſa radix, (licet fuſca fuerit, quæ inter tres ſpecies, albam nimirum, fuſcam & griſeam pro violentiſſima habetur) movere recuſavit, (licet in aliis morbis vomitus ſalutares provitaverit) ſed cito ad inteſtina devoluta, dyſentericum fluxum magis excitavit & exacerbavit, ut aliquoties optaverim, me ſpecificum hoc Americanum dyſentericum non ordinaſſe, hinc etiam in aliis patientibus ab ejus uſu abſtinui.

(*l*) Conſentiunt cum his, quæ habet Sigesbeckius l. c. p. 453. qui conſultum duxit, Ettmulleri methodo inhærere, quando hic in cura dyſenteriæ ſuſcipienda, inter alia monet: ſi in principio laxandum, Rhabarbarum ſolum eſt, quod tutum eſt, vim habet enim anodynam: ſed haud præmittendum, aut jungendum, aut ſubjungendum opiatum. Ad cujus, inquit, conſilii imitationem, ordinavi patientibus initio morbi, aliquando etiam, ſi inter reliquorum medicamentorum uſum alvus nimis conſtipari videbatur, rad. Rhabarb opt. crudi & pulveriſati. ſcrupulum unum, laudani opiati grano unico combinatum, & quidem cum tolerabili, non valde doloroſa ſubſequente laxatione. De opio Bergerus in diſſertatione citata & §. quidem 20. p 43. dicit, hoc magis opium in curanda dyſenteria laudatum, quo plures abſolvere poteſt indicationes, cum vi una rarefaciente & diaphoreſin promoveat, per eamque affluentem divertat materiam ac ſtimulum, & motus irrequietos, atque cruciatus & tormina inteſtinorum ſedet, & ſomnum, qui merito optimum dyſentericis remedium habetur, procuret.

ſione & neceſſitate, vel omiſſis quoque. Ubi ſubjecta erant robuſtiora; fortiore opus erat cuneo, fortioribus alvus movenda erat purgantibus. Felici cum ſucceſſu propinavi radicem gialappæ cum nitro antimoniato vel trochiſcis agarici, tempore quovis primæ aggreſſionis, data tertia vel quarta, poſt ſumptum purgans, hora, theriacæ drachma dimidia ad unam (*m*). Ita evenit, ut purgans fortius non tantum non inteſtinorum eroſioni malique exacerbationi anſam præberet, ſed theriaca quoque relictos acres humores feliciter caſtraret, caſtratos denique, pro indicantium ſuaſu, diebus alternis iterum evacuavi, ſuperveniente & per unum alterumve diem perdurante, levi & miti diarrhœa, interpoſita mixtave theriaca vel diaſcordio correcto. Cum autem graviora adeſſent ſymptomata graviorque teneſmus, abſque ſubſequenti alvi dejectione, fluida atque leniora, pro excretione promovenda meliora judicavi. Id quod etiam impetravi propinatione eſſentiæ antidyſentericæ laxativæ, a drachma dimidia ad duas vel ultra, infuſo rhabarbari indici, foliorum ſennæ ſine ſtipitibus, cremore tartari vel alio ſtimulo acuato, cum aqua deſtillata herbæ Scordii vel Cardui benedicti præparato, ut alia taceam, quæ in tanta ægrorum multitudine atque diverſitate, exquiſitiori cum judicio exhibere debebam.

§. XIX.

In utraque hac dyſenteria, poſt & inter abſterſionem atque laxationem, alterantia & humorum acrimoniam temperantia, abſorbentia, gelatinoſa, mucilaginoſa atque alexipharmaca, paucaque anodyna interpoſui; ægris ſumenda tradidi ſperma ceti, gummi Arabicum, Tragacantham, gelatinam CC. in juſculis aquoſis & avenaceis, vel in potu thee, aut decocto alio vulnerario, hiſque quodammodo calidis. Cereviſiam primariam & ſecundariam pro potu & pro vehiculo, quia per hujus hauſtum patientes omnes recidivam paſſi ſunt pertinacem, in totum proſcripſi. Quibus ſi cum paucis anodynis, canali alimentorum vulnerato & exulcerato ſatis proſpectum, humores acres correcti, eorum acrimonia involuta, atque e corpore per interpoſita leniora laxantia eliminati fuerint, ad conſolidantia cum antecedentibus confugi alia. Paravi ſcilicet potiunculas ex coralliis præparatis rubris, lapidibus cancrorum, bolo armena & pulvere marchionum, addita particula theriacæ vel diaſcordii cum aqua deſtil-

(*m*) Theriacam hanc, quæ nihil aliud eſt, quam extractum ex reſiduo eſſentiæ theriacalis paratum, quidam in vicinia homo, qui ſe expertum credit Medicum, hujus compoſitionis plane ignarus, tanquam ſummum Narcoticum proclamavit, & opio abundans. Nos autem plures, quam centum a dyſenteria illa liberantes, vix unam Laudani opiati drachmam conſumſimus. Plebeio igitur aliquid dandum cenſemus.

deſtillata herbæ veronicæ, fragariæ, plantaginis & ſyrupo ex roſis rubris ſiccis parato (*u*).

§. XX.

Sæpe ſymptomatibus urgentibus & ſpaſmis temperantia ſuperiora inculis prima, altera vero ſequente hora jus per vices alexipharmaca, nempe radicem Serpentariæ virginianæ grana aliquot ad drachmam dimidiam cum theriaca vel diaſcordio combinatam, addendo præterea eſſentiam ſcordii, theriacalem aliaque. Quæ cætera deprædicantur alexipharmaca, de ſpir. vitriol. participantia, pro lethiferis habebam, quia dyſenteria hæc ſemper inteſtinorum exulcerationem ceu comitem habebat, & rariſſime niſi neceſſitate urgente, adhibebam in principio vel augmento mali granum unum vel alterum Laudani opiati, in ſocietate raſuræ radicis Rhabarbari indici.

§. XXI.

(*u*) Recentioribus temporibus duo innotuerunt auxiliorum genera, nec omnibus ſatis nota, nec adhibita; in dyſenteria tamen valde utilia, niſi omnem abſolvant paginam. Alterum conſtituit cortex Simaruba, alterum radix Salab. Prioris ſcribente Degnero l. c. p. 75. prima facta mentio in hiſtoria & commentariis Academiæ Regiæ ſcientiarum Pariſienſis anno 1729. & poſtea in commercio literario Norimbergenſi anno 1731. 1732. & 1733. Tranſtulit ex dictis libris, quæ de illo cortice prædicantur, quantum ad uſum practicum ſpectat, in commentarium ſuum de dyſenteria bilioſo-contagioſa. Liceat ex variis hæcce tantum inſerere; Conſtantem ſcilicet & perpetuum ejus fuiſſe effectum in dyſenteriis pertinacibus omnem vel probatiſſimarum alias medicinarum efficaciam reſpuentibus, & fluxibus glutinoſis, bilioſis & ſanguinolentis, qui fere omnes tertio aut ſexto cyatho hauſto gradum ſtiterunt, ſine ullo dolore aut evacuatione, ſurſum deorſumve inſecuta: urina unice majori redditur, copia, magiſque colorata, atque in nonnullis ſubjectis abundantes ſupervenire ſudores. Dari ſolet hocce medicamentum vel in pulvere, ad duodecim vel viginti grana, in forma pilularum, vel in juſculo: vel ad duas drachmas in aquæ heminis tribus ad reſiduum quadrantis decoctis, quod pro tribus ſufficit cyathis, atque ordinaria hujus remedii doſis eſt. Addit Degnerus, ſe minime vulgarem ex hoc decocto percepiſſe utilitatem in morbo curabili, ſingularem autem & præſtantiorem notaſſe effectum in fluxu ſanguinis & materiæ cruentæ, utpote quem citius compeſcere dicit, quam excretiones bilioſas. Concludit tandem, corticem hunc amaritie ſua non tantum bonum corrigens & temperans, ſed & ad firmanda viſcera, tutiſſimum tonico roborans & ſedativum, ac ideo reliquis omnibus anteferendum eſſe. De radice autem Salab, ſcribit, ſi hujus radicis ſubtiliſſime pulveriſatæ; drachma una unciis octo aquæ calidæ infunditur, leni calore ſuper ignem ſolvitur, ac per linteum expreſſa paucis ſuis feculis depuratur, abire in pulcherrimam gelatinam, ſi ita loqui licet, mucilaginoſam, de qua ſumatur ſingulis duabus, tribus vel quatuor horis cochleare dimidium, vel plus minuſve prout neceſſitas exigat. Commode hanc acrimoniam involvere, temperare, doloreſque leniſſimo modo demulcere ac mitigare, illamque partibus ſolidis fortius adhæreſcentem, arroſa inteſtina tanquam balſamo blandiſſimo delinire, dicit; hanc mucilaginem, antidyſentericam ipſi dictam, omnibus ſuis ægris, qui ea indigere videbantur, propinavit. Plura de his videantur apud Degnerum l. c. Sic noſmet ipſi graviſſima dyſenteriæ tormina utriuſque uſu feliciſſime levavimus, & inſignem horum remedium efficaciam teſtari poſſumus.

§. XXI.

Cum jam ea expoſuerim, quæ primario applicanda erant morbo: ad ſymptomata quoque me converto urgentia, & quibus eadem auferre ſtuduerim, addere non dubito. Ubi quidem in genere moneo, quod laxantibus, abſtergentibus, interpoſitiſque alexipharmacis, in cura mali commendatis, ſymptomata plerumque ceſſerint. Sublata enim cauſa tollebatur effectus. Quædam tamen nec his adhibitis cedere volebant, ideoque ſpecialiora requirebant medicamenta. Hæcce fuiſſe recordor cardialgiam, vomitus aliaque mala, ventriculum affectum teſtantia, exulcerationem inteſtinorum, capitis dolorem, febrem ardentem, atque tandem epilepſiam. Ubi igitur vomitus, cardialgia, ſingultus, ructus, ventriculique enormis dolor urgebat, præter ſperma ceti, largiori doſi ſumendum, dedi quoque theriacam: externe autem poſt inunctionem olei menthæ criſpæ & chamæmeli Romani cocti, ſacculos applicui diſcutientes & reſolventes, ex herba abſynthii, floribus chamæmeli, meliloti, ſemine fœnugræci aliiſque paratos, in forma ſicca, moderate calefactos. Quanquam fatendum mihi ſit, externa neque adeo neceſſaria, neque proficua fuiſſe, cum interiora jam pro aris ſtare debebant; niſi quod emplaſtrum ex theriaca, ægrotos ſublevaſſe ſciam.

§. XXII.

Ex hiſtoriæ relatione perſpectum ſatis eſſe credo, tantam quandoque hujus mali fuiſſe atrocitatem & malignitatem, ut non inteſtina ſolum eroderet, eaque læſa ſanguinem funderent frequenter, ſed tunicæ quandoque inteſtinorum abraſorum, caruncularum in modum decederent; hos igitur tanquam vulneratos tractandos ſumſi. Præſcripſi autem vulneraria ſequentia, oleum ſcilicet hyperici, herba ſcordii ſaturatum, nec non ſpecies pro decocto aut infuſo vulnerario, hæcque per os haurienda. Hiſque per tempus aliquod continuatis, ulcere ſatis mundato, tandem cum ſymptomatibus malum quoque eſſentiale ceſſavit, inteſtinis jam ſuo munere rite fungentibus.

§. XXIII.

Dolor præterea capitis adeo exceſſivus hac in lue a me eſt obſervatus, ut disjunctio quoque ſuturarum, coronalis nempe & ſagittalis, inde ſequeretur (o), affectus in dyſenteria nondum a quodam annotatus. Quo minus

(o) Suturarum cranii diſceſſionem ab adſtantibus perceptibilem à cephalalgia contumaci a Claudero obſervatam, in Ephem. Germ. Decur. II. Ao. IV. obſ. 142. nec non in

minus uſitatus, quo minus ſperatus, aut a me viſus, eo quoque difficilior erat curatu. Tantus autem erat hiatus ille, ut vel digitum commode immittere poſſem. Hujus igitur ſymptomatis, in uno alterove evenientis, nequaquam tamen lethalis, curam ita ſuſcepi, ut ordinarem aquam N. cephalicam compoſitam, cum particula camphoræ, & eſſentiam theriacalem camphoratam pro uſu externo. Cum quandoque teneſmus (*p*) & ſpaſmi ſummum conſequerentur gradum, hique in ipſam degenerarent epilepſiam; profligavi eoſdem præter theriacam, cinnabari nativa vel antimonii, & pulvere radicis ſerpentariæ virginianæ, a granis aliquot ad drachmam dimidiam dato. In curanda autem febre acuta ita verſabar, ut exhiberem alexiteria, & potiunculas ex amygdalis dulcibus, ſemine aquilegiæ, vel plantaginis, cum aqua deſtillata herbæ veronicæ, fragariæ & plantaginis præparatas, item gelatinam C C. & tincturam roſarum, aliaque ejuſmodi refrigerantia & temperantia in potu aquæ ſimplicis vel theæ haurienda.

§. XXIV.

Cum jam vis morbi eſſet fracta, dyſenteria ceſſaret, ſymptomataque, dolores ſcilicet capitis, febris, teneſmus, convulſiones aliaque, profligata; diarrhœa tamen remanebat adeo pertinax, quæ multis illudebat remediorum generibus. Oppoſui me tamen eidem, nec ſine magno ægrorum levamine, per adhibitum vomitorium, radicem videlicet Ipecacuanhæ, cum vel ſine ſtimulo. Meliorem tunc temporis experiebar effectum ex hocce remedio, quam ab initio mali. Sola enim fere ſufficiebat, ad fluxus ejuſmodi præternaturales ſiſtendos, ſedandos, vel loco ejus pulverem antidyſentericum laxantem. Licebat tum etiam meliore cum ſucceſſu, adhibere pulveres leviter adſtringentes & quodammodo ſtipticos, ex radice tormentillæ biſtortæ, nuce moſchata, terra catechu, aliiſque paratos, quos alias dare non confiſus eſſem. Sic factum, ut propinando hoſce pulveres cum theriaca vel diaſcordio in aqua ſimplici vel pluviali frigida (*q*) brevi tandem ab hocce malo liberarentur ægroti.

§. XXV.

in partu difficili ibidem obſ. 143 videre licet. Confirmat hæc Schroeckius Dec. II. A. XVII. & X. obſ. 230. de ſutura cranii dehiſcente, ubi præter aliorum autorum obſervationes ſuam propriam in virgine 20 circiter annorum factam addit, in qua, cephalalgia intenſiſſima laborante, tanta ſuturæ ſagittalis disjunctio apparuit, ut hiatus iſte, digitum auricularem admitteret.

(*p*) Cum teneſmum hunc fomentationibus, clyſteribus & ſuffumigiis tollere geſtiebam, omnia deteriora reddidi & malum exacerbavi. Ceſſabat vero datis anodynis atque his, quæ in §. annotavi.

(*q*) Mirum omnino videbitur, me talia elegiſſe vehicula. At enim vero notandum, omnia reliqua potuum genera, imprimis cereviſiam & primariam & ſecundariam, uti

§. XXV.

Quid præcipue diæta conferat ad ſanitatem, feliciter & cito attingendam, jam non eſt ut fuſius tractem: tradam interea & hanc, ut quod ſuſcepi negotium abſolvam. Sedulo igitur inculcavi, ut ægrotantes aerem frigidum vitarent, ſeſeque, quantum fieri poterat, ad ſudores proliciendos in lecto collocarent; inter cibos omnia acida, acria nimis aromatica & ſalita, fermentabilia, carnes & piſces omnes, nec non vina varii generis, lac, lacticinia, lac acidum, cereviſias omnes, ceu anguem fugerent; eligerent e contrario juſcula & pulmenta avenacea cum amygdalatis. Loco potus conceſſi potum Theæ & aquam ſimplicem frigidam per intervalla, ſuperbibito vino aduſto.

§. XXVI.

En methodum medendi; en medicamenta, quibus curam aggreſſus ſum, quibuſque eandem feliciter abſolvi. Non poſſum non hic reprehendere vulgi errorem, qui ſtatim ad adſtringentia confugere ſolet, ſed loco ſalutaris eventus, plura mala & mortem ipſam ſibi ſæpius conciliat. Contigit hoc ab uſu pulveris antidyſenterici Klepperbeiniani, ad quem, tanquam ad ſacram ancoram confugiebant homines in patria. Publicavit hunc Sigiſmund Klepperbein, uti ſe vocavit, Medicinæ Licentiandus *und* Practicus *in Dreſden* hoc titulo: *Beſchreibung eines ſonderlichen Pulvers wider die rothe Ruhr, Durchfälle, Bauchflüſſe &c. bey Ernſt Gottlob Klepperbein zu bekommen.* Quoniam enim hic pulvis, uti ex ſapore & odore concluditur, ex radice tormentillæ vel biſtortæ, terra catechu atque alumine plumoſo, aut aliis mere adſtringentibus componitur, inepte ad dyſenteriæ aliorumque morborum ibi commemoratorum curam commendatur. Id quod experientia docuit. (*r*)

§. XXVII.

ſupra dictum, dyſenteriæ recidivam, cum atrociſſimis torminibus aliiſque malis, excitaſſe, præſentem exacerbaſſe. Sic omnia quoque calida vel externe adhibita, vel interne ſumta, quam maxime humores turbando, obſtructionibus anſam dederunt, aliaque in ſcenam produxerunt: frigida igitur aut tepida ſaltem in uſum venire debebant.

(*r*) Adduci hic merentur verba Siegesbeckii, quæ habentur loc cit. p. 452. Ecquis, inquit, de curis illis tumultuariis, quas varii artifices, qui ſe multo ſagaciores ad hunc morbum depellendum credebant, quam ipſos medicos, ſuſceperunt, referam? Quilibet facile intelligere poteſt, frivolos tales conatus fuiſſe, & ejuſmodi curis inceitis ſubjectos, ſi non mortui ſint, ſaltem poſt nimis citam fluxus dyſenterici ſuppreſſionem, & alvi obſtipationem, in ſummas præcordiorum anguſtias & febres ardentes cum deliriis incurriſſe, imo febres hecticas, vel quartanas, & œdemata pedum veræ ſanationis loco, reportaſſe, ita ut & nunc jam paſſim, patientes occurrant, qui de nimis ſubitanea dyſenterici fluxus cohibitione a medicoſtris ſuſcepta conquerantur. Qualia vero ſpecifica talis modi hominibus fuerint uſualia,

§. XXVII.

Quæ alia medicamenta promiſcue dederint medicaſtri, me jam fugit. Illud autem aſſerere poſſum, miſeros quandoque a talibus, qui omnes artes ſcientiaſque callere ſibi perſuadent, abſque indicantium ſuaſu, ad decantatam venæſectionem relegatos, miſere periiſſe. Taceo nunc, quod multi rerum medicarum non tantum non gnari, ſed & ab arte noſtra alieniſſimi, Halenſia medicamenta promiſcue commendaverint & exhibuerint. Sane, ſi quid eſt, quod ridiculum, quodque a ſana quam maxime abhorret ratione, illud certe eſſe puto, quando quis remedia, quorum nec compoſitio, nec virtus nota eſt, aliis promiſcue commendat. His aliiſque remediis empiricis deluſi, ſero tandem ſapientes, me conſuluerunt, factumque eſt, ut cum primum in patria vix decem familiæ, pleræque jam deſperatæ, meæ ſe curæ tradiderint, nunc plures ex vicinia, gratiam novitatis exuentes, ad me confluerent. Contigit hoc ipſo, ut propter conſpectum ægrotantium, ex ſeminibus morbi, ab aere maligno antea in itinere hauſtis, & antidoto ſuppreſſis, vel etiam ex contagio ab ægris communicato, dyſenteria hæc maligna, & quidem ſummo in gradu talis, in me pullulaſceret. Hac inter conſulentium non ſolum dyſentericorum, ſed etiam extraneorum, ex variis morbis laborantium, ſtrepitum, qui medicaminum in tempore capiendorum hauſtum denegavit, per ſex circiter dies, malum tamen diſſimulando, miſerrime laboravi. Sed *Dei* gratia in priſtinum reſtitutus, aliorum curæ vacare potui.

§. XXVIII.

Magiſtratum tandem, quocunque nomine veniat, lege divina & civili obſtrictum eſſe, ut reipublicæ bona curet, & pro ſanitatis ſubditorum conſervatione vigilet, nemo dubitabit. vid. Pinell. l. 5. de pœnit. fol. 267. Andr. Tiraquell. de nobil. c. 31. p. 396. Opus igitur eſt, ut ipſe morbos malignos & contagioſos, qui præſertim ex ciborum & potulentorum abuſu, nec non ex aere maligno oriuntur, quovis modo præcaveat; iis autem præſentibus eorundem diſſeminationem impediat. In præſenti igitur dyſenteria maxime maligna, hac opus fuiſſet cautione, ut dyſenterici converſationem cum reliquis ſanis vitaſſent, nec excrementa

lia, quæque patientibus commendaverint, percepi inter reliqua ſequentia: e. g ſecundinæ equinæ in pulverem combuſtæ & aſſumtæ. Pulvis hic in pago quodam vicino medicamentum fuit univerſale antidyſentericum; ſed numerus etiam morte ex hoc morbo deletorum, in hoc ipſo pago ſatis fuit notabilis. Aliis datus eſt pileorum & calceorum ſolearum combuſtarum pulvis, (*verbrand.e Filz-Hüte und Schuhſohlen.*)

ta fœtida ac contagioſa ubique oculis prætereuntium objeciſſent, ob quam negligentiam & ſqualiditatem, non pauci perterriti, in hunc morbum præcipitati fuerunt. Præcavendum etiam fuiſſet, ne maxima pars incolarum ad empiricos confugiſſet, atque contraria medicamenta adhibuiſſet. Tempore luis pecorum contagioſæ, anno 1746. hieme in vicinia graſſantis, patria per unum vel alterum menſem occludebatur, pro boum atque vaccarum præſervatione atque conſervatione. Eadem & majori opus fuiſſet circumſpectione, ad homines ad *Dei* imaginem creatos conſervandos. Rectiſſime dicit Eraſmus, qui alterum paſcendo ſervare poteſt, & illum non paſcit, eundem occidit.

XCII.

ANDR. ELIÆ BUCHNER

ET AUCTORIS

J. THOMÆ LAURICH

DE SINGULARI QUADAM INDORUM ORIENTALIUM DYSENTERIA EJUSDEMQUE PRÆCIPUA A NOSTRATE DIFFERENTIA.

Halæ 19. Aug. 1752.

PROEMIUM.

PRæfari *aliquid per communem diſputantium morem juſſus nihil ad hanc rem opportunius dici poſſe exiſtimo, quam ut paucis benevoli Lectores rationes meas, ſelectæ ad ſolemnem diſſertationem materiæ, edoceantur. Atque illas eo majori meo jure hic exponam, quo inſignius in illis ad mei meæque hac in re fidei commendationem poſitum videtur argumentum.* Singularem *hanc, ad cujus hiſtoriam ſuccincte conſcribendam accedo,* dyſenteriam *ipſe ego ultra ſex annos apud orientalis Indiæ incolas ſæpenumero & curata perſpexi obſervatione, &, quoad potui, convenienti medicina tentatam depuli. Scilicet anno* 1742. *mercatoria nave, ſumptibus celebratiſſimæ mercatorum Batavorum ſocietatis orientalis, ut dicitur, parata, e Belgio vectus, ut eorum, qui in navi erant, ſanitati proſpicerem; poſteaquam Bataviam, celeberrimum illud inſulæ Javæ majoris emporium, appuli, haud ita multo poſt* Tanjonbouram, *caſtellum Batavorum mediterraneum in regione* Kraban *ſitum, & ab urbe Batavia circiter ad viceſimum milliare diſtans, miſſus ſum, ut ibidem facerem medicinam. Quo ego loco uſque ad annum* 1749. *commoratus, inter alias ſingulares obſervatas morborum naturas, a noſtratium affectuum indole nonnihil diſcrepantes, præcipua inprimis animadverſione dignam æſtimavi peculiarem quandam* dyſenteriæ *ſpeciem, quavis Europæorum affectione dyſenterica mitiorem atque benigniorem: a qua tamen nihilominus peſſima quoque mala in affectos homines vidi derivata, quotieſcunque eidem tam Europæi quam indigenæ medici, pro more iſtarum gentium, incongrua remedia propoſuerunt. Sed nunc demum intelligere lectores reor meos, cur de eodem hoc argumento, inauguralis ſpeciminis gratia, diſputare inſtituerim. Neque eidem materiæ deſuturam ſpero gratiam, cum, quæ de his remotiſſimis terris referuntur, plerumque aliquam novitatis, tam gratæ acceptæque hominibus rei, habeant commendationem.* Duplici *autem* ſectione *commentatiunculam hanc meam interpungam:* altera *quidem, quæ ipſam* dyſenteriæ hujus Indicæ hiſtoriam *præcipuamque ejuſdem a noſtrate* diverſitatem *explicet;* altera *vero, quæ eidem malo* medendi methodum, *tam ab aliis medicis atque empiricis quoque clancularis, plerumque indigenis, quam a me ipſo inſtitutam tradat. Summi Numinis erit gratia, quæ ad qualemcunque hunc laborem perficiendum vires largietur, eundemque in ipſam ſui gloriam, aliorum vero quemque convertet emolumentum.*

SEC-

SECTIO I.

De ſingularis cujuſdam Indorum orientalium dyſenteriæ indole atque a noſtrate differentia.

§. I.

DUm ſingularis cujuſdam *dyſenteriæ Indicæ*, ejuſdemque ſua natura admodum benignæ & minus exitioſæ, hiſtoriam conſcribere paramus, præmonendos volumus lectores noſtros, ne exinde, falſa opinatione ſeducti, conficiant, orientalem Indiam tam miti tamque benigno ſubjicere ſideri, ut ab omnibus illis peſſimi & acute fatalis ingenii dyſenteriis, quibus nos in Europa paſſim attingimur, perpetuo defendatur. Namque ſuis quoque iiſque ſatis gravibus dyſentericis fluxionibus Indi vexantur, neque profecto habent, cur ex hac parte ſe Europæis noſtris anteponant. Etiamſi enim hæc nobis ipſa noſtra non conſtarent experientia, ut omnino conſtant, aliorum tamen medicorum, celebri nomine haud ignobilium (*a*), obſervationibus in India, quin immo in ipſa, ubi nos aliquamdiu commorati ſumus, inſula Java inſtitutis, eadem hæc confirmata videremus. Aliæ quidem hujuſce generis alvi profluviorum ſpecies, uti noſtrates dyſenteriæ, ſunt *maligniores*, aliæ vero *benigniores*; aliæ porro paſſim tantum atque *ſporadicis* inſultibus, aliæ velut peſtilenti quodam atque *epidemio* impetu late graſſantur; tandem & illinc eam valere differentiam animadvertimus, cujus reſpectu apud nos vulgo dyſenteriæ in *cruentas* & *non cruentas* ſive *albas* diſpeſcuntur.

§. II.

Minimam quidem apud lectores noſtros gratiam eſſemus inituri, ſi jam tot aliorum commentariis pervulgatiſſimam dyſenteriarum generatim ſpectatarum hiſtoriam fuſius exponere animus eſſet, neque noſtri referret inſtituti, ſuccinctis tantummodo atque ad compendium accommodatis paginis diſſertationem noſtram circumſcribentis. Quare ea tantum de dyſenteria generatim præmittemus, quæ ad accuratiorem ſingularis noſtræ Indicæ, quam commentamur, notitiam atque a reliquis diſtinctionem pertinere videbuntur. *Dyſenteriam*, ſi nominis ſpectemus originem,

(*a*) Præ aliis commodiſſime hic conferendum volumus *Jacobum Bontium in l.* 6. *hiſtoria natural. & medic. Indiæ orientalis libr.* 2. *cap.* 3. conjunctim cum *Guilielm.* Piſonis *de Indiæ utriuſque re medica & natural. libr.* 14 editis

nem, qualemcunque inteſtinorum difficultatem apellare liceret; ſed mos apud medicos obtinuit, ut eodem vocabulo potiſſimum *excretionem* comprehendamus *alvinam*, *torminoſam* & *qualibuſcunque commotionibus febrilibus conjunctam*, *quia materia magis minuſve mucida*, *aut ſanguinolenta*, *aut mixta*, *e corpore eliminatur.*

§. III.

Benignius dyſenteriæ genus (§. 1.) ex eo intelligitur, ſi ægroti, noſtro quidem ſoli ſubjecti, præcipue circa finem Julii menſis aut totum Auguſti tractum, ii vero, qui ſub orientali cœli plaga vivunt, inprimis pluvioſa illa anni tempeſtate, quæ menſibus ab Octobri ad Majum circumſcribitur, primo leviter lubrica alvo afficiuntur, mox omnium torminum alvinorum expertes, mox vero velut colicis correpti doloribus. Prima hujus mali initia orditur plerumque commotio, aut ſaltim horror pilorum febrilis, qui dein aut plane iterum ceſſat, aut interdum acerbiori impetu modo tertianæ febris, modo quotidianæ typum induit. Ingraveſcente dein malo magis a torminibus, præſertim per quamcunque refrigerationem aut diætæ errores acrius irritatis, ægri laborant, ad quæ ſimul haud raro teneſmum patiuntur, dejiciendæ alvo inſigniter incommodantem. Hac ratione primo materia per alvum excernitur tenuis a que mucoſa, ſubalbida aut perparum flaveſcens, minuſque olida, ſaltim non adeo inſigni infecta fœtore, quem maligniores dyſentericæ dejectiones alvinæ ſpirant. Ceterum cibi appetentia primis morbi inſultibus plerumque augetur, dein vero ſenſim ſenſimque imminuitur ſæpiuſque plane ſufflaminatur: de ſiti vero maximæ plerorumque horum ægrotantium ſunt querelæ. Reliquis vero potioribus corporis excretionibus, præſertim lotii emiſſioni & tranſpirationi, inſignia objiciuntur impedimenta. Accedit demum corporis languor & ipſa facies adſpectu morbida evadit. Quo ſtatu ægroti per aliquot ſæpius hebdomades detinentur; quid? quod exempla exſtant hujuſcemodi dyſenteriæ ad tres quatuorve menſes protractæ,

§. IV.

Longe gravior *dyſenteriæ malignæ* (§. 1.) eſt indoles. Præterquam enim quod in hac omnia ea ſymptomata, quæ in priori (§. 3.) quoque accidunt, e. g. crebriores alvi dejectiones, tormina, dolores, itemque teneſmi, ſitis &c. longe acerbiora eveniunt; accedit etiam inprimis ſtatim ſub prima morbi invaſione exquiſitior atque acutior febris, ex pulſu celeri atque frequenti facile cognoſcenda. Vires ſtatim ſunt inſigniter proſtratæ, ægrotique a cibis abhorrent; neque raro accidit, ut vomitus, ſingultus, aphthæ, quin immo purpura atque petechiæ

reliquis ſymptomatibus ſuperveniant, ſed plerumque etiam funeſtum efficiant exitum. Præſertim vero ægrotorum præcordia enormiter anguntur, neque perpetua pervigilia, a frequentioribus alvi depoſitionibus aut ſaltim continuo ejuſdem dejiciendæ conatu effecta, aliquod quieti tempus permittunt. Ipſa vero hoc ſtatu eliminata e corpore excrementa ſunt minus quidem cruenta, ac in benigniori dyſenteria (§. cit.), ſanioſa vero, colorisque cineritii aut nigricantis; ac hæc peſſime olent, fœtoremque ſpargunt prorſus cadaveroſum. De reliquo cum hic morbus acuta circumſcribatur periodo, facile conſpicuum eſt, ambitum ejuſdem duratione benigna dyſenteriæ multo eſſe breviorem.

§. V.

De illa vero, quæ ab *epidemica* aut *ſporadica graſſatione* deſumitur, dyſenteriæ differentia (§. 1.) prolixus hic diſputare non expedit. Notiſſimum enim exiſtimavimus, illos quidem; epidemicos nimirum ſive populares, morbos, a contagio aeris gliſcente & latius ſerpente in plurimos ſimul homines derivari, hos vero ſporadicos, ſive ut cum *Sydenhamo* (*b*) loquamur, *intercurrentes*, paſſim tantum, neque adeo gravi atque communi ſtrage obambulare. At dyſenteriæ rubræ ſive cruentæ, & albæ ſive incruentæ nomen (§. cit.), cum ab excrementorum dyſentericorum ratione atque indole originem traxerit ſuam, me non docente intelligitur, ad cujus generis dyſenterias ſingulæ pertineant appellationes. Minime tamen ſilentio prætereundum eſt, apud nos in Europa degentes dyſenteriam albam rubra plerumque exiſtimari periculoſiorem, cum ipſa potiſſimum dyſenteriæ malignæ (§. 4.) ſit ſpecies, & materia per alvum eliminata purulentæ potius atque ſanioſæ ſit indolis, quam ſimplex mucoſa atque ſeroſa. Hoc enim ſub ſtatu ſi dilutior quidam inteſtinorum mucus ſolummodo excernitur, merito ejuſmodi dyſenteria, ratione coloris excretorum, *alba*, ratione vero indolis, *benigna* (§. 3.) dicetur.

§. LVI.

Facillime nunc intellecturos ex hactenus diſputatis (§. 2-5.) Lectores noſtros arbitramur, ad quodnam fluxionum dyſentericarum genus referenda ſit ea, cujus ſymptomata ſtatim exponemus, Indorum orientalium dyſenteria. Simulac hoc malum in India ingruit, (ingruit autem omni quidem anni tempore, ſed nullo frequentius, quam ab exorſu menſis Octobris uſque ad Maji exceſſum Juniive initium,) lentis & velut ſubreptitiis greſſibus incedit, neque vehementi aut frequenter irritata

(*b*) Conf. *Thom Sydenham opuſcula omnia*, ſect. 1. cap. 1. & ſect. 6. cap. 1.

tata alvi dejectione, neque nimis doloroſis inteſtinorum torminibus, neque demum inſigni virium proſtratione ægrotos ſtatim afficit. Primis ſaltim initiis leviſſime tantum, ut vix ſæpius animadverti poſſit, ægri horripilant (*c*), dein vero toto morbi tractu non facile ejuſmodi imperfecto horrore iterum perfunduntur, niſi quidem vel diætæ, vel vitæ regiminis commiſſi fuerint errores. Inter hæc alvus fit lubrica, ſed adhuc cita & frequens, adeo, ut, qui minus adfecti ſunt, raro a ſuis negotiis ſe abſtrahi patiantur, & plerumque poſt tres demum quatuorve hebdomades medici opem implorent. Senſim vero ægroti frequentius ad dejiciendam alvum ſtimulantur, nullis tamen, aut ſaltim perexiguis, torminibus colicisque diſtorſionibus prægreſſis. Sub ipſa vero alvi depoſitione interdum, ſed non ſemper, his ſymptomatibus teneſmus ſupervenit. Ipſa, quæ ejiciuntur, excrementa lubrico & magis aquoſo, quam tenaci muco, tum incruento, tum ſanguineis ſtriis diſtincto conſtant: interdum vero fæces paullo duriores & cum naturali ceteroquin indole convenientiores, undique ſecus vero velut mucido atque ſanguineo involucro circumdatæ, per alvum eliminantur. Ciborum appetentia prima mali ætate plerumque duplo triplove major fit; dein vero ſenſim adeo imminuitur, ut ægri nulla prorſus edendi ferantur appetitione: neque demum viribus perpetuo idem ſupereſt robur, ſed eædem quoque pedetentim morbi protractione magis magisque infringuntur. Ludit hanc ſcenam qualiſcunque hæc dyſenteria ultra trium, quatuor, ſex menſium, immo integri anni ſpatium; & plerumque alio quodam morbo, rarius morte, terminatur.

§. VII.

Quodſi porro eos, qui hoc morbo (§. *6.*) corripiuntur, homines ſpectemus, ipſimet, dum adhuc in Java medicinam faceremus, frequentiori obſervatione animadvertimus, eandem hanc dyſenteriam neque ſexum, neque ætatem ullo diſcrimine habuiſſe, ſed omnes promiſcue invaſiſſe. Nunquam tamen malum hoc inter plures conjunctim contagio diſſeminatum (*d*) recordamur, quamvis a communi quadam & fere epidemica cauſa derivatum videri poſſet, uti dein diſputabimus: ſed hinc inde tantum ſparſim ſerpebat. Ex quibus omnibus enarratis phænomenis, ſi ſuperius expoſitam (§. 2-5.) dyſenteriæ generatim ſpectatæ in-

(*c*) Ad quod phænomenon inprimis attendi volumus, ne lectores noſtri etiam in hac Indica dyſenteria motus ſaltim febrilis, morbum auſpicantis, præſentiam prætervideant.

(*d*) Equidem generatim monemus, Indiam orientalem non adeo frequenter a morbis epidemiis vexari. Eidem vero ejuſmodi morbos prorſus abjudicare, ut nonnulli faciunt, eſſet tum experientiæ, tum rationi, ad vera principia pathologica accommodare, contrarium. Conf. *Jac. Bontium lib. cit. lib.* 3. *in fine.*

indolem differentiamque conferamus, liquido nunc confici poteſt, ſingularem hunc fluxum dyſentericum Indicum *dyſenteriæ benigniori* (§. 3.), *ſporadicæ* (§. 5.) & plurima ſui parte *albæ* (§. cit.), utpote ſimpliciter fere *mucoſæ parumque ſanguineæ* (§. 6.), merito eſſe annumerandum.

§. VIII.

Verum enim vero, cum dyſenteria hæc exotica, ob ſingularem ſuam indolem, medico, in Indiam orientalem medicinæ exercendæ cauſa recens travecto, facile imponere aliuſque morbi ſpeciem præ ſe ferre poſſit; *diagnoſi* ante omnia opus eſt accurate inſtituta, ne cum aliis affec, tibus, conformem indolem quodammodo ſimulantibus, hic morbus confundatur. Scilicet qui ad proximam ejus ſimilitudinem accedere obſervantur, morbi, ſunt inprimis *fluxus hepaticus* & *hæmorrhoides decoloratæ, albæ mucidæque* (*e*): namque a reliquis diarrhœis ſimplicibus, itemque hæmorrhoidibus torminoſis facile ex adjunctis ſymptomatibus internoſcitur. At ſi ipſam quoque fluxionem alvi hepaticam conſideremus, ſola jam excrementa nimis liquida & loturæ carnis ſimillima eandem a dyſenteria Indica diſcernerent, niſi & hoc accederet, quod nec in ipſis primis fluxus hepatici initiis, ut in affectu noſtro, quem exponimus, vel leviſſimi motus febriles (§. 6. & not c) animadvertantur. Atque idem hoc momentum aliquam differentiæ rationem prodit inter hæmorrhoides decoloratas mucidaſve & hanc dyſenteriam. Ad hæc cum ejuſmodi decolor aut pituitoſa hæmorrhoidalis fluxus indoles veras hæmorrhoides plerumque aut antecedat, aut ſequatur, etiam exinde haud leve peti poterit differentiæ argumentum.

§. IX.

Enimvero nunc ad *cauſas* hujus mali evolvendas dirigenda eſt diſputatio. Atque primo loco, quo minus inter *materiales*, ut vocant, *cauſas* peculiaris noſtræ Indicæ dyſenteriæ commune aliquod miaſma atmoſphæricum referamus, benigna ipſius morbi minuſque contagioſa impedit natura (§. 7.) Quod nobis eo feliciori fortuna accidere exiſtimamus, quo intricatior multaque adhuc caligine circumfuſa ipſius miaſmatis dyſenterici eſt indoles, ut adeo parum clari atque perſpicui lectoribus noſtris conſtitiſſet. Evidentioris naturæ ſunt cauſæ, quas in India, præſertim eo, quo viximus loco, benigniori huic malo naſcendo anſam dediſſe

(*e*) Tametſi enim *alvinus fluxus Pariſienſis*, quem vulgo *le mal de Paris* appellant; aliquam quoque cum noſtro affectu convenientiam habere videtur: nihilominus in utroque hoc malo confuſionis metus ceſſet, cum alter ſoli Lutetiæ Pariſiorum ſit infeſtus.

diſſe obſervavimus. Quotquot enim dyſenterico hoc affectu corripiebantur, ſive in *diæta*, ſive in *vitæ regimine*, aut etiam in utroque ſimul graves quoſdam antea commiſerant errores: quos nunc porro, pro inſtituti ratione, ſuccincte exponemus.

§. X.

Atque primo quidem errores (§. 9.), quos ab Indis in *diæta* præcipue commiſſos vidimus, maximam partem ad eſum *fructuum* diverſorum dulcium & ſucculentorum, quibus univerſa India omnium aliarum regionum eſt fœcundiſſima, aut ad *potum*, ſive nimis frigidum, ſive ſpirituoſum, quem vocamus, aromaticumque, ſive aceſcentem fæculentumve pertinebant. Qui e fructuum numero præcipua gratiſſimi ſaporis & exquiſitæ refrigerationis laude in India celebres ſunt, patrio ſuo nomine *Iambos*, *Acaju* ſive *Caju*, *Manga*, *Iaaccas*, *Ananas*, & *Piſang* appellantur; quorſum etiam nonnulla adhuc *melonum* atque *cucumerum* genera ſunt referenda. Noſtri exiſtimamus officii, ut de ſingulorum indole breviſſime aliqua exponamus, quo dein rectius ex intempeſtivo atque immodico eorundem uſu enata ſingularis noſtra dyſenteria intelligi poſſit. *Iambos* (*f*), cujus inde arbor, ſatis patula atque ramoſa, *Iamboliſera* itemque *Iambolines* dicitur, denuo in duas ſpecies diſpeſcuntur: quarum altera major, mali cydonii minoris magnitudinem figuramque æquat, ſatis intenſe rubet & pellicula tenui & ſplendida tegitur, ceteroqui vero vix quidquam nuclei lapidei continet; altera autem minor pallide rubet nucleumque comprehendit oblongum, paullo compreſſum & albicantem. Pulpam utraque ſpecies habet ſucci plenam, admodum ſapidam, e dulci ſubauſteram, ſitique reſtinguendæ accommodatiſſimam. Alterum fructum *Acaju* ſeu *Caju.* (*g*), *Anacardii* nomine nobis notiorem, arbor profert ſatis frondoſa, occidentali Indiæ etiam familiaris, *Acaiaiba* vernaculo indorum vocabulo dicta; in qua excreſcentibus primo glandibus, renis ovilli figuram referentibus, ſuperiori dein parte innaſcuntur poma oblonga, flaveſcente aut ſubrufa pellicula obducta, quorum caro ſucculenta, ſeminum receptaculis interpuncta, dulci ceteroquin ſapori auſteritatem quandam admixtam habet; qua per vini ſaliſque condimentum obtuſa, Indi dein iiſdem fructibus, ſumma æſtate, reficiendi corporis cauſa, frequentiſſime veſcuntur.

§. XI.

(*f*) Conf. *Car. Linnæi gener. plantar.* edit. Halenſ. n.° 1051. & *ejuſd. Amœnitat. acad.* p. 398. ſqq. & *Guil. Piſonis lib. cit. in mantiſſ. aromat.* c. 13.
(*g*) Conf. *Car. Linnæi gener. plantar.* n. 411. *Guil. Piſon. l. c.* l. 4. c. 6. & *Mant. arom.* c. 14. it. *Sam. Dale pharmacolog.* p. 449. edit. Lond.

§. XI.

Porro inter fructus hos Indorum qualeſcunque horæos numeravimus (§. 10.) *Madga* (*h*), qui & *Mao* ſive *Mau*, itemque *Amba* dicuntur, & in arboribus, quercui noſtræ haud abſimilibus, creſcunt. Figura ſunt paullo oblonga, colore vero, ſi maturuerint, flavo, carnemque habent ſatis pulpoſam, præmagnos nucleos ambientem. Et immaturorum, & mollium fructuum frequens apud Indos uſus eſt: illos, utpote maxime auſteros, coquunt, & præparatam exinde pultem ſaccharo largiter condiunt, hos vero, maturos nimirum, ſua jam acquiſita dulcedine ſatis commendabiles, ſine præmiſſa alia quadam præparatione, crude comedunt. Neque minus dulciſſimi ſaporis nomine celebris eſt *Jaaca* (§. cit.), plane ſingularis ingenii fructus (*i*); ſiquidem non e ramis arboris ſuæ, ſed ex ipſo ejuſdem trunco enaſcitur, & univerſam ſuam externam ſuperficiem ſpinis prominentibus obſitam habet, quæ carnem tenaciſſimam, duram & concoctioni perferendæ ineptiſſimam, ceterum vero flave coloratam, comprehendit. Neque hoc loco prætermittendum eſt gratiſſimum quoddam ficuum Indicarum genus, quod Javani vernacule *Piſang* (§. 10.), Malaico vero, utpote fere communi omnium Indorum ſermone, *Banana*, noſtrates vero notiori vocabulo *Muſam* (*k*) appellant. Hi fructus, utriuſque Indiæ indigenæ, pyra noſtra ſapore æmulantur, neque magnitudine adeo multum ab ipſis differunt. Alii eorum ad ſolem ignemque exſiccati in ipſam Europam importantur; alii vero ab Indis vel crude comeduntur, vel pani oryzæque coctæ junguntur. Tandem quoque de fructu *Ananas* (§. cit.), vel ipſis Europæis hortis non plane ignoto, pauca quædam dicenda ſunt. Atque hic fructus (*l*), alias quoque *Pinguin* aut *Karatas* appellatus, ex carduorum quadam ſpecie, *Bromeliam Linnæus* vocat, provenit & melopeponis magnitudinem æquat, magis tamen ovatam ſervat figuram. Exteriori ſuperficie innumeris velut bullulis ex flavo albicantibus interpungitur: interius vero pulpam habet omni pæne alia ſucculentiorem, inſignique & fere cinnabarino rubore tinctam. De reliquo autem Ananas & ſuaviſſimum ſpirat odorem, haud minoris gratiæ ſaporem, intritis in vino fragis ſimilem, palato offert, ſi deſciſſo prius cortice, in taleolas ſectus vinoque Hiſpanico aut alio quodam dulci aliquamdiu ma-

(*h*) Conf. *Jac. Bontium libr. cit.* libr. 6. cap. 5. *Sam. Dale pharmacol. ſupplem.* p. 292.

(*i*) Conf. *Jac. Bont. l. c.* libr. 1. dialog. 6. & libr. 6. cap. 31.

(*k*) Vid. *Jac. Bontium l. c.* lib. 1. dialog. cit. & *Guil. Piſonem libr. cit.* l. 4. cap. 21. & *Sam. Dale Pharmacol. ſupplem.* p. 267.

(*l*) Conf. *Jac. Bontium l. c.* l. 1. dialog. cit. & l. 6. cap. 50. & *Guil. Piſonem libr. cit.* l. 4. cap. 37. *Car. Linnæum in gener. plantar.* n. 312. p. 111.

maceratus, addito cinnamomi cortice aut cardamomo, comedatur; alias enim crude comeſtus adeo acri & arrodente ſucco abundat, ut ipſam faucium inferre poſſit inflammationem. De reliquis paullo infrequentioris uſus fructibus, ad hanc tamen claſſem pertinentibus, inpræſentiarum conſulto tacemus, ne ipſimet brevitati, quam nobis multis de cauſis maxime commendatam habemus, fuſiori diſputatione officiamus. Ex horum vero fructuum (§. 10. & præſ.) eſu vel nimio, vel aliis regiminis erroribus noxiori facto, ſæpius enatam ſingularem noſtram dyſenteriam (§. 6.) vidimus; cujus rei rationes poſtea explicata formali, ut ajunt, ejuſdem hujus mali cauſa, clarius patebunt.

§. XII.

Noſtri vero intereſt quoque, ut diverſos illos Indorum *potus* (§. 10.) conſideremus, a quorum incongruo uſu haud infrequenter ipſum hoc malum dyſentericum aut excitatum, aut acerbius ſaltim redditum obſervavimus. Primarium inter illos ſuo merito occupant locum *potus aromatici* atque *aduſti*: e quorum claſſe ſolum Chinenſium *Arac* (*m*), tota India vulgatiſſimum, nominaſſe ſufficiat. Scilicet ſatis diffamatum hoc ſiceræ genus ex oryza & liquore e nuce Indica ſive arbore ejuſdem collecto, conjunctim aduſtis, conficitur, cui ipſi avariſſimi Chinenſes, ut ſpirituoſior, quam dicunt, evadat potus, *holothuria* (*n*), peculiare nautilorum marinorum genus, admiſcent. Sed adhuc alia quoque potulentorum genera Indis ſunt communia, plerumque aut non ſatis defæcata, aut ob nimium ſolis ardorem jam aceſcentia; quo nomine inprimis citamus cereviſiam ex oryza non decorticata & polentaria coctam, itemque potum ex aquæ fluviatilis amphoris 15. ſacchari Javanici nigri libr. 2. tamarindorum unc. iij. vel iv. malis citreis tribus diſſectis, & caryophyllorum aromaticorum manipulo, omnibus fermentatione unitis, confectum. Tandem quoque vitioſam plerumque diætæ rationem reddunt gratiſſimi quidem in calidiſſimis his regionibus, ſed maxime ſimul noxii potuum nimis frigidorum hauſtus, præſertim eorum, qui ſua jam indole refrigerandi virtutem exſerunt, e. g. ſuperius memorata aqua, e nuce indica, ſive ejuſdem arbore, collecta, itemque alia ejuſdem generis e palma Indica aliaque ejuſdem ſpeciei arbore deſtillans, quod potus genus *Towac* & *Saguër* indigenæ vocant.

§. XIII.

(*m*) De quo videſis plura in *Jac. Bontii l. c.* l. 1. dialog. 3. l. 2. c. 3. l. 6. c. 39.
(*n*) Vid. *ibidem* & lib. 5. c. 27.

§. XIII.

Verum haud infrequentius in reliquo vitæ ordine (§. 9.) ab Indiæ incolis peccatur. Quo minus enim ipſi ab erroribus in vitæ regimine committendis ſibi ſatis curate cavere poſſint, partim nimium calida & dein pene ſemeſtris ſubcalida pluvioſa tempeſtas (§. 3. 6.) partim plerorumque miſerabile vitæ genus efficit. Ex utraque enim cauſa his in locis frequentiſſime fit, ut inſenſibilis ſufflaminetur transpiratio. Partim enim ad gratam corporis, ab ardentiſſimo calore æſtuantis, refrigerationem frigida ſæpius lavari aqua pervulgatiſſimus illinc mos eſt; partim, ut incuria eſt hominum, calenti aut ſudanti corpori liberaliter aerem frigidiorem, præſertim nocturnum, concedunt; partim denique, vel in ipſa illa pluvioſa anni tempeſtate, plerique nimis leviter & tenuiter veſtiuntur (*o*). Quibus omnibus de cauſis maxima tranſpirationi impedimenta injici, ii plane intelligent, qui ejuſdem hujus inconſpicuæ per cutim excretionis rationes e phyſiologicis ſtaticiſque principiis accurate ſunt edocti. Cujus excretionis ſuppreſſio cum jam apud nos, temperatiori cœli plagæ ſubjacentes, plurimum ad diarrhœas dyſentericoſque fluxus producendos valeat (*p*), qualem demum ejus effectum ſtatuemus apud Indos, copioſiſſima & a ſolis ardore affatim expreſſa tenuiſſimorum fluidorum perſpiratione affectos?

XIV.

Breviſſime nunc dyſenteriæ noſtræ Indicæ *cauſam formalem*, quæ vulgo dicitur, expediemus. Atque hanc quidem, omnibus curate conſideratis conſtituit præſertim *leviter ſpaſtica inteſtinorum*, *inprimis tenuium*, *conſtrictio*, ſive a majori humorum ad vaſcula glandulaſve inteſtinorum decubitu, ſive ab auctiori eorundem majorum canalium, per intus contenta, irritatione, effecta. Unde fieri facile intelligitur, ut non ſolum numeroſiſſimæ illæ glandulæ ſimplices, *Brunneriana* atque *Peyerianæ*, in tela celluloſa, muſculoſæ atque nerveæ inteſtinorum, potiſſimum tenuium, tunicæ intertexta hærentes, copioſius ſuum mucum e patulis in villoſa tunica oſculis ejiciant, & ipſæ quoque arteriolæ exhalantes tenue atque aquoſum, quod vehunt, fluidum largius in inteſtinorum cavi-

(*o*) Exinde etiam potiſſimum factum arbitramur, ut præſertim milites ſtationarii in loco Javæ, quo degebamus, in dyſenteriam eandem, quam exponimus, inciderint. Univerſus enim illorum veſtitus a capite, ut aiunt, uſque ad calcem, quovis anni tempore confectus erat ex tenuiſſimo quodam panno, ſericis atque xylinis filis contexto, quem apud nos in Europa viventes longe cariorem, vulgo *Gingang* appellant

(*p*) Conf. *Godofr. Neigefind diſſ. de noxiis effectibus frigoris in corpus humanum*, Erford. 1740.

vitatem depluant; ſed ipſa quoque vaſa lactea venulæque inhalantes, ab expanſis per auctam affluentium humorum copiam glandulis arterioliſve modo memoratis magis compreſſæ peculiaria ſua liquida, hac ratione oſtiolorum ingreſſu excluſa, in ipſis inteſtinis relinquant: quæ deiu inſignis materiæ mucidæ atque aquoſæ collecta copia aut ſimplex, aut temporis protractione corrupta indolemque acriorem nacta, diverſam illam excrementorum, a dyſentericis noſtris ejectorum (§. 6.), naturam conſtituit. At cum illi errores, tum in diæta, tum in vitæ regimine commiſſi, qui noſtra experientia cauſæ hujus mali inventi atque animadverſi ſunt, potiſſimum partim perſpirabilis materiæ, apud Indos ſuo jam natura copioſiſſimæ & plurimum aquoſæ, meacula obſtruxerint, adeoque, ſi principiis phyſiologicis ſtare liceat, majorem humorum copiam ad inteſtinorum vaſcula glandulaſque derivarint (§. 13.); partim vero ejuſmodi cibos potuſque in ventriculum & connexa ipſi inteſtina immiſerint, qui principiis vel auſteris, vel acribus, vel facile fermenteſcentibus pollebant, & hinc, vehementius irritando inteſtinorum canali, aptiſſimi validiſſimique (*q*) erant (§. 10. 11. 12.) perſpicuam nunc lectoribus noſtris exiſtimamus eſſe cognitionem, quæ formali huic dyſenteriæ Indicæ, quam explicuimus, cauſæ cum *materialibus*, ut loquuntur, ejuſdem *cauſis* (§. 9. ſq.) intereſt.

§. XV.

Sed reſtat, ut paucis de *prognoſi* huic morbo dicenda agamus, quam crebrius demum repetitis obſervationibus edocti ſumus. Mitiſſimum plerumque ſua indole erat malum, &, ſenſim utpote a continua corporum Indorum ad largam diaphoreſin pronitate infractum atque imminutum, optimo plerumque fine diſcedebat, ſi modo eodem jam correpti homines circumſpecte ſibi caverint tum ac turbidis, præſertim iracundis, animi commotionibus, tum a qualicunque corporis refrigeratione, tum ab iis diætæ erroribus, qui ex ſupra diſputatis jam conſtant (§. 10. ſq.), tum denique a perverſis illis plerorumque medicorum clancularior-

(*q*) Aliqua hic annotatiuncula opus eſt. Novimus enim plures, qui fructuum hujuſcemodi horæorum eſum ad producendas dyſenterias, & quidem vel ipſas benignas, (nam de malignis convenimus,) aliquid valere negent. Iis vero ſequentem narramus hiſtoriam dyſenterici cujuſdam benignioris fluxus, ab eſu Indici alicujus fructus in ipſis noſtris regionibus orti, ab *ill. Præſide* noſtro nobiſcum benevole communicatam. Aulæ cujuſdam ducalis miniſter aliquis acceptum dono a principe ſuo fructum Ananas (§. 11.), in ducali horto cultum atque maturefactum, more Indorum, in taleolas diſſectum, cum vino convenientibuſque aromatibus præparari curat. Comeſta hac exotica intrita, altero ſtatim die vehementiſſima perpeſſus eſt tormina, inter quæ per plures dies materiam mucidam cruentamque copioſe alvo dejecit, donec dolorificum hoc malum convenientibus remediis antidyſentericis iterum ceſſit.

riorum indigenarum medicationibus, per remedia inſigniter adſtringentia tentatis. Ex his enim vitiis ſingulis compluries lentam inteſtinorum eroſionem, lentæ dein & tabificæ febris matrem, aut ſi paulo mitius ægroti fatum experirentur, fœda inteſtini recti ulcera anique fiſtulas, infeſtiſſimum Indis atque frequentiſſimum morbi genus, enatas, ſæpiuſque mortem vidimus demum inſecutam.

SECTIO II.

De methodo ſingulari huic dyſenteriæ Indicæ medendi.

§. XVI.

PErſpectis nunc mali hujus ſingularis indole cauſiſque, venimus tandem ad eas rationes exponendas, quibus eidem morbo compluries non ſine optabili ſucceſſu medelam adhibuimus. Anteaquam vero hac in re officio noſtro ſatisfacimus, nonnihil ad lectorum noſtrorum curioſitatem, rebus novis haud inutilibus addictam, intereſſe arbitramur, ut ipſorum indigenarum aliorumque medicorum Europæorum dyſenterico huic fluxui medendi inſtituta, brevi explicatione definita, præmittamus. Atque generatim quidem præmonemus, his ipſis quantivis pretii ſcientiæve medicis commune & fere ſacrum in quibuslibet hujus generis alvinis fluxionibus ſolatium atque auxilium in ſolis fortiſſime adſtringentium remediorum viribus eſſe conſtitutum.

§. XVII.

Atque quod primum ad ipſas indigenarum medicationes adtinet (§. 16.), frequentiſſime animadvertimus, Indos ejuſmodi ægrotis ſuccos plantarum, aut ex ipſarum partibus expreſſos, itemque cortices, præcipua adſtringendi vi præditos, ad uſum exhibuiſſe. Ex hujus generis ſuccis adhibitis novimus ſuccum fructus *Billing-bing*, *Macandou*, *Nimbo* ſive Lauri Indicæ, *Carambolas*, *Iangomas* (*r*), &c. His & aliis id genus medicamentis incaute & nulla circumſtantiarum ratione habita fluxum hunc alvinum coërcent, neque de aliis remediis, ipſas materiales, quas vocavimus, cauſas (§. 9. ſqq.) tollentibus, ut convenit, præmittendis curant. Verum enim vero ipſis dein ægrotis plerumque ea incubuiſſe mala vidimus, quæ poſt incongrua ejuſmodi remedia exe-

(*r*) De omnibus his plantis earumque partibus plura docet *Jac. Bontius lib. c.* l. 6. c. 7. 9. 11. 25. 42.

evenire ſuperius (§. 15.) diximus. At nec ipſi Europæi, qui in his terris medicinam faciunt, & potiori ex parte e numero chirurgorum ſunt, quibus ſocietas mercatorum Batava ſtipendia ſolvit, majori cum circumſpectione huic aut ſimili cuidam malo medentur. Præcipuum nimirum ad dyſenteriam hanc tollendam remediorum apparatum conſtituunt, bolus armena, terra Japonica ſive Catechu, terra quædam bolaris ſubrufa Hiſpanica, ſanguis draconis, c. c. uſtum, corallia rubra, cortices granatorum immaturorum, idemque Laudanum opiatum & Roob acaciæ, quibus interdum, bono adhuc conſilio, rhabarbarum adjungunt. Huc accedit, quod eadem hæc remedia plerumque inconcinnis formulis comprehendant. Optimæ cujuſdam ex his formulæ, apud iſtos medicos uſitatiſſimæ, dabimus exemplum: Rec. ſanguin. dracon. terræ Catechu ana unc. j. pulv. Rhei unc. ij. Roob Acac. unc. iij. m. f. electuarium. Unde haud obſcurum exiſtimamus lectoribus, qui rectam medendi methodum norunt, quales ab ejuſmodi remediis ſolis effectus ſint expectandi. Illud ſolum nobis mirum videtur, publica quodammodo auctoritate libelli memorialis (*s*), pro uſu chirurgorum conſcripti, incongruas ejuſmodi perfici medicationes.

§. XIII.

Enimvero ne Europæos hos chirurgos, medicinæ faciendæ ſimul operam navantes (§. 17.), laude ſua plane defraudemus, ad præcipuam aliquam eorum exiſtimationem pertinere nobis videtur, quod ex dyſenterica hac alvi affectione intempeſtive coërcita productos eos morbos, quibus manu mederi poſſunt, maxima cum dexteritate tollant. Ita enim ex parte errores emendant ſuos, quos antea commiſerant. Hoc nomine inprimis memoramus ulcera fiſtulaſque ani (§. 15.), quæ a materiæ mucoſæ atque corruptæ, retrorſum per adſtringentia preſſæ, & per longiorem excretionis moram vitioſioris atque acrioris factæ copia frequentiſſime in Indis progerminant, & quas compluries feliciſſima manu exſcindunt. Neque ipſi indigenæ Indorum medici nonnihil in hac medicinæ parte valent. Exempli cauſa teneſmum citamus, dyſenteriæ huic ſæpius ſupervenientem (§. 6.), aut, ipſa incongrue ſuppreſſa, vehementius affligentem, & haud raro cum ipſa ani procidentia conjunctum;

(*s*) Speciminis loco ex libro, qui inſcribitur: *Ordre en Inſtructie vor de Chirurgyns*, *Middelburg* 1739 ſequentia citamus, p. 11. *Rob Acacia is een ſterk adſtringerent middel, word gebruykt in die ſoorten von Loop, word gegeven van* 1. *tot* 2. *drachm.* hoc eſt: Roob Acaciæ eſt medicamentum fortiter adſtringens, & adhibetur in fluxum alvinorum ſpeciebus a drachm. i. ad ij. Porro pag. ead. *Terra Japonica of Cuatchu word in de ſoorten van Loop inwendig gebruykt*, *alleen of gemengt met Suyker*, *Honing*, *&c.* h. e. Terra Japonica ſive Catechu, in alvinis fluxionibus uſurpatur interne, ſive ſola, ſive ſaccharo, melle &c. remixta.

tum; cui affectui clyſteres, inſeſſus fotuſve primo abſtergentes & emollientes, dein ſufficienter roborantes opponunt: quorum priores ex frutice quodam odorifero, ipſis *Daullontas* (*t*) dicto, item *Lagondi* atque *Alcanne* fruticibus, ad liguſtri Indici ſpecies pertinentibus, porro foliis *Abutili*, alceæ Indicæ ſpecie, atque id genus aliis conficiunt; poſteriores vero, nimirum magis roborantes, e *Phyllitide* ſeu lingua cervina Indica, foliis *Tamarindorum* & *Carandje* atqe *Billing-bing* arborum præparandos curant. Ad quas medicationes ipſimet haud raro ægrotos bene ſe habuiſſe animadvertimus.

§. XIX.

Sed nunc demum *noſtra* quoque exponenda eſt *methodus*, qua hoc dyſenterico morbo affectis, quoad per vires noſtras licuit, medicati ſumus. Reſpicientibus nobis ad cauſas hujus mali (§. 9. ſq.), tres potiſſimum rationes exinde indicari viſæ ſunt, quibus optime ægrotorum ab hoc morbo in ſanitatem reſtitutio abſolveretur: primo nimirum, *ut materia mucida copioſa atque acris corrigatur*, *correcta* dein *convenientibus emiſſariis e corpore eliminetur*, & tertio denique, *ut partium debilitatarum tonus reſtituatur.* Tribus hiſce, quas dicimus, indicationibus, pro indole atque ratione morbi, duplici plerumque & diverſa via ſatiſfacere ſtuduimus. Quodſi enim leviſſimum erat malum, ſuiſque adhuc primis initiis involvebatur, neque frequentiſſimæ alvi dejectiones interjunctique teneſmi nimis atrociter ægrotos affligebant, plurimam medicationis partem ipſis auxiliatricibus naturæ viribus permiſimus, ſolamque ſimpliciſſimam diæteticam ſelegimus methodum: ſi vero ſecus omnia accidebant, validiora quoque & ex pharmaceutico penu depromta morbo oppoſuimus medicamenta.

§. XX.

Diætæ ordinem, dirigendis viribus naturæ ad ſanitatem reſtituendam accommodatum, ſequentem præſcripſimus. Cibos tantummodo eupeptos, neque adeo multum ſalitos aut aromatibus, præter nucem moſchatam (*u*), conditos, ægrotis permiſimus ſimulque præcepimus, ut ſibi optime ab omni

(*t*) De qua, ſequentibuſque plantis, conferri poſſunt *Jac. Bontius* & *Sam. Dale* lib. ſæp. cit.

(*u*) Nollemus litem nobis aliquam intendi, de nucis moſcatæ in initiis affectus dyſenterici uſu, multis noſtratium medicorum maxime ſuſpecto. Hi enim, ſi conſideraverint, mitiſſimum noſtrum eſſe malum & accurato ad tranſpirationem liberam, ſimulque in India maxime copioſam, regimine, quod præſcripſimus, ipſam materiam corruptam iterum excerni; non ſane habebunt, cur nos temeritatis cujuſdam in medendo accuſent.

omni turbulento animi adfectu, venere, nimio & delaſſante corporis motu, refrigeratione &c. caverent, & inprimis liberrimæ tranſpirationi vacarent. Potum vero pro quotidiano uſu conſtituimus temperatum, & deliniente mucilagine acres materiæ in inteſtinis contentæ portiunculas demulcentem. Quali virtute præditum communi omnium exiſtimatione habetur *decoctum oryzæ medicamentoſum*, tenui juſculo avenaceo noſtro haud abſimile, ſive coctione oryzæ cum ſimplici aqua, ſive additis ſimul radice cichorei herbaque endiviæ, paratum: quod potulenti genus Indi vernaculo ſermone *Caudgie* appellant. Miteſcente denique fluxu alvino mox, pro uſu ægrotorum, confici curavimus intritam e vino rubro, pane bis cocto ſive nautico & nucis moſchatæ pauxillo; mox vero morſulos exhibuimus ſtomachicos, in India plurimum uſitatos, e vino rubro, ſaccharo depurato largaque nucis moſchatæ portione per incoctionem confectos, qua methodo ſimplici bene multos dyſenteria noſtra ſingulari laborantes in ſanitatem vidimus reſtitutos. Quod eo facilius eſt intellectu, cum decoctum oryzæ mucilaginoſum primæ, exquiſitum ad diaphoreſin regimen ſecundæ, ea vero, quæ nuce moſchata admixta conſtabant, tertiæ quodammodo ſatisfecerint indicationi (§. 19.)

§. XXI.

Quod ad *pharmaceuticam medendi rationem* (§. 19.) attinet, in ea primum dedimus operam, ut partim ad interiores partes delati a ſuppreſſa tranſpiratione humores copioſiores, per moram acriores facti, partim aliæ ejuſdem indolis materiæ a diætæ erroribus in inteſtina immiſſæ (§. 14.), tempeſtive immutentur atque corrigantur, adeoque primæ ſatisfiat indicationi. Atque hoc nomine inſigni commendatione digna æſtimamus abſorbentia teneriora, v. g. c. c. ſine igne præparatum, cryſtallum montanam, lapid. cancr. &c. cum diaphoreticis fixis & refracta nitri (*x*) doſi conjuncta; quibus etiam, aut nimis frequenter urgentibus alvi dejectionibus, aut etiam inclinante jam morbo, pulverem corticis caſcarillæ addidimus. Interdum quoque gummi Arabicum aut Tragacanthæ, potulentis remixtum, ob mucilaginem ſuam, involvendis atque obtundendis acrioribus particulis inſigniter profuit. His interpoſuimus, ut *ſecundæ* pariter *indicationis* (§. 19.) curam haberemus, ejuſmodi remedia, quæ partim materiam mucoſam acrem, prioribus medicamentis emendatam, leniter per alvum educunt, partim ſub-

(*x*) Quamvis enim nonnulli in alvinis qualibuſcunque fluxionibus nitri uſum incongruum exiſtiment, noſtra tamen aliorumque medicorum experientia novimus, illud, parca manu exhibitum, abſterſionis atque correctionis inſigni virtute in his fluxibus pollere. Conf. etiam excell. *Junckeri therap. ſpec.* p. 641.

ſubtiliorem ejuſdem partem per tranſpirationis emiſſaria eliminant, adeoque ſimul copioſiorem ad inteſtina humorum adfluxum denuo exterioribus magis corporis partibus tranſmittunt. E priorum numero omnibus fere remediis palmam præripuit, communi pæne quorumvis medicorum experientia confirmatum antidyſentericum, rhabarbarum, in pulvere cum abſorbentibus permixtum ægrotiſque exhibitum: cujus cum duplex omnino dos ſit, altera quidem, quæ ad alvum laxandam valet, altera vero, quæ blanda tonica conſtrictione inteſtinorum vires reficit, nullum prorſus aliud medicamentum ad hanc indicationem videtur accommodatius. Neque vero ex claſſe remediorum huc facientium eximendæ ſunt pilulæ ex extractis amaris potiſſimum compoſitæ, balſamicæ (*y*) vulgo dictæ, & ad *Beccheri*, *Hoffmanni*, *Stahlii* vel *Junckeri* mentem paratæ; quæ ad hanc convenientiores fuerunt, ſi iiſdem rhabarbari extractum adjunximus. Speciminis loco pilulas a nobis interdum dyſentericis datas deſcribemus: Rec. aloës gummoſæ, myrrh. ppt. extract. rhabarb. ana. drachm. j. extr. cochlear. abſynth. cardui bened. ana ſcrup. ij. extr. fumar. centaur. minor. ana. ſcrup. j. terebinth. Venet. leniter coctæ ſcrup. j. & dimid. m. f. l. a. pilulæ pond. gr. j. doſ. n. xx. Dein vero huic indicationi conveniunt etiam diaphoretica mitiora, nec cum magna ſanguinis commotione tranſpirationem excitantia auctiorem, qualia jam ſuperius a nobis commendata ſunt. *Tertio* denique, ut ultimam abſolveremus indicationem (§. 19., ad reſtituendum debilitatis) inteſtinis robur, præcipue caſcarillæ cortice uſi ſumus, quo nec certius habuimus remedium, nec ſecurius in omnibus hujuſmodi alvinis affectibus. Ut occaſio ferebat, mox eundem in pulvere, cum abſorbentibus dedimus, mox extractum aquoſum, pilulis balſamicis nuptum, ad uſum accommodavimus. Ceterum ab omnibus aliis adſtringentibus, tam e plantarum, quam minerarum regno deſumtis, præter nucem moſchatam (§. 20.), curate abſtinuimus, haud incongruas ob rationes opinati, in hujuſce generis remediis, ſi ad dyſentericos fluxus reprimendos adhibeantur ſemper anguem in herba latere.

§. XXII.

Supereſſet ut nonnullas adhuc cautiones explicemus, quarum obſervatione homines ab hujus mali impetu vindicari atque defendi poſſunt; verum enim vero cum ille, qui ſibi circumſpecte ab iis erroribus committendis caverit, a quibus cauſas dyſenteriæ hujus derivatas ſupra (§. 9. ſq.) demonſtravimus, ſatis etiam ab ejuſdem morbi invaſione liber ſit atque tutus: ne ſupervacanea diſputemus, diſſertationi noſtræ finem imponimus, eandemque benevolis lectoribus de meliori commendamus.

F I N I S.

(*y*) Monemus tamen, ne quis temere, pro more, pilulis his, hoc ſcopo uſurpandis, extractum hellebori nigri adjungat, niſi ſimul teneſmum graviſſimum inferre ægrotantibus velit.

XCIII.

SAMUELIS ERNST

DE

TÆNIA SECUNDA PLATERI,

DISPUTATIO.

Baſileæ 16 Aug. 1743.

Q. D. B. V.

§. I.

INter innumera, quibus corpus noſtrum organicum quotidie vexatur, incommoda, non ultimum merito locum occupant moleſtiæ, miraque ſymptomata, quæ ex Vermibus, inteſtinis vel aliis Corporis noſtri partibus inſidentibus, ſuam accipiunt originem. Multis enim, ut nobis ſæpiſſime videtur, morbi inextricabiles, neque per hactenus data ex Anatomia, Phyſiologia, & Pathologia principia explicandi, inde quaſi ex Lernâ malorum, ſcaturiunt, quod obſervationes ſummorum Virorum, confirmante optimo Magiſtro quotidiana Experienta, abunde docent; qui vero morbi e veſtigio quaſi ceſſant, ſi Medicus ſagacior vermes ſuſpectos habet, vel forte fortuna incidit in Anthelmintica Remedia. Actum quidem agerem, ſi ego novus in Medicina Homo hiſce Eruditorum Lucubrationibus aliquid ſuperaddere conarer. Attamen, cum pro more in Academiis ſemel recepto publicum aliquod ſpecimen meorum profectuum in Medicina edere mihi incumbat, liceat eligere argumentum haud illibatum quidem, quis enim quæſo hodie talia inveniet? non tamen tritiſſimum, ut habeam campum, in quo ſudare, & ſi non vincere, ſine ignominiæ ſaltem nota vinci poſſim. Si in re magna obſcuritate adhucdum obvoluta hallucinor, Benevole Lector! recta favensque mihi ſit tua Ratio, prolixa Venia, & Interpretatio blanda. Nam, ut verum fatear, poſtquam me vaſto huic pelago commiſi, id mihi accidit, quod iter inexpertis fierit ſolet; nihil niſi Pontus & æther, non Pharus non portus apparebat. Si præter ſpem reperies, quæ in ſummi Creatoris Gloriam, & Proximi, cujus ſalus ſuprema noſtri Ordinis lex eſto, Commodum cedere poſſe credideris, tibi mihique ex animo gratulor.

§. II.

Vulgaris eſt diſtinctio Lumbricorum inteſtina excruciantium in Teretes, latos & Aſcarides; non eo ſenſu, quaſi non multæ aliæ ſpecies in nobis generari poſſint, & revera haud raro generentur, ſed quia dictæ ſpecies frequentiores ſunt. Cæterum, quatenus hæc diſtinctio valeat aut manca ſit, determinare, inſtitutionis meæ ratio non poſtulat. De latis modo & quidem de ea ſpecie, cujus pertractationem Rubrica promittit, quædam in medium proferre ſtat animus, has potiſſimum ob rationes. Non omnis fert omnia tellus; ſunt Regiones, in quibus prima tænia ſæpiſſime reperitur, in Regionibus ſcilicet, ſi Obſervatores audimus, magis maritimis & Septentrionalibus. In noſtris vero rarior

multo eſt, cum magis dominetur ſecunda. Hinc facile dirimuntur lites etiam magnorum Virorum, qui vel confuderunt has duas ſpecies, vel unam alterâ frequentiorem eſſe acriter defenderunt. Batavus verbi gratia Medicus contendit, rarius occurrere ſecundam tæniam, Italus pro ejuſdem frequentia pugnat. Uterque benè! Quivis pro ratione climatis, in quo medicam artem exercet, recte ſentit. Frequens enim ſane apud Batavos tænia, ſed primi generis, ut viciſſim ſecundum genus rarum ibidem eſt. Confirmant hoc teſtimonia Arabum, qui toties cucurbitinorum mentionem faciunt, primam vero ſpeciem tantum non ſilentio prætereunt. Ego Cucurbitinos aliquoties vidi ipſe, examini accuratiori ſubjeci, & plurima, ad hoc argumentum facientia, ope Celeberrimorum Virorum ruſpatus ſum. Prima ſpecies in conſpectum meum nunquam venit, neque quoad illam niſi ex Figuris *Spigelii* & aliorum ſapio; cum autem de non viſis teſtis idoneus eſſe nequeam, ſatius eſſe duxi viſa referre, quam incerta pro certis obtrudere. In praxi medica quoque rem utilem fore, de his inteſtinorum ingratis Hoſpitibus diſſerere, exiſtimo, quia hic Affectus noſtris temporibus indies fit frequentior, cum antea multi cum laude in arte conſenuerint, qui nunquam tæniam viderunt. Ego vero nunc decimum fere quemque Hominem hac Latorum ſpecie in noſtris plagis torqueri, aſſerere non erubeſco, an ex incuria Veterum hoc negligentium, an ex mutata noſtra victitandi ratione id factum ſit? neſcio.

§. III.

Omnes ſpecies latorum lumbricorum, (quorum duas numero, non quod non plures forſan exiſtant, quam locuples enim eſt natura in producendis innumeris in eodem genere ſpeciebus! Sed quia hactenus plures, ſi monſtroſa, quæ in hunc cenſum non veniunt, excipias, nemo vidit) *Tæniæ* a ſimilitudine cum faſciis appellari ſolent, quam vocem etiam nos imitamur Idiomate vernaculo, *Neſtelwürmer*, *Bendelwürmer*. Et revera accuratius Simile inveniri vix potuiſſe credo, quemadmodum deinde ex hujus Animalis deſcriptione patebit. *Imitatur autem*, inquit aliquis ex antiquioribus Medicis, *hic Vermis in figura, & longitudine & planitie Vittam, ut propterea a Græcis vocetur modo ταίνια, modo κείρια, modo ἕλμινς πλατεῖα &c.* Per Tæniam igitur intelligo vermem prælongum, (vel catenam vermium, ſi de noſtra ſpecie agitur) multis ſectionibus interſtinctum, pituitoſum, gracilem, pellucidum, lente per inteſtinorum tractum ſerpentem &c.

§. IV.

Apud antiquiſſimos Scriptores de hac tænia vel altum eſt ſilentium, vel obſcura tantum, & in tranſitu fit mentio. *Hippocratem* nullam dediſſe deſcriptionem latorum Lumbricorum, inquit *Galenus*; & hæc eſt ratio, cur

tur naſutiores Critici Librum quartum de morbis ſuppoſititium eſſe perhibent. Increbuerat enim illis & etiam poſteris temporibus mos, ut, ſicut in aliis Scientiarum generibus, ſic quoque in Medicis, Nomen magni alicujus viri præ ſe ferret Liber, ad majorem illi auctoritatem conciliandam. Multa quidem, ſed quoque obſcura loquuntur ſerioris Ævi Scriptores, certis principiis deſtituti, quorum ope veritatem eruere potuiſſent. Sic enim merito conqueritur Celeb. Hiſtoriæ medicæ Scriptor *Dan. Clericus* in *Hiſt. lator. Lumbricor.* p. 23. *Mirum quanta, huic Argumento affuderit ſequens ætas. Medicos certè Gabucini, qui præcedentium agmen clauſit, ætati ſuppares, aut paulo poſteriores ſi conſulamus, apud pleroſque, utut magni Nominis, nihil ferme occurret, in quo acquieſcere poſſimus &c.* Multi hanc tæniam pro Animali non agnoverunt. Auctor ille, quisquis ſit, Libri *Hippocrati* adſcripti, Vermem iſtum ramentum quaſi inteſtinorum eſſe ait. Alii, verbi gratia *Mercurialis*, putarunt, nihil aliud eſſe, niſi mucum quendam inteſtinorum interiora oblinentem, ut nimirum ea tueatur ab aſſumtorum aſperis acrioribusve particulis. *Franciſcus Valleriola Obſerv. Med. L.* 9. probare argumentis philoſophicis conatur, hanc pituitam in Membranam mutari poſſe, & quomodo articuli omniaque notatu digna inde oriantur, oſtendere ſtudet, ſed invita Minerva. Hæc omnia, quanquam a multis defenſa fuerunt, facili negotio diluuntur.

§. V.

Primo enim, cum *auctor l.* 4. *de morbis* afferat, eſſe tunicam abraſam inteſtinorum, hoc ex ignorantia anatomiæ, circulationis humorum, & nutritionis partium ipſi excidiſſe, contendo. Inteſtina enim componuntur ex quinque tunicis, quarum quævis ſuum præſtat uſum, quo nullo modo, ſine præſentaneo vitæ periculo, carere poſſumus. Intima eſt villoſa, innumeris ſubtiliſſimis vaſculis dives, quæ partim ſequentem nerveam tuetur, partim ſuccum inteſtinalem ſecernit, ulteriorem elaborationem digerendorum adjuvando, inteſtinorum tractum defendendo, lubricando &c. deſtinatum. Nervea ſequitur, quæ & glanduloſa & vaſcularis. Excipit hanc muſculoſa motui periſtaltico dicata; poſt celluloſa *Ruyſchii*, pinguedine interveniente concretionem impediens; membranacea tandem cum peritonæo communis, omnia involvens, fovens, defendens. Ponamus nunc, abradi tunicam villoſam primo, deinde aliam, quis quæſo! non facile videt, quantas turbas hæc abraſio cieret. Nulla porro fit abraſio, niſi a defectu nutritionis, quæ per circulationem humorum fit, ut in epidermide vaſculis deſtituta obſervamus. Sed ſimulac deficeret nutritio alicujus tunicæ v. gr. villoſæ, nuda jaceret nervea, omnibus vel leviſſimis injuriis expoſita, at horrenda ſymptomata, convulſiones &c. orirentur, ut taceam alia commoda jam dicta deperdita. Nervea ſi deſtrueretur, omnis ſenſus & motus illico perirent, & quæ ſunt alia. Ergo abraſio inteſtinorum tænia eſſe non poteſt.

§. VI.

Mucum inteſtinorum in hanc tæniam mutari, dixerunt alii; ſic enim *Serapion* ſeculi octavi ſcriptor: *et ſit hoc corpus ex panniculo mucoſo, qui eſt in parte interiore inteſtinorum.* Et ſupra *Valleriola*. Mira metamorphoſis! dari quidem concretiones mucoſas aut polypoſas, quæ vermium nonnunquam, aut aliorum animalium referant formas, negandum non eſt, ſed quid hoc cum tæniæ mira textura, ſtupendo natu æ artificio, quo vix exquiſitius alterum in cujuscunque inſecti fabrica apparet? Nec tantum eſt tegumentum aſcaridum, quod *Gabucinus* docet, ut experientia hoc ſatis oſtendit. Ubi autem rerum teſtimonia adſunt, non opus eſt verbis. Adſunt teſtimonia omnium temporum ſcriptorum fide digniſſimorum, qui ſuis oculis vivens viderunt hoc inſectum. *Horatius Augenius* per integram horam vixiſſe vidit poſt excretionem cucurbitinos. *Tyſon* anglus teſtatur, in varios cylindros ſe contorſiſſe hanc tæniam. *Spigelius* ſuam tæniam ita agilem vidit, ut in ſaxum conjecta, in ſpiras multas ſe contorqueret, & in aquam immerſa in coronam ſe componeret. Perinde eſt, hæc de prima an ſecunda tænia dicantur, in hoc enim tertio inter ſe conveniunt. Experientia id quoque conſtat, quicunque enim recens excretam portionem hujus lumbrici conſiderat, & in lacte tepido conſervat, vitam vermis facile ſentiet, niſi per accidens jam in corpore, aut per fortiora medicamina, enecatus fuerit.

§. VII.

Eſt autem hæc tænia tota compoſita ex multis internodiis, digiti circiter latitudinem ſua longitudine æquantibus, accuratiſſime inter ſe conjunctis, fere eo modo, quem in juncturis oſſium arthrodiam vocant oſteologi. Horum quodvis ſuis gaudet vaſis chylo repletis, imo recens excretus adeo chylo turget, ut nudo oculo tota ejus ſubſtantia alba appareat, paulatim vero diſtinctius prodeunt vaſa, usque quo tandem omnia evaneſcant, curioſum ſpectatorem aſpectu ulteriore deſtituentia. Videntur trunci majores, rami, vaſcula minora, capillaria, minima. Mediam tæniam ſecat vas aliquod, in relatione ad cætera ingens, juxta longitudinem articuli pergens, quod aortæ quaſi vices ſuſtinere mihi probabile videbatur. Idem vas ſuos laterales ramos cincinnorum inſtar emittit, usque ad canalem extimum, fimbriam tæniæ formantem. Hæc vaſa, quantum quidem ego & alii, varii generis microſcopiis adjuti, obſervavimus, cuivis articulo ſunt propria, nec cum vaſis præcedentis aut ſubſequentis internodii aliquid commune habent. Oculis vero diffidentes injectiones tentavimus variis liquoribus, ſed idem experti ſumus. Fig. I. litt. d d d. *Unusquisque articulus circumcirca præditus eſt canali quadrangulam formam exhibente, a nullo authore hactenus deſcripto. Hunc detexi liquorem rubrum ope ſyringæ anellianæ, in oſculum vermis mox deſcribendum injiciendo; qui liquor in pluribus articulis ſimul egregio ſpectaculo parallelogrammanta depinxit, communicabant vero hi ductus inter ſe in longiorum laterum extremitatibus.*

§. VIII.

§. VIII.

Sed ut ſpecialius conſideremus hoc animal, obſervavimus porro in quovis articulo proprium orificium, protuberantiam inſtar alicujus mammillæ oculis exhibens, mox in dextro mox in ſiniſtro latere. Lepide hinc *Tyſon* de multitudine eorum loquitur: *Ora ipſi quamplurima ſunt, imo plura quam Briareo & Argo brachia & oculi, ſi Poëtas audimus, unquam fuerunt; ſingula nimirum in ſingulis annulis ſeu articulis conſpicua, quod, ut puto, nec in ullo alio verme, nec in alio inſecto aut animali quocunque obſervatum eſt.* Hoc orificium, Fig. I. & II. litt. a. quod in medio poſitum eſt, facile ſetam admittit, in quod etiam liquores injecimus. Raro invenitur unus articulus, qui per luſum, ut ſuſpicor, naturæ duobus vel tribus hujuſmodi orificiis ſit præditus. Ex his orificiis mox chylus, mox ſerum & lympha effluit. Notatu dignum eſt quoque, quod in aliquo articulo alia adhuc articulatio inventa fuerit, forma fere triangulari; an pro faciliori flexione, ne fiat angulus acutus in aliqua flexura inteſtini, an diſruptus hoc quaſi callo rurſus coaluerit, an ſit proles præcedentis articuli? Incertum eſt.

§. IX.

Nudum oculum fugiebat orificium interius valde parvum, ſtatim recta linea intra exterius poſitum, & introitum in ipſam ſubſtantiam articuli parans. Armatus microſcopiis oculus aſſecutus eſt, ubi videri potuit, quomodo exterius veſtibuli inſtar tantum in canalem extimum injectos liquores admiſerit. Forte fortuna, ſatis jucundo aſpectu, aliquoties omnia minima articuli vaſcula injeci liquore rubro, ex ligno Braſilienſi parato, hinc ſecure concludo, me ſiphunculo magnæ ſubtilitatis argenteo, quo uſus fui, orificium minus tetigiſſe. Statim poſt orificium hoc minus, incidimus in punctum aliquod nigricans, ſi recentes ſcilicet fuere tæniæ, nam & hoc phœnomenon evaneſcebat paulatim cum cæteris. Quid hoc punctum ſibi velit, ego non definiam. Quid ſi eſſet viſcus cordis & pulmonum officia præſtans? Cæterum omnes articuli inter ſe communicant ope ſolius canalis longitudinalis in extremitatibus, quibus ſe utrinque contingunt articuli. Liquores enim injecti totum fere tractum lumbrici penetraverunt, eundo redeundo per ſocium canalem, non ſecus ac venæ arterioſum ſanguinem revehere conſueverunt. Vid. fig. Organa corporis cætera non poſſunt accurate enarrari, etſi Microſcopiis id tentetur, nihil enim, niſi congeriem corpuſculorum globuloſorum milii granis accedentium, hactenus viri docti obſervarunt. Omnia teguntur membrana tenerrima & ſubtiliſſima, ita ut tota membrana eſſe videatur. Hinc *Schrokius*, *niſi vitæ*, inquit, *ſigna dediſſet, pro membrana habuiſſem.*

§. X.

Sed difficilis quæſtio jam ab aliquo tempore, imo ab aliquot ſeculis inter eruditos naturalium rerum ruſpatores mota fuit, an hanc ſecundam Plateri tæniam unum vermem, an vero catenam millium lumbricorum, appellare ſit convenientius? Pro utraque ſententia acriter, quaſi pro aris & focis, certatum fuit. Unicum eſſe animal præcipue defenderunt *Andry*, celebris medicus Pariſienſis, qui lingua gallica conſcripſit librum de vermibus, & *Tyſon* Anglus in peculiari diſſertatione de lumbricis latis compoſita, & coram Societate Regia Londinenſi recitata. Prior propterea *ſolium* ſatis barbara voce hoc inſectum nominat. Argumenta eorum potiſſimum duo ſunt. Adeſt, inquit *Andry*, caput in ſuperiore extremitate pro toto corpore, quod ipſe vidi, collo adjuncto gracili prælongo. Hoc caput etiam ſuis figuris expreſſit. *Tyſon* capitis mentionem facit, ſed longe aliter illud deſcribit, tandem vero ipſe dubitat, an caput vocari mereatur? Hoc caput, pergit *Andry*, in pyloro ſe condit, ut eo melius chylo recenti & nondum bile tincto frui poſſit. Præterea ita inter ſe arcte ſunt conjuncta internodia, ut facile inde pateat, unicum tantum eſſe animal. Si hæc de prima tæniarum ſpecie dicerentur, non contradicerem, de ignotis enim non judicat Eccleſia, & ex figuris *Spigelianis* magna apparet differentia, nullibi enim videntur illa orificia, quæ in noſtra obſervantur, neque illorum apud ullum auctorem ſit mentio. Sed cum hæc de noſtra ſpecie aſſerantur, ut illis aſſentiam, nullo modo a me impetrare poſſum. Primo enim, ſi aliquid valet magnorum virorum auctoritas, magnam phalangem ſiſtere poſſem. Pauci ſufficiant; *Conciliator* ſive *Petrus de Apono*, ſeculi 13 & 14. ſcriptor, hæc reliquit verba: *Lati lumbrici ſeminibus cucurbitæ ſimiles, unde & cucurbitini dicuntur, inſtar ſeminum cucurbitæ inter ſe filo conjunctorum per omnia inteſtina ſe dilatant &c. Sunt enim longitudine maxima, quandoque colligati, ita, quod retulit mihi quis, ſe copulum ipſorum quindecim pedum menſuram emenſiſſe.* *Wedelius* celeberrimus medicus eandem ſententiam tuetur, & latum lumbricum veros eſſe vermes, & plures quidem cohærentes, ſe oculis falli neſciis obſervaſſe. Idem aſſerit Celeb. *Zwingerus* in *Praxi medica*; *Borrichius Act. Haffn. Vol. II. obſerv.* 47. poſtquam omnia accuratius obſervaſſet, in hæc erumpit verba; *non tam lumbricus quam lumbrici nominandi ſunt, quodlibet enim internodium pro lumbrico habendum eſt. Valliſnerius* idem prolixa diſſertatione defendit, ut multos alios taceam.

§. XI.

Præter vero auctoritatem tantorum virorum, graves adſunt rationes, quæ catenam vermium hanc tæniam eſſe ſuadent. Qualis enim primo eſſet

eſſet proportio inter immenſam longitudinem & cæteras dimenſiones. Ad octoginta nimirum pedes aſcendiſſe longitudinem, obſervatum fuit. Non video porro, quomodo tam vaſtum corpus nutriri poſſit & regi ope hujus parvi capitis. Secundo præter *Andrium*, qui ſolio ſuo monſtroſum caput fingit, nemo pro certo afferere auſus eſt, ſe hoc caput vidiſſe. *Clericus*, qui ex profeſſo in omnia hanc rem illuſtrantia inquiſivit, caput nunquam vidit. *Spigelius* fatetur, a ſe nunquam conſpectum fuiſſe caput. Nec *Tulpius* vidit, ſed aliorum relationibus credidit. *Tyſon* putavit, ſe vidiſſe caput, ſed poſtea ipſe dubitat, & quidem merito, ſiquidem tantum non certum ſit, illum, articulum in varias figuras ſe contorquentem, primo aſpectu pro capite habuiſſe. Quid multis? apud plurimos auctores hi vermes ἀκέφαλοι occurrunt. Sic videtur *Andry* aliquid humani paſſum fuiſſe, ſemel enim incaleſcente imaginatione facile videre putamus, quæcunque videre avemus, juxta illud *Stat. Papin. Thebaid. l.* 7.

Si geminos ſoles, ruituraque ſuadeat aſtra,
Aut nutare ſolum, aut veteres deſcendere ſylvas,
(Ah miſeri!) vidiſſe putant.

Pergit interim *Andry* ſuam ſententiam, quantum poteſt, defendere, & quaſi fundamento ſolide poſito alias ſuperſtruit opiniones. Neceſſe eſt, inquit, ut hoc caput condatur in pyloro. Cur? In pylorum deſcendit ex ventriculo chymus bile nondum tinctus, quæ inferius in duodenum fluens, nimis amarum redderet ſuccum, quam ut in cibum vermis cedere poſſet. Nititur hæc ſententia præjudicio, quod experientia, etſi viro Clariſſimo minime favente, fundatum eſſe contendit. Fel ſcilicet eſſe abſolutum venenum omnibus vermium ſpeciebus, ita ut impoſſibile ſit vivere poſſe tæniam chylo felle permixto ſe paſcentem. Hinc tantum eos quamplurimum hoc laborare incommodo dicit, quorum cyſtis fellea ſit obſtructa. Sed hoc generaliter verum non eſt. Inveniuntur quippe vermes in ipſa veſicula fellis, etiamſi ſatis laudabilis ſecernatur in illis ſubjectis bilis. Nonne porro in abſynthio reperiuntur vermes, ut ipſe *Andry* concedit: *on trouve des vers à la Pimpernelle, à l'Abſynthe, & à pluſieurs autres herbes, leſquels ſont tous differens.* Atqui abſynthium amaritudine non cedit bili. Experimenta itidem *Rediana* docent, in decocto colocynthidis, aloës &c. diu ſuperſtites fuiſſe æque terreſtres ac corporis noſtri vermes. Ambagibus autem iſtis non opus habemus. Non magna quantitas hujus pretioſiſſimi liquoris una vice in duodenum fluit, ut docent Phyſiologi, ſed tantummodo, quantum ſufficit, ut cibi aceſcentes corrigantur, oleoſi vero & facile ranceſcentes, inſtar ſaponis agente bile, intime cum cæteris ſuccis miſceantur. Hæc pauca quantitas adhuc diluitur majori copia bilis hepaticæ & ſucci Pancreatici inſipidi affatim affluentis; adeo ut

ut argumentum hoc *Andryanum* plane nullum ſit. Per vomitum rejeciſſe aliquando ægrotos fruſtra tænia Authores meminerunt, & ipſe hoc ex vetula a tænia vexata audivi, quæ in Noſodochio hujus urbis decumbebat febricitans. Hoc autem nihil aliud probat, niſi quod pro lubitu, vel prout neceſſitas poſtulat, vel motu periſtaltico perverſo ſurſum aſcendant, vel pellantur tæniæ.

§. XII.

Sed majora adhuc adſunt argumenta, quæ plures eſſe vermes tæniam noſtram probant. Nulla enim dari poteſt ratio ſufficiens, cur excretis magnis ejus corporis fruſtis, reliqua tamen pars ſarta tectaque in inteſtinis vitam ſuſtineat, niſi pluralitatem aſſumere velimus, qua admiſſa facile hoc problema ſolvitur. Aut quomodo aliter explicare poſſimus regenerationem uſque ad priſtinam longitudinem, neſcio, niſi cum vulgo deſipiamus, aſſerendo abrupta reſarciri, ſponte ſuccreſcente corpore tæniæ. Nullum enim ſuſpicor eſſe animal, quod, amiſſa plus quam dimidia ſui corporis parte, vivum diu manere poſſit. Sed triſtis experientia docet, eundem hominem ſæpiſſime fruſtra multarum ulnarum excernere, ſemper vegeta manente tænia, indieſque vires recipiente. Internodia porro, ſi ſola & ſigillatim excreta fuerunt, æque diu extra corpus vixiſſe obſervarunt viri eruditiſſimi, ac magnum eorum tractum. Sic *Vallisnerius* narrat, internodia talia ab hebræa muliere excreta diu per menſam reptaſſe. Palmarium autem, ut mihi videtur, argumentum a multitudine mammillarum deſumi poterit. Quorſum centum ora, ſi unicus eſt vermis? Ora enim eſſe patentia hæc foramina, neque, ut alii putant, trachearum vices ſupplere, probatur; primo, quia ſemper impleta ſunt laudabili chylo, ne ſic eſca illi articulo deficiat. Idem chylus nonniſi ex hiſce orificiis effluit, ſi ſpiritui vini aut cuicunque liquori tænia injicitur. Neque video, quomodo tam immenſum corpus nutriri poſſit, niſi tot adeſſent ora, & quidem eo magis, quod etiam in eo loco, ubi caput poſuerunt ſupra laudati viri, nullum os inveniri potuerit a noſtro diverſum: ſecundo, vix melius poteſt explicari bulimia cum ſæpiſſime juncta atrophia, niſi cum aſſeram, tot ora vaſis lacteis appoſita corpus noſtrum optimo, & ad vitæ ſuſtentationem neceſſario ſucco privare magnam partem, omnis enim ſi abſumeretur, brevi ad plures migraret homo. Bronchia hinc eſſe nequeunt, quod præter jam dictas rationes etiam exinde patet, quod bronchia cæterorum inſectorum plane nullum humorem eructent ex iſtiuſmodi orificiis.

§. XIII.

§. XIII.

In tranſitu, dum de iſtis orificiis ſermo eſt, obſervatu digniſſimum eſſe puto, quod unicum tantum orificium adhuc dum repertum ſit, quod variis difficultatibus anſam præbuit. Uncinos illos, quos *Valliſnerius* memorat, ego vero hactenus invenire non potui, os eſſe aſſerit idem, noſtrumque oſculum excrementis ejiciendis inſervire contendit. Sed ſi adſunt, quod neque negare, neque affirmare auſim, ad firmiorem cohæſionem & concatenationem facere credo. Nihil ergo reſtat, quam ſtatuere, idem orificium abſorptioni chyli & excretioni excrementorum inſervire. Objectio enim, quaſi nulla excrementa ejicerent iſti lumbrici, quia merum chylum ederent, nulla eſt; alias infantes puro lacte viventes nihil excrementitii haberent. Nec abſurdum putes hoc, B. Lector! ſi idem oſculum & deglutitioni & excrementis largior. Stella enim marina, ut illam deſcripſit *Linkius*, & ſæpe mihi narrarunt viri fide digniſſimi, unicum in ſuperiore ſuperficie habet orificium, quo artificioſe prædam arripit, devorat, & quicquid eſt excrementitii, per idem orificium reddit. Nonne idem noſtræ tæniæ a natura diverſimode ludente privilegium concedi potuit?

§. XIV.

Argumenta pro pluralitate vermium facile præponderant, ut cuivis attento lectori patebit. Sed unicum excitat dubium ille canalis longitudinalis ad finem in utroque latere poſitus, & per totum tractum tæniæ pergens, qui aliquo modo pro unitate pugnare forſan videbitur. Hoc autem me non movet, ſed potius ad hanc manuducit ſententiam: tota nimirum tænia unum efficit quaſi civile corpus arcte inter ſe certis legibus junctum. Commodius & tutius vivunt vermes, quamdiu hoc vinculum integrum manet. Avulſum internodium non poteſt impedire, quo minus a quacunque vi medicamentorum vel per alium caſum e ſede ſua abripiatur, & cum excrementis foras ejiciatur. Canalis ergo ille in commune bonum aliquid confert, quod determinare, niſi adhuc major lux affulgeat, difficile mihi videtur. Interim tamen docent argumenta, quibus uſus eſt *Valliſnerius*, ad probandam exiſtentiam tot vermium, quot ſunt articuli tæniæ, nimis probare, cum audacter ille aſſeruerit, nulla alia ratione articulos tæniæ cohærere, quam ſimplici contactu, cum tamen experimento iſto novo, quod ego mox propoſui, appareat, articulos iſtos ſeu potius ſingulares vermes communibus canalibus gaudere, quibus promiſcua quædam utilitas in hac ſociali catena præſtetur. Hocque dixiſſe ſufficiat, plures eſſe lumbricos peculiarem inter ſe relationem mutuo habentes, unumque corpus ſua concatenatione efficientes. Ex analogia ſi quis ra-

ratiocinetur, objiciendo in toto rerum univerſo inter animalia hoc non inveniri; reſpondeo multa eſſe adhuc nobis incognita, ſæpeque naturam varietate nobis haud raro incomprehenſibili modo delectari. Meminerit ergo ſemper quivis illius *Pliniani* effati L. II. cap. 13. *Mihi contuenti ſe perſuaſit rerum natura, nihil incredibile exiſtimare de ea.*

§. XV.

Quo pacto autem hæ tæniæ in corpore noſtro generari & propagari poſſint, inquirere, non modo ob jucundam voluptatem, quam naturæ curioſi ex majori cognitione rerum percipiunt, ſed & in praxi medica utilitatem, operæ erit pretium. In genere obſervatum eſt, inſecta differre a cæteris animalibus, quæ vel in utero gerunt, vel alio modo ſollicita ſunt incubando ovis uſque ad debitum excluſionis fœtus tempus. Inſecta vero ſua ſemina quaquaverſum diſpergunt, prout inſtinctus naturæ ea docet hunc vel illum locum eligere, in quo vel ope caloris ſolaris, vel fermentationis alterius corporis turmatim excluduntur. Duplicem hinc veteres eorum ſtatuerunt propagationem, per generationem ſcilicet, & putrefactionem. *Ovid. Faſtor. l.* 1. de apibus loquens,

- - - Fervent examina putri
De bove; mille animas una necata dedit.

Sic muſcas, millepedes, cimices, vermes ex mera putrefactione credit adhuc generari vulgus. Ex corruptis in ventriculo cibis & pituita procreari inteſtinorum vermes, antea crediderunt plurimi medici, uſque quo clariſſ. *Redi* & celeb. *Leeuwenhoeckius* nos edocuerunt, generationem ipſam inſectorum plane non abludere, ſed eandem eſſe cum cæteris animalibus. *Nullum corpus*, inquit *Redi*, *verminat. Nugæ ſunt antiquitus caſu ab hoc vel illo inventæ, & ab aliis poſtea pro veris habitæ, ac non ſine additamento in literas relatæ.* Mirum autem, hanc ſententiam tam diu viguiſſe, cum alioquin eodem argumento ruat, quo *Epicuri* ſyſtema de motu & concurſu fortuito particularum materiæ ad formationem univerſi orbis, manifeſto refellitur. Si ergo pituita putreſcens mutaretur in lumbricum, cur a tot retro ſeculis ſemper eadem forma viſa fuit? Sed his diutius immorari inutile eſſet, cum ſaniores Philoſophi hanc metamorphoſin jam diu rejecerint, & hodie nemo dicturus ſit, vel minimum vermiculum caſei ſine juſtis parentibus naſci. In noſtro corpore ergo naſcuntur inſecta, dum cibos varios ovulis minimis conſpurcatos ſecuri devoramus, a calore naturali paulo debilioris ventriculi & inteſtinorum fota excluduntur, & progreſſu temporis juſtam ſuam magnitudinem adipiſcuntur: nullum enim juxta leges naturæ generatur animans, niſi a præexiſtente ſui ſimili.

§. XVI.

§. XVI.

De tæniis res difficilior eſſe videtur. Ovula multa inſtar granorum milii, ſed longe minora a viris doctis obſervata ſunt in corpuſculis & canalibus articulorum, ita ut non difficile ſit inde concludere, quod ſemel degens in inteſtinis tænia ſe multiplicare, & ſui ſimilem progeniem edere poſſit. *Andry* quidem hæc ovula nullius uſus exiſtimat, & cum excrementis ſemper ejici dicit, nihilque inde generari. Sed quæſo! an natura fruſtra tot myriades ovorum produxit? An impoſſibile eſt, in corpore ſemel ſic diſpoſito, ut integra tænia in eo habitare poſſit, excludi & propagari eandem ſpeciem? Unde continua reparatio excretarum lumbrici partium? Generatio ejus univoca, quam ego non ſatis capere mea mente poſſum, plane nulla eſt, & contradicit legibus naturæ. Salſe hinc & merito illam ridet ſæpe jam laudatus *Valliſnerius: erit ergo*, inquit, *lumbricus iſte mas & fæmina, princeps & privatus, ſoluſque licet fuerit, populum univerſum, genus tandem & ſpeciem conſtituet.* Certum ergo eſt, propagari hoc animal legibus cæteris inſectis communibus. Sed quo modo ab extra in corpus noſtrum ab initio ingrediatur, res eſt haud dubie altioris indaginis. Variæ circumferuntur ſententiæ. Multi eo ſubtilitatis, ne dicam dementiæ progreſſi ſunt, ut ſtamina hujus inſecti jam in ſemine hominis exiſtere defendant, imo originem, ſubtilius magis quam judicioſe aſcendendo, jam in protoplaſtis quærunt. Hæc omnia refutatione vix opus habent: nullum enim eſt animal, quod alterius ſtamina in ſuo ſemine habeat. Alii per metamorphoſin ex ſeminibus muſcarum vel aliorum inſectorum produci has tænias perhibent. Talis autem transfiguratio neque per regulas generationis, cujus lex hæc eſt, ut quodvis animal accurate ſui ſimile proferat, neque per ullam aliam probabilitatis ſpeciem monſtrari poteſt. Etenim ut ex columbæ ovo non naſcitur ſerpens, vel ex ſerpente mus, aut ex mure piſcis non oritur, ſic certe ex papilionis ovo non excluditur tænia. Reſtat ergo, ut extra corpus hoc inſectum exiſtat. Hactenus nemo ad oculum hoc demonſtravit, quod mire torſit ſummorum virorum ingenia. Celeber. *Leeuwenhoeck Arcan. natur. detect. p. m.* 401. *ſeq.* eandem tæniam ſæpiſſime invenit in Anguillis, & in aliis piſcibus, quos *cyprinos latos* vocat, Batavi vero *Riembraſſems* appellant. Sic inde ratiocinatur magnus vir. Ex piſcibus, in quibus ſæpiſſime generatur, multa ſemina hujus vermis cum excrementis emittuntur, quæ ob incredibilem parvitatem oculos quammaxime fugiunt. Poſſibile enim eſt, nos cum unica gutta aquæ myriades ovulorum deglutire, in corpore diſpoſito prolem edituras. Egregie, ut ſolet, hæc omnia vir ille perſequitur, ſed difficultas remanet, unde in piſcem tranſierint hæc ſemina? Deſperarunt omnes fere philoſophi de hujus problematis ſolutione; at animum erexit *Carolus Linnæus*, cujus nomen ob erudita ſcripta orbi li-

terario jam innotuit. Illius verba huc quadrantia *in Syſtem. Plant. &c. p.* 42. tota apponam : *In tubo inteſtinali hominum tres ſpecies animalium occurrunt, lumbrici nempe, aſcarides & tæniæ. Quod lumbricus inteſtinalis una eademque ſit ſpecies cum lumbrico terreſtri vulgatiſſimo, monſtrat figura omnium partium. Quod aſcarides iidem ſint cum lumbricis illis minutiſſimis in locis paluſtribus ubique obviis ex autopſia clariſſime patet. Tænia hucuſque pro paraſitica ſpecie habita eſt, cum in hominibus, canibus, piſcibus &c. frequentiſſime ſolitaria reperta fuerit, & maximum negotium illis faceſſat, qui in indaganda generatione animalium diligentem operam contulerunt. Ego vero in itinere Reuterholmiano-Dalekarlico anno* 1734. *conſtitutus, in præſentia ſeptem ſociorum meorum, hanc inter ochram acidularem Jærnenſem inveni, quod maxime miratus ſum, cum aqua acidulari ejuſmodi tænias plurimi expellere tentant. Hinc ſequitur, vermes non oriri ex ovis inſectorum, muſcarum & ſimilium, (quod ſi fieret, nunquam multiplicari poſſent intra tubum inteſtinalem; & ſecundum gradus metamorphoſes perirent,) ſed ex ovis vermium prædictorum una cum aqua bibendo hauſtis. Unde patet, medicamenta inſectis adverſa, non per conſequens vermes necare.* Hactenus *Linnæus.* Nullus dubito, quin, ſi accuratiori examini ſubjicerentur loca paludoſa & aquæ ſtagnantes, in noſtris regionibus aliquid inveniri poſſet, quod lucem huic problemati fœneraretur. Seculum forſan futurum, & noſtra felicior ætas multa adhuc nobis abſcondita deteget.

§. XVII.

Modum autem, quo hæc ſemina in noſtro corpore pullulare poſſunt, ſic concipio : ſuppono gradum interni caloris corporis ſani & robuſti hominis, adſcendere ad ſummum, verbi gratia ad gradum Thermometri 94. cujus gradus 212. eſſet calor aquæ ebullientis. Vid. celeb. *Haller. Comment. in Boerhaav. Inſtitutiones. Vol. II. p.* 86. Ponamus porro gradum infimum, infra quem non diu vivere poſſit homo, eſſe circiter quadrageſimum quintum &c. Illi gradus intermedii, quo magis ad 94. accedunt, eo robuſtioris corporis ſunt ſigna, ſub quibus motus periſtalticus ventriculi & inteſtinorum fit validus, chylus bonæ notæ ſecernatur, intime cum ſanguine miſceatur, fibræ bene nutriantur & roborentur : corpora muſculoſa & ſtrigoſa quamplurimum ad hanc claſſem pertinent. Quo magis vero recedunt hi gradus, ita ut deſcendant v. gr. ad 65. & inferius, motus quoque periſtalticus fit languidior, omnia pejoris notæ generantur, fibrarum tonus remittitur, attritus ergo fit minor, ſanguis non bene conquaſſatur, pituita multa in primis viis colligitur &c. Atqui notum eſt ex jam ſupra (§. 15.) dictis, omnia inſecta ſuo ſemine conſpurcare eſculenta & potulenta fere omnia. Pone nunc duos homines, robuſtum, muſculoſum & ſtrigoſum unum, debiliorem, laxiorem alterum, in quo ſupradicta phænomena apparent. Uterque bibit aquam forte ovu-

ovulis tæniarum conſpurcatam, aut veſcitur piſce tænia laborante. Quid fiet? Calor robuſti ventriculi, attritus, motuſque validior in priori ſubjecto eſt, quam ut pullulare poſſint vermes, quin potius illico comminuuntur, deſtruuntur, & ſine noxa ejiciuntur cum excrementis ſtamina horum animalium. Sed longe aliter ſe res habet cum altero. Cadit ovulum inſecti in ventriculum debilem, qui lente digerit, languide movetur, & in eo præciſe gradu caloris verſatur, ſub quo excludi infelix & ſuo Fautori noxius fœtus poteſt. Hinc brevi tempore naſcitur progenies mala, mox datura deteriores nepotes. Dum enim in rugis inteſtinorum hærent, non facile foras protruduntur a motu nimis languido. Sed in inteſtino cæco utplurimum nidulari tænias auctores perhibent, quia ſemper ibi aliqua hæret materia pituitoſa viſcida tepida, quæ illis favet & incrementum dat. Facile inde patet, cur infantes tantum non omnes vexentur lumbricis varii generis, quod rarius fit in adultioribus? Cur cæteris paribus virilem ætatem aſſequuti ſæpe ſponte natura liberentur tænia homines? Cur mulieres magis ſint obnoxiæ huic malo, quam ſexus nobilior?

§. XVIII.

Signa, quibus hunc affectum ab omnibus aliis diſtinguere poſſit medicus, tam manifeſta quamplurimum non ſunt, quin etiam artis peritus fallatur. Varia lubet enumerare phænomena, quæ ſparſim viri docti obſervarunt, ex quorum collectione diagnoſis tamen utcunque formari queat. In plurimis adeſt facies cachectica, pallor. Interim bene imo nimis appetunt. Hinc caninam, quam vocant, famem inter ſigna diagnoſtica jam olim *Alexander Trallianus* poſuit; etſi perpetuum tæniæ latentis ſignum vocanda hæc fames non ſit. Senſus adeſt motus manifeſti in inteſtinis, cum dolore tractorio, nonnunquam frigoris circa umbilicum, ut obſervat *Hildanus*, & mihi ipſi narravit hac tænia vexata honeſta fæmina. Ventris tumor mox major, mox minor, modo nullus eſt. Caligines aliquando ante oculos, capitis vertigines, frequentiſſimus aurium tinnitus, laſſitudo corporis, tormina ventris adſunt, quæ nonnunquam adeo horrenda ſunt, ut, ſi *Tyſoni* credimus, violentas manus ſibi inferre ægri voluerint. Jejunis frequens eſt nauſea, vomituritio. Palpitatio porro cordis, & obſtructio viſcerum in quibuſdam ſubjectis obſervata fuere. Sed hæc magnam partem, ut dicam quod res eſt, ſatis incerta, & partim cum lumbricis teretibus, partim cum aliis morbis communia ſunt. Certiſſimum omnium ſignum eſt, ſi fruſtula ſemini cucurbitæ ſimilia cum excrementis alvinis ejiciuntur.

§. XIX.

Diſponunt ad hunc affectum omnia ea, quæ tonum ventriculi & inteſtinorum labefactant, qualia ſunt abuſus fructuum horæorum, piſcium, præſertim eorum, qui in lacubus & aquis ſtagnantibus vivunt, anguillarum, carpionum &c. Diæta irregularis, nimis lactea. Magis porro obnoxia ſunt ſubjecta ea, quibus eſt temperamentum nimis phlegmaticum, habituſque corporis laxior, quæ vitam ſedentariam agunt, chylificationique inde obicem ponunt, & ſaburram pituitoſam in primis viis colligunt, ut ſupra obſervavimus (§. 17.). Sed his, juxta ſententiam omnium modernorum Philoſophorum (§. 15.) neceſſario accedere debet deglutitio ovulorum cucurbitinorum, quocunque id fiat modo.

§. XX.

Prognoſin quod attinet, B. Lector! ſic habeto. Per ſe animal iſtud hominem non necat, imo experientia docet, multos per plures annos hoſpitem hunc ſecum portare, ſine ullo vitæ periculo. Pertinacius inhærent & difficilius expelluntur lati, quam teretes, ſed vulgo non tantos tumultus cient, quantos movent teretes, qui ſæpius inteſtina perforant, & alia mala ſecum ferunt, & e contra omnia atrociora ſymptomata, quæ haud dubie interdum latos comitantur, etiam teretes ſequuntur. *Cornelius* quidem *Celſus l.* 4. *c.* 17. *Latos pejores eſſe* pronunciat, quod pro diverſis ſubjectis diverſimode accipiendum eſſe arbitror. Interim indirecte plurimis aliis morbis ſuo tempore lethiferis anſam præbere poteſt tænia. Cum enim chyli magna pars in prædam cucurbitinis cedat, in tabem lentam a defectu nutritionis incidere æger poterit. Sic hiſtoriam literis conſignatam inveni de muliere ubera infanti præbente, quæ ex metu imminentis tabis ablactare ſuaviſſimum filiolum coacta fuiſſet, niſi medicamentis ferociam tæniæ fregiſſent medici. Si fibræ laxiores fiunt, & tonum amittunt a mala elaboratione chyli, circuitus humorum impeditur, celluloſa tunica ubivis vel in aliquo tantum loco ſero viſcido ichoroſo impletur, & hydrops inſtat. Hujuſmodi hiſtoriam nobis reliquit *Spigelius* de virgine quadam auſtriaca, quæ cum magno laboraret ventris tumore, a ſuis Parentibus & medicis graviditatis ſuſpecta negligebatur, at infauſto ſucceſſu! Poſt enim aliquot menſes emaciata diem ſupremum obiit. Cultro anatomico ſubjecta magnam aquæ copiam in abdomine cum prægrandi tænia ſpectatoribus exhibuit. Convulſiones ſæpe oriri poſſunt a conſenſu nervorum, ſi tænia inteſtina vellicat. Ex eadem cauſa abortum feciſſe prægnantes mulieres, auctores perhibent, ut de ſua hebræa muliere narrat *Valliſnerius.* Per ætatem virilem ſæpe & poſt febres, ut ſupra oſtendimus, fortiora item medicamina expellitur quandoque. Sed ut alibi, ſic &

in

in & caſu, plus non raro cæca fortuna, quam ars exercitata, valet.

§. XXI.

Ad hunc igitur expellendum hoſtem varia hucuſque a multis medicis adhibita ſunt arma, in quibus enarrandis brevis ero, poſtea meam ſententiam ſubjuncturus. Haud enim aliter evenire potuit, quam ut ex diverſis, quas plurimi de tænia conceperunt, ideis diverſa fluant corollaria practica. In genere omnia oleoſa inſectis lethalia eſſe, jam a longo tempore & quidem jure crediderunt medici; dum enim oleum obſtruit poros trachearum, brevi tempore vermes enecantur, ſi ſufficiens ejus quantitas adhibetur. *Tyſon* obſervat, ab emulſione ex ſeminibus 4 frigidis majoribus aſſumta excretam fuiſſe tæniam vivam & 24. pedes longam. Omnia porro amara anthelmintica habita fuerunt, quanquam hæc ſententia cum experimentis *Redianis* minus conveniat. Celeb. idem *Redi* expertus eſt, ſpiritum vini eſſe maxime adverſum vermibus, citiuſque eos occidere, quam oleum. Gialappam magni fecit *Febrius*. *Foreſtus* propinavit decoctum Centaurii min. & abſynthii cum pilulis aloëticis, & lati lumbrici expulſi ſunt, qui mirum in modum inteſtina lacerarunt. Sed repetitis remediis & eſu allii, rad. raphani ruſticani & ſinapi rurſus ejecit ægrotus vermes & convaluit. *Antonius de Heyde* puellæ viginti annorum febribus vagis affectæ primo dedit ſpir. vini, cinnamomo, caryophyllis, & angelica imbutum, ad cochl. 1. bis de die; poſtea propinavit hauſtum

℞. Scammon. pulv. gr. 16.
Decoct. Agrimon. ℥j.
Sacch. q. s. ad. grat. M. f. Hauſtus.

præegreſſis diris torminibus excrevit 3. fruſta lumbrici lati. Monachus quidam Franciſcanus ſequenti bolo latum ex ſuo corpore ſæpius fruſtatim ejecit vermem

℞. ☿rii dulc.
Rhei a. ℈j.
Aloës ℈ß.
c. ſyr. de Abſynthio f. Bolus.

clyſterem interim ſibi applicari curavit ex lacte & ſaccharo, bibit vero ſuccum citri.

§. XXII.

§. XXII.

Varia dum hæc conſidero remedia, quam neceſſarium ſit ſolidum judicium practicum, oppido concludo. Multa enim fortuito eveniunt, & ſæpe contra intentionem medici, ea autem remedia, reſpectu hujus medici, remedia appellanda non ſunt. Deinde probe cavendum eſt, ne dum charybdim fugimus, in ſcyllam incidamus. Propinantur nimirum plurima medicamina, quæ quidem id, quod volumus, efficiunt, ſed alia, & interdum pejora incommoda, ſecum ferunt. Sic v. gr. haud dubie oleoſa ſunt contraria inſectis, attamen, ut opinor, citius ventriculum & inteſtina in totum perdes, quam tæniam expellas. Et poſito, expelli tæniam, nonne ob atoniam relictam diſpoſitio rurſus adeſt ad nova excludenda ſemina? Nihil dicam de nauſea perpetua, de malis ex rancore timendis, & quæ ſunt alia. Emulſiones quod attinet, dico, nec has me exhibiturum unquam eſſe in hujuſmodi pituitoſis ſubjectis. Oleoſæ forſan particulæ, & ſaccharum quod ineſt, nonnihil præſtiterunt, attamen valdopere vereor, ne illud in hoc caſu pro cauſa ponatur, quod non eſt cauſa. Talia refrigerantia nocent, & in poſterum corpus aliis exponunt incommodis. Spirituoſa inſectis maxime adverſa eſſe, verum eſt. Sed cum diutius & forſan largiori doſi adhibenda eſſent, ejus uſum approbare nequeo. *Nihil enim familiarius eſt*, inquit Celeb. *Hoffm. in med. rat.* T. II. p. 114. *quam quod homines ex potu ſpiritus vini largiore, præſertim matutino tempore ventriculo vacuo hauſto, in inſanabiles viſcerum corruptelas incurrant - - Ad obſtructiones enim & concretiones polypoſas producendas aptiſſima ſunt.* Triſtis quoque experientia docet, multos ægrotos abuſu medicamentorum ſpirituoſorum vel perire, vel ſaltem inſigniter labefactari. Nullum enim violentum eſt diuturnum. Fortiora & ita dicta draſtica purgantia ſine maxime urgente neceſſitate adhibere, magis agyrtis & circumforaneis, vagabundiſque medicaſtris, quam judicioſo & ſolida ſcientia imbuto medico convenit. Hinc abſtinerem in noſtra tænia expellenda a ſcammoneo & reſina gialappæ &c. quia tantis tumultibus opus non eſt, ſi modo inſtituantur ordine indicationes, & patientia æque medici ac ægroti non fatiſcat. Plus tribuo amaris, non quatenus guſtui vermium adverſari dicuntur, ſed quia amara quamplurimum ſunt ſtomachica, roborantia, aperientia, mucum incidentia.

§. XXIII.

Poſito ergo, meum auxilium implorari a tali homine, qui ſigna ſatis certa hujus tæniæ haberet, hac procederem methodo. Primo, quia hucuſque probavimus, phlegmatica & nimis pituitoſa corpora ab

hoc

hoc inſecto vexari (§. 17.) hanc quoque pituitam fovere tæniam, prima indicatio ſtatim a me ita inſtitueretur, ut mucus iſte incidatur, ſicque nidus horum animalium deſtruatur. His non acquieſcerem, ſed tæniam exulem & domicilio orbatam ulterius paulatim fatigarem, vireſque ejus, quantum poſſem, frangerem, nuperrime ſede pulſam & viribus exhauſtam extra corpus protruderem. Ne tandem iterum ob atoniam ventriculi & inteſtinorum alia ſuccedere poſſet, aut fruſtula forſan relicta poſtliminio vires acquirerent, motum periſtalticum ad majorem roboris gradum eveherem, ſicque recidivam præcaverem.

§. XXIV.

Primæ indicationi ſatisfaciunt mucum incidentia, v. gr. Radix pimpinellæ albæ, ari, Angelicæ &c. Calamus aromaticus, piper, zinziber, ⊖ ✳ cum, ⊖ abſynthii, omniaque ſalia per incinerationem parata. Quibus varie, vel ſub ſpecie pulverum, vel eſſentiarum vel quocunque modo, ubi non raro ad palatum ægroti cæteris paribus attendendum eſt, præparatis, nidus viſcidus paulatim deſtrui poteſt, ſi aliquamdiu juſta doſi obſervatis obſervandis propinantur. Si circumſtantiæ id permittunt, eodem tempore ad ſecundam indicationem pergerem, talia exhibendo, quæ maxime adverſaria & lethalia huic tæniæ, ſine detrimento noſtri corporis, experientia hucuſque docuit; qualia ſunt ☿rius dulcis, aſa fœtida, mel &c. Expellerem poſt hoſtem ad incitas redactum mediocri purgante phlegmagogo. His rite peractis finis curationi imponatur ſtomachicis, roborantibus, ♂libus, Tinct. ♂tis - dan. Ludov. &c. per aliquot hebdomadas continuandis. Diæta interim ſit ſiccior ex carnibus bene aſſatis, cibis pipere & aliis aromatibus bene conditis. Bibat vinum rubrum generoſum, ſed modice. Fugiat æger omnia ea, quæ pituitam generare poſſunt, lac, piſces, carnes pingues, acetaria, olera, aceſcentia &c. Moveat corpus valide, ut ſic corporis habitus fiat ſtrictior & fibræ roborentur. His bono cum Deo ſanitatem integram recuperari poſſe, ſpero.

§. XXV.

Dum hæc in chartam conjicio, opportune ſe obtulit occaſio, hoc meum ratiocinium experientia confirmandi, quem caſum coronidis loco apponam, ut B. Lector exemplum habeat, quo hactenus dicta probentur. Auxilium a me petiit honeſta matrona 50 circiter annorum, quæ jam ab aliquot annis ab hoc ingrato hoſpite, non ſine magnis ſubinde incommodis, excruciata fuit. Erat huic fœminæ temperamentum ſanguineo-phlegmaticum, habitus corporis laxior &c. paucis ut abſolvam, omnia fere, quæ cauſas antecedentes eſſe ſupra (§. 19.) diximus.

Aliquoties ab aliis medicis purgantia paulo fortiora accepit, iisque aſſumtis fruſta cucurbitinorum excrevit, prægreſſis torminibus fere intolerabilibus. At ſemper recruduit malum, dum novas vires recipiebat hoſpes non ſatis diu exagitatus, nondum de ſua ſede depulſus. Varia ſymptomata paſſa deſperabat mulier de proſtratione hoſtium plenaria, ſibique inimicum relinquebat. Ego autem illum ſtatim ſic aggreſſus ſum: ut una fidelia duos dealbarem parietes, & tamen lente feſtinarem, primæ & ſecundæ indicationi ſimul ſatisfacturus præſcripſi pilulas

℞. Aſæ fœt. rec. ʒß.
☿rii dulc. ℈j.
Extr. Rhabarb. ℈ij.
Myrrh. gr. 15.

F. l. a. pil. gr. j. pond. doſis 10. mane & veſperi.

Eodem tempore experimentis *Redianis* nixus juſſi mellis quotidie aliquot cochlearia deglutire. His per ſeptimanam integram adhibitis dedi purgans phlegmagogum.

℞. MP. panchymag. Crollii.
de Succino Craton. a. ℈ß.
F. Pil. gr. j. pond. pro doſi.

Bene omnia ceſſerunt. Cucurbitinorum millia conglomerata ad multas ulnas ſine fere ullis torminibus excreta fuerunt, involuta mirum quam multa pituita. Secutæ ſunt per aliquot dies reliquiæ hujus tæniæ, pituita ſemper ſimul multa exeunte. Ulterius ſtomachicis perſecutus ſum hoſtem terga dantem. Propinavi eſſent. Trifolii fibrini ante prandium & cœnam ad gtt. 30. ſumendam, ut ſic ulterius incidatur aliquomodo relictus forte mucus & ſimul ventriculus roboretur; junxi electuarium ſtomachicum, palato æque gratum, ac utile ventriculo.

Rec. Conſerv. Roſ. rubr. ℥iij.
Anthos ℥j.
Succini ppti.
Nucis moſch. a. ʒiij.
c. ſyr. cort. citri f. elect.

Doſ. mane & veſperi ante ſomnum magnitud. nucis moſch. maj.

His omnibus debito modo cum convenienti diæta adhibitis, Dei gratia optime ſe habet fæmina quoad hunc affectum, & ſpero in poſterum quoque a tænia fore liberam.

§. XXVI.

Fig. 1. *Tab. IX.*




Fig. 2.



Disp. Medico-Pract. Tom. III. ERNST DE TÆNIA: pag. 459

§. XXVI.

Hæc fere ſunt, quæ in præſentiarum de tæniarum natura, ſymptomatibus, & curatione, ſpeciminis loco, publico Philiatrorum examini ſubjicere placuit. Nihil præter Benevolentiam Lectorum ſine cavillatione, non alia præmia poſco.

Sed veniam pro laude peto; laudatus abunde
Non faſtiditus, ſi tibi, Lector! ero.

TANTUM.

EXPLICATIO FIGURÆ.

Fig. I.

Fruſtum Cucurbitini Vermis ex ſex articulis conſtans.

A A A. Oſcula parva, quæ alternatim ita locari ſolent, ut id oſculum, quod in uno articulo ſuperius fuit, in ſequente articulo, in inferiori latere conſtituatur; id tamen aliquando variat, ut in noſtro exemplo.
c c c. Locus ubi articuli inter ſe committuntur.
d d d. Canales noviter detecti, qui per oſcula a a liquorem admiſerunt injectum, quique per ſingula latera horum articulorum, quos tanquam tot parallelogrammata conſideramus, diſtribuebantur, & ad literam c, ubi longiora latera articulorum finem habent, uno tramite ab uno articulo ad alterum continuabantur.

Fig. II.

Duos articulos Fig. I. microſcopio auctos ſiſtit, ubi canales cum viis communicantibus clarius apparent, & circumdant corpus fimbriatum, quod ex vaſis lacte plenis totum conflatur.

J. GOT.

XCIV.

J. GOTTLIEB BAUER,

EPISTOLA

DE

MOLIS INTESTINORUM

AD

J. GODOFREDUM DE HAHN.

Dreſdæ 1747.

Viro illuſtri medico eruditione ac meritis celeberrimo ſ. p. d.
D. JOANNES GOTTLIEB BAUER.

QUantum lucis & emolumenti fidæ clariſſimorum Virorum obſervationes in indagandis & medendis ſonticis periculoſiſſimiſque morbis arti ſalutari attulerint, ſciunt omnes. Vixerunt qualibet ætate medici fama ac eruditione celebres, qui indefeſſo in hominum communes utilitates labore omnes morbos ſollicite ſcrutati ſunt, & ſi peculiare quid ipſis ſe obtulit, omni fide ac diligentia, nec minori eruditione & perſpicacia, ad poſteros transferri curarunt. Inter quos primum optimo jure locum tenes, Vir illuſtris, cum non cives Tui ſolum ſumma in medendo dexteritate tua ſingulari ſane felicitate fruantur, ſed exteri quoque Te de morbo epidemice graſſante & de variolarum antiquitatibus aliiſque rem literariam illuſtrantibus prolixe ac erudite diſſerentem admirentur. Merita Tua in rem publicam & literariam tanta ſunt, ut non jamdudum modo Te ſocium digniſſimum eruditiſſimæ ſocietates ſuſceperint, ſed etiam potentiſſimus Boruſſorum Rex optime eorum memor ad altiores honorum gradus evehi juſſerit. In laudes Tuas excurrere nec vires meæ mihi ſufficerent, nec propoſiti mei ratio eſt. Id tantum modo publice grata mente profiteri me oportet, quod Tibi Tuoque pie defuncto Parenti optimo, olim apud Suidnicenſes medico eruditione, meritis ac fama inſigni, cujus memoriam adhuc veneror, quamplurima, quæ mihi medicam artem exercenti uſui eſſe poſſunt, debeam. Nec diffiteor, multos ex his, magni Boerhavii doctrina antea inſtructum me hauſiſſe fructus, ita ut ad ægrotantium ſalutem non ſine maxima animi delectatione jucunde ea applicuerim, graviſſimoſque morbos debellaverim, inter quos caſus quidam rariſſimus, quem in Viro quadraginta octo annos nato obſervare occaſio dedit, non immerito recenſeri mihi videtur. Animo, utrum ardua Tua copioſiſſimaque, Vir illuſtris, negotia, dum Tecum hunc communicare mecum conſtitueram, eo interrumpam, aliquant ſper hæſitavi; fretus tamen & confiſus Tua in me benevolentia, nullus dubito, quin æqua bonaque mente interpreteris. Præmittenda vero quædam non ſupervacaneum duxi, antequam ipſum morbi ſtatum ordine referam.

Aeger ſumme ad iram pronus ſanguineque abundans vitæ generi ſe addixit, quo labore duro multiſque ærumnis, ut injuriam aeris moleſtiaſque in itinere, quod multoties ſuſcipere officii ſui ratio expoſcebat, perpeſſas taceam, ſe ſubducere coactus fuit, quæ tamen ſanitati ejus nullam inuſſerunt maculam. Ideoque optima valetudine longos ſat annos eſt fruitus. Quinque circiter & quod excurrit ante annos morbo quodam, a medicis tum non bene perſpecto, corripitur, qui omnes ægro-

ægrotantis vires conſumebat, ita ut ſpe vitæ omni fruſtratus ac morti proximus videretur. Copioſiſſime tandem cum impetu excretum per urethram pus, prægreſſuſque circa lumbos ſummus ardor & dolor abunde demonſtrarunt, fuiſſe inflammationem & exulcerationem renum; ex quo morbo feliciſſimo eventu eluctatus eſt. Hunc vero anteceſſit non multo ante alia corporis valetudo adverſa, dolor nempe articularis, qui levioribus modo ab initio acceſſibus corpus affligebat, lento tamen gradu ita augebatur malum, ut vehementiſſimos cruciatus, per ſeptimanas hoc detentus, ſalvis interim ſemper ſuperato morbo manentibus membris, perpeſſus fuerit. Neque minorem creabat acerbiſſimus interdum capitis dolor moleſtiam, qui ex anno omnibus fere diebus magis magiſque ingraveſcens ægrotantis vires debilitabat, nec ceſſabat prius quam omnia ore aſſumpta, alvo ſemper dura & plerumque ad plures dies obſtructa, vomitu rejecerit. Hac corporis & morbi conditione juſſus iter ſuſcipit, & alia in regione per quinque fere menſes commoratus multam in noctem quotidie protracto labore omnibus pene viribus deſtituitur, abitumque parans viceſima ſexta Decembris die anni proxime præterlapſi ſic redux factus eſt. Adminiſtrata equidem debellando hoc malo multa ab ejuſdem loci medico remedia ſunt, irrita autem fuerunt omnia.

I.

Arceſſitus itaque die viceſima nona Decembris in conſilium vocor, ægrumque adiens in morbum ejuſque cauſas ſollicite inquiro, tum ſedem ſuam in infimi ventris viſceribus habere & hærere malum dijudico. Conquerebatur enim æger de ſenſu quodam in abdomine moleſto, hypochondria, lumbos in conſenſum abripiente & ad umbilici regionem uſque ſe extendente, de oris amaritudine, dejectione appetitus cibi, alvo ad plures dies obſtructa ſemperque dura, pulſu inſuper pleno & forti, ſomnoque prorſus nullo. Hac die ſalia media exhibentur, clyſteres applicari injunguntur.

I I.

Altero die, manente morbi ſymptomatumque conditione eadem, ſanguis de pede ad uncias 14. extrahitur, & nitroſa ſalibus mediis mixta in uſum vocantur.

I I I.

Videtur melius paululum ſe habere æger, & dum enemata reſpuit, animam rhabarbari c. liqu. terr. fol. tart. combinatam aſſumere jubeo.

IV. V.

IV. V.

Quæ tamen alvum movere non valebat, nec oris amaritudinem demere, ceteraque prius enarrata ſymptomata mitigare non poterat. Rurſus itaque clyſteres injunguntur, & digeſtiva ſic dicta remedia continuantur.

V I.

Sexta die morbi patitur tandem primo veſpere applicari enema ex ſpecieb. pro clyſtere emollientibus æger, quo applicato ſtatim ſat acerbum circa umbilici regionem perſentiſcit dolorem, a nimis calida peſſimo ubivis fere conſueto more applicatione excitatum, quem oleo amygd. dulc. c. anim. rhabarb. commixto interne aſſumendo lenire conabar. Nulla ſubſequebatur hunc clyſmum excretio alvina; ante hujus injectionem juſſeram jamjam craſtina luce hauriendum emeticum ex granis tribus tartari emet. & arcan. duplic. uno ſcrupulo, ut oris amarities auferatur, bilisque in ventriculo primiſque viis hærens evacuetur; addito tamen deinde hoc monito, ne prius aſſumatur, antequam omnis dolor ceſſaverit.

V I I.

Nihil iſta morans, meque de hoc ulterius non conſulens, licet nox ob dolorem in abdomine inſomnis fuerit, avide id gulæ demandat æger, ſpe fretus, vim morbi hoc infringere citiuſque priſtinæ ſanitati ſe reſtitutum videre. Evomit itaque ingenti copia bilem acrem, obſcure viridem, octo libris aquæ ſaccharo edulcoratæ tepidæ adjutam, & alvus bis ſe exonerat, quo levamen quoddam perſentit; dolor autem & ſitis ingens urgent, quam aliquot poſt vomitus horas aqua moderate frigida ſenſimque ad libras octo epota ſedare tentat, vomitionibus autem quibuſdam ſucceſſive ſe excipientibus eam, gelatinæ inſtar ſat ſpiſſæ, denuo rejicit, ſiti tamen non extincta, iterumque frigidam ad libras tres bibens vomitu ſpiſſam reddit. Ad hæc ſitis & vomitiones remittunt, aſſumtaque carnium juſcula retinet ſtomachus.

V I I I.

Totam fere noctem inſomnem duxit, & mane doloribus circa hypochondria, umbilici regionem, renes ac lumbos correptus parcam cum carunculis ſedimentoque viſcoſo excernit urinam. Pulſus fortis & frequens. Exhibentur pulveres nitroſi c. ſaccharo lactis & potio ex oleo amygd. dulc. recentiſſimo vitello ovi ſubacto ac ſyrupo althææ mixto,

& repetititis vicibus ex ſpec. pro clyſm. emoll. c. oleo lini tepide injiciuntur enemata; balneum quoque ex ſapone veneto & furfure triticeo paratum aliquoties hac die in auxilium vocatur; hæc tamen omnia leniendo dolori non ſufficiebant. Hora demum veſpertina decima delabitur in ſomnum cum ſtertore profundum, ſpuma ante os, flacciditate omnium membrorum, captus ac ſepultus quaſi, omnique motu & ſenſu expers, ex quo ſpiritibus naribus admotis faucibuſque inſtillatis, irrito tamen ſucceſſu, excitare eum tentant adſtantes. Paulo poſt vehementiſſimis motibus convulſivis corripiebatur, hisque ceſſantibus pallidus ſine pulſu & reſpiratione demortui inſtar jacebat. Perfuſione dein ac lavatione cum frigida ad cervicem inprimis ſæpius repetita pulſus & vita redit, cum ſtatim in brachio vena ſecatur, ſanguisque ad uncias duodecim extrahitur, dormire interea ſtertens pergit, nullumque ſenſus ſignum exhibet. Allaboramus eum excitare remediis ſtimulantibus, applicatis ad plantas pedum epiſpaſticis injectoque clyſtere, mox infuſa faucibus aqua, mox vino generoſo, ut organa inſpirationis & deglutitionis his vellicentur ad tuſſimque ſtimulentur, quo eo citius vitæ vis redeat; quod tandem hoc per quinque horas protracto labore obtinetur, & æger ſenſus mentiſque compos circa tertiam matutinam evigilat.

I X.

Hac tota die, non adeo viribus exhauſtus, excruciatur dolore circa umbilicum, renes ac lumbos acuto, urina pauca cum carunculis arenuliſque ſedimento levioris puris inſtar immerſis ſecedit. Pulſus febrilis, alvus adſtricta, quam anima rhabarb. oleo amygd. dulc. commixta ac injecto clyſtere ſupra deſcripto reſerare conamur, ſed fruſtra. Adhibentur ſimul pulveres ex ſaccharo lactis & nitro. Tum poſt meridiem alvo excernitur ſanguis ſincerus, quem hæmorrhoidalem fluxum præſagire judicabam, atque hac ratione commotus addebam pulveri tartarum vitriolatum, hunc noctu exhibitum una elapſa hora ſanguis purus per alvum copioſe fluens cum rejecto concremento fibroſo, cartilagineo, coni formam referente, quod cum vaſis ſuis inteſtinis cohæſerat, ſubſequitur, fecibus tantum modo alvinis pauciſſimis. Nec ceſſat dolor. Applicantur clyſteres ex oleo lini & lacte vaccino; interne juſcula carnium non ſalita cum oleo amygd. dulc. & lac tripla aquæ fontanæ parte mixtum pro potu tepidum eliguntur.

X.

Magna, multa, pollicem craſſa, oblonga, cruore in ea, qua cum vaſculis ſuis innumeris inteſtinis adnata fuerant, parte circumfuſa, multaque ſanguinis ſinceri jactura & dolore acutiſſimo concomitata, excer-

cernuntur hac die per alvum concreta fibroſa, quædam pro parte pinguedine rara obducta, membranacea, molarum ex utero muliebri rejectarum formam accurate ſiſtentia, quæ nomine *molarum inteſtinorum* inſignire hanc ob cauſam commotus mihi licet. Noctes fuerunt hactenus inſomnes, pulſus plenus, frequens. Eadem enemata bis vel ter de die ut injiciantur, eademque remedia ac potus genus repetantur curo.

X I.

Rejiciuntur iterum alvo non ſine ſummo dolore multa concreta membranacea, fibroſa, cartilaginea copioſo ſanguine ſincero effuſo. Pallet facies & tumet, urina adhuc carunculis quibuſdam & pure levi ſcatens emittitur, alvuſque fecibus ſe exonerat. Pulſus celer & fortis ſiti ſocia denotat febrim. Enemata continuantur, nec in medendo quid mutatur.

X I I.

Novæ rurſus *molæ* multo cruore obductæ ſemper cum ſanguinis ſinceri effuſione & acutiſſimo circa lumbos, umbilicum, atque hypochondrium ſiniſtrum dolore ſequuntur. In ipſo horum concretorum enixu & poſt eum animus linquit ægrum. Facies tumida, pulſus debilis & frequens, urina autem carunculis & pure vacua obſervantur. Hac & antecedente nocte vigiliæ affligebant ac inquies. Remediis jamjam nominatis, ut & clyſteribus adduntur camphora ſecuriſſimaque dolorem lenientia medicamina.

X I I I.

Quibus æger adjutus mane hora ſecunda tres inſigni magnitudine *molas* lipothymia ex magno intervallo detentus egerit. Pulſus debilis & frequens, tumente facie, ſiti, acutiſſimoque dolore comitibus. Exhibentur pulveres ex ſacch. lactis, nitro, camphora, & juſcula carnium, lac aquæ & oleo amygd. dulc. mixtum tepide aſſumuntur. Circa noctem ſanguis putridus & fœtens, quantum circiter cochleare unum caperet, nullum hactenus fœtorem ſpirantibus, nec putredinis ſignum exhibentibus *molis*, ex inteſtinis exit. Non amplius in urina obſervantur carunculæ.

X I V.

Nox iterum inſomnis, pulſus febrilis, animi deliquia, tres alvi dejectiones fecibus ſubflavis, anxietates ſummæ, dolores vagi arthritici affligunt volutantem ægrum. Eadem medicamina in uſum trahuntur.

 XV.

XV.

His frequentiores lipothymiæ decimo quinto morbi die ſe jungunt, alvo tamen ſoluta, ſemper cum dolore & quodam ardoris ſenſu ſeſe exonerante. Primo veſpere omnia exacerbantur ſymptomata, pulſus celerior, anxietates inexplicabiles ſummæ, & dolores magis magiſque occupant membra. Duo injiciuntur ex lacte, oleo lini & camphora clyſteres, nullum levamen afferentes: juſculis carnium cum oleo amygd. dulc. potus genere jam nominato ac pulveribus nitroſ. camphoratis utitur æger.

XVI.

Jectigationes, lipothymiæ frequentes, doloreſque noctem ſomno privant. Pulſus matutinis horis debilis & frequens. Urina redditur citrini coloris cum ſedimento mucido. Pulv. nitr. camphor. c. ſacch. lactis omni trihorio interpoſita potione oleoſa ex oleo amygd. dulc. lac quoque aqua dilutum ac carnium juſcula continuantur. Veſperi ex lacte, oleo lini camphorato applicatur clyſter, qui ſtatim ſine effectu ſecedit. Mitiora paululum hoc veſperi videntur ſymptomata.

XVII.

Quæ ſumma nocte iterum in deterius mutantur. Dolores abdominis tota die antecedente nocteque ſubſequente continui noctem inſomnem & inquietam reddiderunt. Alvus deturbat equidem feces naturales, maximo tamen cum dolore, qui vagus mox ſcapulas, mox hypochondria atque abdominis regionem infeſtat, quem clyſtere ſub veſperam bis injecto, remediiſque allegatis ac ſæpius in auxilium vocatis, additis cauta manu anodynis lenire annitimur. Pulſus obſervatur febrilis & ſudor moderatus, ſine ſiti tamen ac æſtu magno.

XVIII.

Nec hac nocte ulla, dolore abdominis impedita, impetrari potuit quies. Demittit alvus coagulum lactis albiſſimum, ex applicatu heri clyſmate exortum, ac membranis quibuſdam recentibus, ſubcruentis, vaſculis ſanguineis quamplurimis paſſim interſperſis notatis obvolutum, & una ac altera demum elapſa hora feces naturales, ſine doloris remiſſione. Pulſus hodie magis febrilis, celerior. Urina redditur citrini coloris, non turbida. Duo ex ſolo lini oleo clyſteres applicantur, primus ſtatim effluit, alter paucas alvi feces expellit, eadem tamen manente doloris vehementia. Remedia ut ſupra.

XIX.

X I X.

Quæ ægrum allevarunt equidem hac nocte paululum, matutino tamen tempore iterum acerbiſſimi acutiſſimique affligunt dolores, mox circa hypochondria & os ſacrum, mox circa umbilicum & ilia ſævientes, quos potione oleoſa, oleo amygd. dulc. juſculis carnium commixto, clyſmate ex decocto ſeminis lini oleo ejus aſſociato, & pulv. ex ſacch. lact. nitro, ac medicina anodyna mitigare ſtudemus. Horis elapſis duabus ſanguis ſincerus clyſmate ſocio rejicitur per alvum, perdurante adhuc dolore. Hinc pulſus durior, celerior, majorque poſthac virium proſtratio ac debilitas, nullis tamen ſubſequentibus lipothymiis. Lotium limpidum citrini coloris. Hora veſpertina ſexta eodem clyſtere utimur, quo paulo poſt fruſtum concreti carnoſi, vaſculoſi, magnum & craſſum, multo cruore ea in parte, qua inteſtinis adhæſerat, refertum expellitur. Dolor abhinc paululum remiſſior, maxime nunc ſub hypochondrio ſiniſtro ſe exſerens. Medicamina eadem & leve ex ſemine lini decoctum oleo amygd. dulc. combinatum pro potu hac nocte propinantur.

X X.

Heri hora nona veſpertina iterum nova concreta carnoſa, ſemi cartilaginea ſanguine grumoſo plena, copioſe per alvum deturbantur, ex quo acutiſſimus equidem dolor circa umbilicum remiſit, nocte interea inſomni, inquietaque, anxietatibus ſummis ſtipata tranſacta. Urina mane redditur cum enæoremate magno viſcido. Hac die æger ſomnum per intervalla ad horæ quadrantem capit, anxietates tamen vexant. Pulſus debilis, interdum durus, frequens. Clyſteres ex decoct. ſemin. lini ejuſque oleo mane & veſperi applicati, ſine excrementis, concretis ac ſanguine fuerunt excreti. Inquietudo & anxietates noctem verſus urgent, pedum manuumque extremitates frigidæ interdum obſervantur, ut & dolor ac ardor in abdomine enormis. Remediorum uſus idem.

X X I.

Sub finem noctis tranquillior paulo æger; pulſus mane liberior ac remiſſior; urina citrini coloris; vexatur doloribus arthriticis. Cæterum hac die, anxius licet interdum & inquietus, melius ſe habet. Alvus ter cum inſigni fœtore feces, fluidas autem, expellit. Noctem verſus inquietus, viribus & animo dejectus, novos a nimia abdominis extenſione productos, & aliquot horarum ſpatio continuos experitur dolores.

XXII.

Qui noctem non adeo quietam reddiderunt, ſomnumque interruperunt. Pulſus febrilis, frequens, quodammodo durus. Urgent circa umbilicum, inguina & os ſacrum dolores. A meridie applicatur clyſma, quod ſtatim ſine fecibus alvinis redditur; poſt horam fruſtum concreti carnoſi & fibroſi per alvum ſine ſanguinis copioſi effuſione ſecedit. Quievit de die per intervalla æger; uſus eſt iiſdem remediis, eodemque potus genere.

XXIII.

Hac nocte & inſecuto die magna, craſſa, fibroſa & carnoſa concreta grumis ſanguinis quam maximis infarta, ſine fecum alvinarum excretione, expelluntur; unde æger ſumme debilitatus, dormivit tamen paululum. Adhibentur una eademque medicamina.

XXIV.

Inſignis per totum corporis ambitum æſtus noctem hanc ſomno orbavit, ita ut æger in balneo frigido ſedere & frigidam potare anxie exoptaret. Pulſus obſervatur durus, frequens, a meridie vero remiſſior; verſus noctem iterum celer, durus, ſymptomatibus tamen levioribus. Alvus bis ſolvitur fecibus fluidis.

XXV.

Multum hac nocte, licet inſomni, ſudavit, omniaque ſymptomata, paulo ante graviſſima, præter virium proſtrationem ſummam, mitiora eſſe videntur. Pulſus non adeo durus, nec celer, ut & æſtus remiſſior. Alvus libera fecibus fluidis. Dolor in abdomine quovis motu leviſſimo licet acerbus & dirus. Urina pallida, aquoſa. Clyſma ex decocto ſeminis lini ejuſque oleo horis matutinis injectum fuit. Repetuntur eadem remedia; potus aquæ frigidæ & juſcula propinantur.

XXVI.

Dimidiam fere noctem dormivit. Alvum mane bis deponit, feces naturales liquidæ. Pulſus æqualis, æſtus remiſſior. De reliquo ſat bene ſe habet; poſt meridiem iterum excernit alvum. Potus aquæ & medicamina, ut ſupra, exhibentur.

XXVII.

XXVII.

Et hæc nox tranquilla ſatis fuit & pulſus æqualis. Alvus bis cum dolore per inteſtina lancinante & acuto exoneratur. Cæterum omnia ſymptomata benignioris indolis videntur. Injectum a meridie enema ruſus excrementa liquida eum dolore per inteſtina propellit.

XXVIII.

Phlogoſes, quibus acuti & lancinantes per inteſtina dolores in & poſt alvi bis hodie apertæ exonerationem præprimis exacerbati ſe junguut, noctem turbarunt, pulſu obſervato febrili. Paululum vini Rhenani conceditur, in uſum adhuc vocatis remediis cum diæta priſtinis

XXIX.

Ex aliqua parte noctem quiete conſumſit. Pulſus æqualis & mollis, ac lotium citrini coloris obſervatur. Alvus equidem deturbat ſine acuto adeo & lancinante dolore feces, cum aliquali tamen per totum inteſtinorum tractum ardore. Appetit jam cibos & bibit hauſtum vini Hungarici. Clyſma poſt meridiem injicitur.

XXX.

Aeger hac nocte bene dormivit. Ideoque morbi indoles quotidie benignior, & ſymptomata leviora deprehenduntur. Alvus ſine notabili ardore paululum durior, pulſus & appetitus cibi bonus, urina citrini coloris cum enæoremate.

XXXI.

Artuum dolores interturbarunt ſomnum, ſubſecuto autem ſudore ceſſarunt. Non laborat æger difficultate inteſtinorum, nec affligitur cruciatibus & ardore eorum. Utitur cibis eupeptis & potu vini Hungarici; aſſumit ter vel quater de die oleum amygd. dulc. cum juſculis carnium.

XXXII - XLVII.

A triceſimo ſecundo morbi die ad quadrageſimum ſeptimum uſque varia perpeſſus eſt incommoda & moleſtias non nullas, ut flatus, borborygmos, inflationem præprimis hypochondrii ſiniſtri dolentem, quas ex parte a nimia cibi appetentia ſibi contraxerat, ſuſtinuit; ex parte

au-

autem dolore artuum fere continuo, qui noctes pleraſque inſomnes reddidit, ac Oedemate faciem, pedes & femora obſidente vexatus eſt. Inter hæc etiam annotari meretur ſenſus iſte quolibet corporis motu excitatus in abdomine peculiaris, ac ſi cuncta flaccida penderent inteſtina, & curru vectus quovis rhedæ concuſſu novos & ſat acerbos dolores experiri ſe, ac ſcalas domicilii ſui altas ſatis aſcendendo anheloſe reſpirare referebat. Hanc autem totius corporis compagem fibrarum morbo, effuſione ſanguinis abundante, aſſumtis injectiſque oleoſis & aquoſis relaxatarum corroborare annitebar frictione cum pannis laneis ſicca peracta, adhibitiſque roborantibus, quibus nunc integræ ſanitati reſtitutus officio ſuo fungens optime vivit.

In cauſas graviſſimi hujus morbi, ſæpius de his meditans, inquirere non potui. Hæmorrhoides nunquam fluxerunt, nec ſigna quædam fluxui huic propria unquam ſe manifeſtarunt. Dyſenteria nec alius inteſtinorum morbus infeſtavit ægrum. Sedem autem horum *concretorum* principem inteſtina craſſa fuiſſe conjectura aſſequi licet. Deſignabant hanc cum dolor in iſtis, quibus ſitu ſuo locantur inteſtina craſſa, locis, tum coagulum iſtud lactis albiſſimum, ex injecto ante horas aliquot de lacte & oleo clyſmate ortum multiſque membranis recentibus, vaſis ſanguineis quamplurimis notatis, obvolutum, ut & flatus iſtam inteſtini coli partem ſub hypochondrio ſiniſtro ſitam dolenter affligentes; accedit, quod vehemens in exoneranda alvo eaque poſt tempus aliquot excreta, ardor & moleſtia perduraverint, clyſmata ex oleo injecta expulſionem *concretorum* acceleraverint, ac levamen magna ex parte attulerint, quod ore aſſumta oleoſa & juſcula non promte adeo effecerunt; tandem evidentiſſimo indicio, cum *molæ* iſtæ ſemper recentes, nunquam putredine quadam contaminatæ ſanguineque puro, licet grumoſo ſæpius, obvolutæ ac fluxu ſanguinis ſinceri copioſiſſimo plerumque concomitatæ excretæ fuerunt, quæ e contrario, ſi in inteſtinis tenuibus hæſiſſent, fœtorem quendam, ut putredinis notam, ſanguinem grumoſque mora & ſtagnando factos nigricantes, ut cætera taceam, exhibuiſſent.

Sunt hæc, quæ Tecum, Vir Illuſtris, de *molis inteſtinorum*, fido ſtilo annotata, communicare volui; veniam autem dabis mihi arduos concatenatoſque Tuos in ſalutem ægrotantium ſuſceptos interrumpenti labores, eoque, quod dudum affici me non dedignatus es, amore ut proſequaris obnixe rogo. Vale per plures adhuc cum Illuſtri Tua Familia annos, ut ſaluti hominum, reique publicæ & literariæ porro conſulas.

Dabam Dreſdæ
d. 14. Martii 1747.

XCV.

SIGISMUNDI KOENIG

ΛΙΘΟΓΕΝΕΣΙΑΣ

HUMANÆ SPECIMEN

DUABUS EPISTOLIS

AD SOC. R. BRIT.

COMPREHENSUM

Bernæ 1685.

INCLITÆ BERNATUM

HELVETICÆ REIPUBLICÆ

SENATUI AMPLISSIMO ILLUSTRIBUS EXCELLENTISSIMIS

D. D.

PROCERIBUS MEIS MAGNIFICIS

S. P. D.

FLorentem Græciam præbuerunt Athenæ χάριτες Pallaſque ſcutata, Romam exaltarunt heroum martia facta, viſque ſtricta legum, quæ enim Græca ſapientia, ea & Romana virtus, erexit, adauxit, conceſſit; virtute & conſilio vincere, & clementia vinci divus Auguſtus in ſuo Σπεῦδε βραδέως Græciæ vero ſapientes in ſuo γνῶθι καιρὸν exprimere niſi, conſiliis arma, armiſque gratias jungere prudentiæ eſſe. Utrumque vero non naſci ſed acquiri videntes; bina hæc fulcra e Muſarum Parnaſſo erui Cæſar Julius, Juſtinianus, pluresque docuere exemplis, his fœlix Octavius Jano fores occluſit, & magnatum gloria fuit, conſilio rempublicam regere armiſque tueri, victribus manibus jungere palmas, Pieridum varia in victoriarum triumphos aperire Lycea, Theodoſius Bononiam, Carolus Magnus Lutetias, Pragas, Fridericus Auguſtus Vienniam aliaſque alii ſummi principes arti atque virtuti dicarunt pomeria. Florentem hinc dicimus diiſque gratam, diiſque tutatam hanc ſub moderamine ſacro Excellent. Veſtr. rempublicam, quæ non modo omni ſpe, conſiliorum inſtitutis, virtutum ſtudiorumque varios progreſſus fovetis, exaratis, quodque majus eſt clementia excellitis, hæc Chriſtiana virtus, princeps heroum, veruſque character, vincit, ſervat, protegit, quem larga in pauperes profuſione meremini; priora avorum fortia geſta, veſtræque Bernenſis & Lauſanenſis teſtantur academiæ ut oblitterare nefas; ſed venerari decus ſit, quæ veſtra clementia in pauperes & noſocomia expandit, alas afflictis extendit, exemplis pugnandum non eſt. Lentulus atque Fabricius hanc provinciam me priores emenſi, unicum addere occaſioni debeo, λιθογενεσίαν monſtroſam Margaritæ Lauweræ, quam miſeram jam longum ſinu foviſtis, obſervandam mandaſtis, omnique ſpecie curandam curaſtis, Muſa quidem mihi

 te-

tenuior quam pro emerita virtute veſtros generoſos affectus commendare poſſim, freta tamen doctorum ſuffragiis in arenam invita deſcendet, cum infenſo hoc ſimulacri humani hoſte litigatura, concertaturaque, an? vel quomodo tortor iſte tandem e corpore extorqueri poſſit? Opus meditor meas ultra ulnas extenſum ſed ſalutare generi, quid enim ex tot doctiſſimorum virorum hinc & inde rogantium & viciſſim rogatorum ſagaciſſimo judicio reſultare poſſit, quam συνδρομὴ experientiæ & rationis, unoque oculo benevolus lector σὺν καιρῷ plura deteget: exigua quidem nunc pro Excel. Veſtr. benevolentia offero, binas tantum epiſtolas, quarum prior lucem hauſit, altera vero fatis ſuccubuit, faxit forſan Deus majora in poſterum, qui cuncta debeo.

Dabam B. H. 30 Octobr. 1689.

EXCELL. VESTR.

Humillimus & Officioſiſſimus,
SIGISM. REX,
M. D. & Archiat.

EPISTOLA PRIOR

PRO SOCIETATE REGIA.

A D

Nobiliſſ. ampliſſ. D. D. DE GRAFFENRIEDT, *Expræfectum ad aquilæ pennas ſcripta.*

MOnſtra in rerum natura generari ex luſu certum habetur, quæ nos in admirationem tanto plus rapiunt, quanto magis in iis natura dehiſcit. In medicina varia morborum genera non oriri modo, ſed quoque ingraveſcere omnium monumentis lucide patet & præſentes loquuntur pleni doctorum codices; ſic invitum invitas enarrare hiſtoriam caſus non tam mirandi quam ſtupendi, quem ſi quis monſtrum morborum dixerit, recte dixerit.

Margareta Lauwera, ſatis δυςκρατὴ filia circiter ætatis annorum viginti quinque honeſtis parentibus legitimo toro nata, orthodoxia in ſinu eccleſiæ hujus enutrita, noſtra civis modeſte vivens, anno periodi ſuæ vigeſimo primo, qui ſeculi fuit ſeptuageſimus octavus, tempore verno menſtruis deficientibus incidit in varios cruciatus acerbiſſimoſque dolores, hinc inde jam ſupernas, jam infernas, jam dextras, jam ſiniſtras corporis partes infeſtantes, variis ſubito ſæpius ad palmæ latitudinem

nem erumpentibus veſicis, limpida plenis, ardentiſſimeque flagrantibus, ut ignem ſacrum ſubeſſe putares; & cito niſi diſſecarentur, evaſit dolor intolerabilis, mentemque deturbans; moxque ſedatis ex una fit eruptio ex altera parte: in his mitigandis & curandis cum detenti in noſocomio clementiſſimi magiſtratus (inſula dicto) omnem operam cuncti navaremus, cauſam tanti mali ad acrimoniam lymphatici humoris ſingularem, & vim illi in glandulis ſubcutaneis ſtypticam impreſſam, ideoque coagulatum refluere non potentem referentes, quæcunque ars & methodus docent in demulcendo, diſſolvendo, avertendo & vacuando iſto humore adhibebamus, pleraque fruſtra; dum tandem ratione & analogia ducti ad ptyaliſmum mercurialem confugimus, cujus effectus reſpondit: ſicque poſt octimeſtrem curam menſe Martio anno ſeptuageſimo nono e noſocomio viribus reſtitutis dimiſſa, ad uſum ſeri lactis caprilli chalybeati relegebatur.

Abhinc integre valuit ad tertiam Januarii anni octogeſimi, omnibus functionibus ſuis incumbens, qua ipſa veſicarum eruptione iterum vexari, auxiliatriceſque ac beneficas manus ſummi magiſtratus in noſocomio expetere cœpit, quæ ejuſdem quinta porrectæ, omnis cardo in eo verſabatur ut præcedenti methodo de ptyaliſmo inniteremur; ſed omnibus ante opus eſſe voluit ad ejuſmodi majorum & arduorum remediorum uſum corpus diſponere, in quod intenti non tamen mota catharſi, fit momentanea a circumferentia in centrum, ab exterioribus in ima penetralia decima quinta dicti menſis humorum reductio, ſubito omnes evaneſcunt veſicæ, adeo arcte cuti ſe infigit cuticula, ne veſtigia præcedentium permanſerint, ex qua veloci revulſione cum nihil boni ominatus, etſi ægrota Deo hymnum cantaret pro Divina ſubitanea e ſummis cruciatibus liberatione, ſed decubitum acrium humorum in viſcus aliquod nobile veritus, licet quinque dies εὐφορίαν ſummam ægra percipiebat, nuſque tamen deſtiti diſcutientia & diaphoretica temperata propinare recidivæ vel majoris mali metu.

Evenit vigeſima hujus lerna malorum & omnis judicii illuſio, querebatur dolorem lumborum, veſicæ perinæi & inguinum, cum virium proſtratione, inappetentia, nauſea, notabili inflammatione, & ſanguinis ἐνπυρία, retentione urinæ, pulſu celeri & intercepto, unde nephritidem concludere erat neceſſe: quapropter ſecta vena præparatur ex nephriticis & frigidis ſeminibus blanda emulſio, injicitur clyſma ex emollientibus frigidis paregoricis, mox injectum, omnium ſtupore horæ intra quadrantem rejicitur per os; repetitur idem & ſuperne rejicitur idem cum quantitate inſtar tophi lapillorum ad unciam ſemis, nullis unquam excrementis permixtis. Fiunt inſeſſus, ſemicupia, aplicantur veſicatoria artubus ad humoris noxii revulſionem, anodyna & reſolventia lumbis & pubi; repetitur ob æſtuantia viſcera venæſectio, ſanguis apparet rubicundus, inſipidus, cum pauco ſero ſubflavo, cito concretus;

remittit febris; propinantur ex pulpis decocta ſolutiva, quæ tamen cuncta cum juſculis, aut aliis aſſumptis vomendo quantitatem lapidum, mox duriorum inſtar ſilicis, & fruſta corticum marmori albo ſimillima duriſſima rejecit. Iterum tranſitur ad clyſmata pari ut dictum ſucceſſu per ſuperiora, niſi quod quantitas lapidum excretorum augeretur, & ut priores exigui piſorum inſtar, hi avellanas minores nuces, quas tamen mox excedebant, magnitudine æquabant. Veſica ſummo dolore mejendique deſiderio premebatur, applicato cathetere ne gutta fluxit, inhærebat ipſe velut glutini infixus, ut ut retrahi debuerit, nobiſque tangentibus veſicam muco repletam declaravit: ſuſpicabamur non immerito in renibus & veſica glanduliſque meſenterii generari calculos, prout in ventriculo & inteſtinis αὐτοψία docuit: venter in aliquam, non tamen nimiam molem cum oppreſſione præcordiorum & ſpirandi difficultate intumuerat, acutiſſimum dolorem pungentem & lancinantem in regione dextri renis & ſiniſtri hypochondrii ferens, fragor invicem allidentium lapidum vel admota manu vel citato vomitu audiebatur, in hunc uſque diem durans, ac in enixu ſæpius obſervatum, lapillos contractos ab aliis intus reſtantibus, avulſos eſſe; ſed quod maximum eſt, toto durante morbo, ægra ἐυσαρκὴ bene colorata, facie florida manſit. Nitebamur itaque omni nervo humorum concretionem impedire, & concretos diſſolvere, varia menſtrua quærentes in volatilibus martiatis & urinoſis, ſed extra ſpiritum nitri in uſum vocatum nullum diſſolutione efficax eſſe potuit; & his juxta alia auxilia adhibitis, ut injectione in veſicam ex variis decoctis tam de mineralibus, quam expreſſis plantarum ſuccis, perſicariæ, &c. ad mucoſæ illius ſubſtantiæ in veſica diſſolutionem, nil tamen obtinere; ſed mox anodynis ob exquiſitiſſimum ſenſum, mirum in iſto mucco, concurrere neceſſe habuimus. Tandem ſecunda & duodecima Februarii extrahebantur cathetere circiter urinæ viridis & craſſæ unciæ quatuor; cibus abhinc paucus, nullaque ſitis urgebat. Interim cum unum alterumve cochlear juris carnium vel hordeati, aut alterius ſorbilis medicamenti caperet, repente revomuit de die bis, ter, lapillorum circiter unciam ſemis ad drachmas ſex, plus minus, ad decimam quartam uſque. A qua ad ſextam decimam Junii elapſos quatuor menſes, nec edit nec bibit, ſed quam primum ſolum cochlear brodii propinaretur, ſtatim vomitu cruento exſpuit lapillorum majorum quam antea copiam, ut cruciatus contra ipſius voluntatem irritando omni offerendo cibo potuque abſtinere hoc tempore debuimus. Manſit itaque ægra totum quadrimeſtre abſtemia, non edens, non bibens, non ſumens remedii quicquam, quam quinto ſextove die cochlear exiguum olei amygdalarum dulcium ſpiritu nitri imprægnatum, quod optimum ſolvens in hoc affectu repertum, ægræque ſupra alia, remedii genus acceptum erat, ut uncias novem ad decem hoc integro tempore aſſumſerit. Alvus hactenus conſtricta manens, etſi

etſi varie clyſmatibus tentaretur, ſemper ſingula ſurſum rejiciebantur, lapillis varii generis, albicantibus, rufis, griſeis, aſperis, levioribus, mollioribus, durioribuſve magna mole comitantibus, mox homogeneis uniuſque ſubſtantiæ, tophis, ſilicibus, cruſtis marmoreis, mox heterogeneis, compoſitis ex cemento cum ſilicibus; horum alii cruore, alii muco chyloſo obducti, alii omni aliena admiſtione immunes excernebantur; dyſuria premebat, ſed non niſi de decima ad duodecimam mane, licet tertia quavis die catheter injectus, ad uncias duas vel tres pro vice ad ſummum & mucoſæ viridis urinæ elici potuit, cum alius liquor, quam qui per clyſmata, ſuppeditatus non fuerit. Attamen his intermediis nullo immutato neque in victu, cum nullum ſumpſiſſet, neque in remedio, cum aliud tolerare non poſſet, & urina ſexto Aprili ſolveretur, unciæ tres fluxerunt cæruleæ translucidæ & tenues, ſaturate coloratæ, nec vero ultra durarunt, ſiquidem 17. urina iterum ſubviridis & media parte diſſoluto ſabulo griſeo impleta matula apparuit, unde diſſoluti tartari argumentum mox evaneſcens, cum ſymptomata doloreſque adeo ingraveſcerent, ut mentem ſede moverent, hinc deliria, mox ſtupor, riſus & cantilenæ, febris, abſque ſenſu, mox atrociſſimus lumborum dolor, ut de punctione conquerenti, ſi cultellus ægræ admiſſus fuiſſet, ipſa intruſiſſet. Tandem his ſymptomatibus perverſis capti, rati ſumus quocunque modo illud corpus movere, quapropter gr. ij. Mercurii vitæ in aqua frigida fontana ſoluti 29. Aprilis, ut & gr. iij. 2. Maji propinavi, non alio ſucceſſu quam quod drachmas ſeptem lapillorum duobus motibus evomuerit. Inde octava mercurii vivi in tanta alvi conſtipatione uncias quatuor, & ad ſolutionem tartareæ materiæ, & excitandum ptyaliſmum, ut & 10. ejuſdem uncias ſex propinavi, ſed præterlapſus Mercurius anumque excidens, partim in lecto, partim in hypocauſto recolligebatur, cujus quantitatem per inteſtina circulati mecum reſervo. Quid ultra? Sic vita agebatur abſtemia ad ſextam decimam Junii, qua inteſtina aqua frigida eluere magna quantitate, in qua ſal polychreſtum ſolutum, ſtatui, duas horas lecto me applicui, de quadrante in quadrantem uncias ſex propinando, ſic ut libras tres fontanæ biberit, os ipſi comprimens, vomitumque cohibens effeci, ut ſub veſperam ſubſequuta ſit craſſiſſimorum juxta & duriſſimorum alvi excrementorum dejectio, ad metum ruptionis tantopere anum diſtendentium, ſic quod integris 4. menſibus varie & incaſſum remediis tentatum, una aqua omnia fontana ſolvit: hic deliria remiſerunt & appetitus reſuſcitatus: ergo ad aquæ ſimplicis acidularumque uſum balneaque tranſgreſſum, tertia die omnino reluctante iterum natura abſtinuimus. Interim in Novembrem alvi dejectio quinta ſextaque die pauca ſed libera erat, intercidente vomitu, adeo ut calculi jam ſuperne & inferne dejicerentur, tantæ magnitudinis ſæpius unus alterque drachmas duas non modo ponderabat, ſed excedebat, quorum copia penes me;

me; & facile conjicere eſt non abſque cruore, aſperos illos & acuminatos lapillos, ſummoque dolore dejici potuiſſe. Hoc intermedio tempore, Septembris quippe menſe, cum ab eo quo rurſus cibum licet paucum caperet, remediis aperitivis, diureticis, emmenagogis, ac diaphoreticis non deſtitiſſem, menſes ardenteſque veſicæ quales prius, erupere: unde ſpes λύσεως & μεταστάσεως affulſit, ni cito omnia evanuiſſent, hactenus irreconciliabilia. Cumque abhinc ad quintam Novembris natura in ſua metamorphoſi nihil immutaſſet, alvus iterum conſtipari, cordis vires opprimi, omniaque inverſa viderentur; & ipſa prius in inteſtinis recondita excrementa ſurſum rejicerentur, ſpes omnis convaleſcentiæ ceſſit, ſed Divina gratia motus hic non niſi quinta, nona & quinta decima Novembris contigit, dum decocto ſolutivo ex pulpis natura immutaſſet; reducta in priorem ſtatum alvo, urina ſemper ſuppreſſa. cum ſumma neceſſitas urgeret, quarta Februarii anni currentis injectus catheter nihil eduxit, ſed mox expetita matula ægra urinæ ſubviridis & fæculentæ nixu parturientis omnium admiratione capta lib. 8. abſque ullo tamen calculo eminxit; a quo veſica plane recluſa, loco deſcenſus altero tertiove die urinæ graveolentis quantitatem unciarum iij. vel iv. ad 16. Maji, ore dejecit. A qua cum balneis fontanæque largo potu nitri ſpiritu permixto hac æſtate uteretur, res eo devenit, ut facie florida incedere queat, modice comedat, urinam ſingulis claram ſubflavam cum tenui hypoſtaſi, aliquando mucoſam & cruentam ad unc. iij. vel v. alvum vero quarta die ſed paucam duramque deponat, ſubinde vomat, ſed minorem longe quam antea lapidum quantitatem. Interim quod onus natura œſophago excreverat, nunc quoque veſica ſæpius acutiſſimum lapillum excernendo reddit; abdomen aliquantum, duritie in ſiniſtro hypochondrio, dextraque lumborum regione dolente, remanente, tumens, contrectatum, obtuſum ſtrepitum allidentium lapidum edit.

Et ut calamitas nulla ſola, ſic ſors contigit miſeræ, ut gradus deſcendendo aliquot ceciderit, non humerum modo ſed & cubiti dextri cum carpo juncturam quarta hujus dislocarit. Aſt convaleſcens, ſingulare Divinæ potentiæ argumentum, vivit ſuperſtes, ſubjectum humanæ tragœdiæ & campus ampliſſimus exercendi ingenii.

Quam enim mirum eſt hominem benevalentem in tartarum ſubito commutari?

Tartarum non unius ſed diverſi generis in imis penetralibus enaſci?

Tanto pondere e corpore durum ejici? ut quinque libras lapilli ſi omnes coacervaſſem, nullique hinc inde diſtracti fuiſſent, ipſeque communicaſſem, exceſſiſſent?

Tam diverſæ a tophis podagricorum ſubſtantiæ? Cum hi e mucoſa aeri expoſita materia incraſſentur, noſtri vero reſolvantur, quod de primis nolens obſervavi, cum ſcatulam e ventriculo excretorum aeri relinquendo expoſitam, in pollinem redacti ſint: e contra in ſpiritum

vini

viri aliumve liquorem extra ſubtilem acidum immiſſi indurentur.

Quæ veſicarum protinus emergentium ſub epidermide flagrantium & redeuntium cauſa?

Quæ ratio inverſi periſtaltici motus valvulæque inteſtinalis?

Quæ via ab ano ad œſophagum clyſmatibus excernendis data ſit? cum duriſſimis & craſſiſſimis excrementis colon cum recto infarctum fuerit ut enixus demonſtrabat.

Quid iſte mucus in veſica?

Quæ cauſæ colorum viridis & cærulei urinarum perſpicui?

Quis locus retentæ urinæ dandus, cum antea cathetere nihil, dein naturæ impetu ſumma & excedens quantitas fluxerit, mox cohibita?

Quæ via urinoſi laticis per fauces regurgitandi?

Tandem quæ abſtinentiæ cauſa, & unde corpus ſine cibo & potu enutriatur?

Sed quum myſteria inter ſua viſcera natura ſagax plurima recondat anatome ſi faxit Deus nobis non pauca cum tempore patefaciet.

Habes hic, ampliſſime vir, quod tuæ dominationi & humanæ petitioni denegare non potui, hiſtoriam noſtræ petrificatæ, æque miram ac arduam, ſed obſervatione noſtri collegii medici non tantum, verum & clariſſimorum dominorum profeſſorum aliorumque naturæ curioſorum, imo authoritate & inſpectione clementiſſimi noſtri magiſtratus certiſſimam: quam publico præcociter communicare non animus, ſed eventu expectato mature digeſtam una cum aliis obſervatis medicis, hanc erudito orbi tradere ſententia erat; lætor tamen ſummopere, nobiliſſimæ Anglorum ſocietati Regiæ per clariſſimum filium tuum, ut in deſiderio, eam humillime offerre, quo cum eorum favore, & ſolertiſſimo judicio, digna lumen aſpiciat, quibus omnia mea conſecro

Dabam Bernæ 2. Cal. Oct. 1681.

AMPLISSIME VIR

T. T

SIGISM. REX,

M. D. Incl. Reip. Phiſ.

RESPONSORIÆ

Ad ampliſſimum Dominum de Graffenried.

ACcepit Regia ſocietas ante aliquot menſes a filio tuo juvene laudatiſſimo hiſtoriam mirandam fœminæ quæ lapides, tophoſque e variis corporis partibus dejecerit; quorum aliquot ſpecimina, cum ſimul tranſmiſſa ſint, & publice exhibita, tamen ne de ſucceſſuum veritate du-

dubitari poſſet, effecit veſtra authoritas, & doctiſſimi medici veſtri Sigiſmundi Regis accurata relatio: utinam res peregrinæ & a communi experientia remotæ, tanta cum fide nobis alias communicarentur; interea ne ſolummodo gratias referam; habeo a Grevio noſtro, etiamnum vivere in Herfordia Angliæ civitate puellam, quæ intra paucos annos aliquot libras hujuſmodi lapidum excreverit, diverſi coloris & magnitudinis, non ſolum per vias urinarias, ſed vomitum & ſedem, quos cum præfatus doctor examini ſubjecerit, invenit majores lapillos cum menſtruo acido, ut oleum vitrioli & ſpiritus nitri infunderentur, ſtatim & conſpicue effervеſcere, minores cujuſcunque coloris non ebullire, unde collegit eos naturam ſapere lapillorum communium, qui deglutiti forte cum creta & calce, aliiſque immunditiis (pro more virginum) in ſtomacho viſceribuſque coagmentatta, ab humoribus viſcoſis, pituitoſis, bilioſiſque: ſed eadem de concretionibus veſtris affirmare non audeo, cum expertus non ſim, tamen ſi doctiſſimus D. Rex ulterius hujus morbi progreſſum aut cauſam inveſtigavit, gratiſſimum facies ſi illo impertiveris Dom. Haak aut

Londini e Collegio Greshami
30. Martii 1682.

VIR AMPLISSIME

Servum tuum obſequentiſſimum
FRANC ASTON,
Soc. S. R.

Ad Authorem.

HIſtoriam veſtræ morbidæ & caſum mirabilem & accurate deſcriptum perlegerunt plurimi, multa occurrunt explicatu difficilia & ardua, quæ forſan experientia vel autopſia eluceſcent, veſiculas in ſuperficie emergentes valde acres fuiſſe relatio veſtra ſignificat, e ſanguine mordaces & lancinantes particulas, ſalinas forſan, ſæpius ſeparatas vidimus, cujus figuram aut naturam divinare vix eſt poſſibile cum levidenſi tantum additione vel ſubſtractione in alienam facile mutentur; ſic videmus aquam fortem vel ſalis armoniaci vel vulgaris exigua proportione imbutam in aquam Regiam reductam. Ad diſſolvendam calculoſam ſubſtantiam ſpiritu nitri vix aliquid præſtantius & fælicius propinari potuit. Ipſemet poſt varia tentamina ut menſtruum aliquod præparare poſſem Lithonthripticum nihil inveniebam præter hocce notatu dignum, ſine quo ægra veſtra diu fuiſſet extincta. De tartaro quod ſcribit e ventriculo inteſtinis & veſica excreto, dico primo me judice nomen illud quod

quod præcipue vini tartaro vel calculo debetur, male convenire cum materia in corpore noſtro concreſcente, in iſto nempe multum ſalis fixi, olei, & ſpiritus acidi, in hoc vix aliquid ſalis fixi reperitur, multum volatilis & urinoſi, nihil ſpiritus acidi, parum olei & plurimum terræ datur. Corpus tamen fluidum in oſſa, cartilagines & alia ſolida concreſcere, animalia, foſſilia, imo ipſam aquam petreſcere non amplius mirandum; certe credo phænomena quædam rariora a viro celeberrimo poſſe adhuc elaborari, præſertim cum vobis copia detur iſtius materiæ, e. g. ſi materia lapideſcens in ventriculo conferatur cum iſta in inteſtinis, & utraque cum altera in veſica genita, an nimirum ſalia volatilia oleoſa in prima per analyſin igneam ſeparari poſſint, an tantum in ultima? An ſpiritus acres effervescentiam excitare ſoleant, æqualiter cum ſingulis? Gratum revera fecit excell. vir omnibus noſtris medicis per curioſam iſtam relationem, ideoque adhuc rogamus tam ſtupendæ hiſtoriæ continuationem. Miror quod nulli appareant calculi fellei in tanta varietate calculorum, quorum naturam hac in re exploravi, quod ſpecifica gravitate multum differant ab aliis, cum nimirum adeo ſint leves ut multum emergant ſuperficiem aquæ vulgaris. Nota & mihi eſt fœmina nobilis valde cruciata doloribus hepaticis, quæ brevi repetitis viribus duos tranſmiſit calculos e veſica fellea in inteſtinum per cœcum & anguſtum ductum cholidochum, quod fidem meam ſuperaſſet niſi præſens fuiſſem, quanto vero cum dolore parturiebat, tantum ſentiebat levamen ſtatim poſt projectum calculum in inteſtinum, qui vix per aliquot horas illis hærebat, quam primum mihi juſtam capiendi menſuram occaſio dabatur, circumferentia plenum ſuperare digitum inveniebam, ex colore, odore, ſapore, levitate, combuſtibilitate calculum felleum determinare par erat, alter calculus non tantæ fuit molis, nec valde tamen inferioris. Latex urinoſus de quo clar. Dom. ſcribit per fauces evacuatus, rariſſime & vix unquam obſervatus fuit ante, ſi modo vere fuerit urinoſus. In ægris noſtris calculoſis poſt diuturnam renum vel ureterum conſtipationem plethoram in vaſibus obſervavimus egregiam, quamobrem provida natura ut hanc humorum inundationem evacuet, in quemcunque alveum effundit, & non raro per glandulas ventriculi in hujus capacitatem larga quantitate ſecernit e ſuo gremio ſanguis, unde per fauces vomitu extrudatur; tale quid mihi occurrebat in ſalivatione vi Mercurii excitata, & ex improviſo in faucibus ſuppreſſa fermento in ſanguine Mercuriali adhuc ſuperſtite, ſimul etiam alvo continuante occluſa, hinc diſtenta nimis vaſa in ventriculum tranſcolabant lympham per vomitum rejectam, ſalivæ in pelvi ſervatæ plane congruam, ab urina vero in utroque caſu multum diſſimilem.

Dantur alii inter nos communicationem clariſſ. Dom. ambientes, quorum unun hiſtoriam in quibuſdam parallelam narrabit, cui relinque

quo iſtam provinciam lubens, imo ob temporis penuriam deſiſtere cogor, admodum dolens mihi jam negari opportunitatem communicandi quædam non vulgaria. Modo dignum indicet literarum commercium nobiſcum continuare, ſi quid novi phænomenis vel libri nobis occurrat certam hujus rei expectabit narrationem

D. Londini 28. Martii 1682.

Nominis Tui, VIR EXCELL.

Cult. perp.
FR. SLARE,
M. D. Reg. Soc. Sod.

EPISTOLA AD SOCIETATEM REGIAM POSTERIOR.

Illuſtres nobiliſſimi doctiſſimique Viri.

TAcito tempora greſſu diffugiunt, nulloque ſono annus vertitur, vitæ emblemata, quibus menſuramur, incitamurque ea, quæ alicujus boni eſſe poſſunt, ne ſero ſuſpendeamus, moti unde, fructum licet adhuc immaturum decerpere hiſtoriamve de petrificata noſtra, (cujus obitum inane expectavimus) continuare quam occultare maluimus, ne aut phænomenis hactenus nihil contigiſſe aut non obſervaſſe putemur; videmus enim hinc & inde hiſtoriam iſtam grate acceptam, variis prelis mandatam, ſed non æqualiter ad ſenſum verborum translatam vel examinatam eſſe, plurimoſque doctos hæc etſi pauca ob caſus infrequentiam admirari, progreſſum monere, quoſdam vero ad ſortilegia, vel inter iſtas ſpecies referre, quæ fidem oculumque fallant, aſſentirer forſan niſi ſummus naturæ author in hac inperſcrutabilia prius ſæpius recluderet, phyſicoque ſcrutinio ad redundantem nominis ſui gloriam rimanda concederet: in hoc dum laboramus clariſſimorum virorum deſiderium non impleturos ſed favorem excitaturos ſperamus.

Ab eo quo hiſtoriam ſecunda Calendarum octobris anni ſeculi octogeſimi primi pertexui, ægra noſtra moderate vixit, ſatque bene naturæ functionibus, ut ante relatum, in excipiendis & excernendis recte occupatis ad decimam octavam anni octogeſimi ſecundi menſis Auguſti, qua torqueri nauſeaque, & ſingultu abſque tamen vomitu agitari cæpit, dato cardiaco cum ſpiritu nitri dulci ad vigeſimam nonam dicti menſis ceſſarunt ſymptomata, hac vero ſuperioris & inferioris ventris cruciatibus ſummis angi, in latera volvi, reſpiratione impediri, hyſterico paro-

roxyſmo infeſtari cum ructibus, cordis palpitatione & oſcitatione viſa, occurrebatur anodynis & antiſpaſmodicis (omiſſis clyſteribus, quorum uſum ægra ob inteſtinalis motus inverſionem valde horrebit) ſuccedebant expanſiones & jactationes artuum, motus convulſivi totius abdominis, conſtrictio muſculorum laryngis & faucium cum aphonia; tandemque parturientis dolor ſibilo alto ſe dictitans, quo contractis omnibus membris alvo dejecit inſequenti trigeſima calculum figuræ primæ cruore conſperſum, cujus enixum ſequebantur altera die duo minores longe; cum hæmorrhoidali fluxu dilaceratis vaſibus poſt hac inſtar puerperæ habita, juſculis reſtaurata, remediis ſublevata convaluit, intraque ſeptimanas paucas reſoluta jam quaſi natura ad actiones obeundas vires collegit.

Hæc rerum triſtis facies & viciſſitudo, hic ægræ ſtatus ab ultimis præteritorum tolerabilior in dolorificum verſus: calculi non tantum majoris ponderis ſed & durioris ſubſtantiæ, valdeque anguloſi, nec ſingulis digeſtionibus, ſed velut in quadam matrice matureſcentes, abrupti pelluntur, tertia quartave ſeptimana inferne nec ulterius ſuperne excluduntur: alvus prius libera demum adſtringi incipit, & una alterave a conſtrictione die lapidem parturit: urinam e veſica reddit paucam potui in quantitate non reſpondentem, variam, plurimum craſſam & turbidam, quæ raro ſupprimitur, ſuppreſſam emingendo antecedit calculus fabæ magnitudine majoris, anguloſus, cæteriſque per omnia ſimilis: & quod ante hac per intervalla, nunc quotidie contingit, mane dum urinandi motus urget, quantitate aliqua fluente per veſicam prius, nullo vel exiguo intervallo altera vomitu decedit ad uncias tres vel quatuor, ejuſdem coloris, conſiſtentiæ, odoris urinoſi & ex ægræ relatione multifaria, cum nauſea ſaporis, quæcunque clarius in ſpagirico examine appaxuere: tumet abdomen, nec ſolum ut ante in ſiniſtro hypochondrio durities, lapidumque allidentium ſonitus, ſed in tota ventris dextra regione ob muſculorum laxitatem aliquanto percipitur profundior, magnumque dolorem circa hypogaſtrium quæritur: appetit cibum potumve modice, qui ex radice glycyrrhizæ & hordeo uſualis eſt, perque vices aliquid vini tenuioris conceditur: dormiendo ſubſultat: fluunt menſes rarius & parcius nec tamen deſiſtunt; pulſum habet & languidum, & celerem, & profundum & interceptum, pro variis ſymptomatibus variantem:

Reſpiratio ægræ liberior, non valida, ſed ſenſus vix perceptibilis; menteque plus nunquam movetur: tandem duodecima decembris anni ultimo elapſi tibia dextra gangræna ad palmæ latitudinem in ſphacelum inclinante correpta, ſcarificatione cæteriſque neceſſariis curata, nunc angina notha ob tonſillarum inflammationem premitur, plurimumque arterioſi ſanguinis e faucibus fluit, majoris forſan excernendi lapidis prodromus, revulſionem per phlebotomiam in pede & clyſmata tentatam

ſecuta fuit vigeſima Februarii dejectio fæcum naturalium per inferiora, vigeſima tertia vero & dejectio ſæculenta & rejectio per fauces oleoſæ clyſmatis ſubſtantiæ cum fætore abſque lapillis, unde imminens ſuffocationis metus abſtinere juſſit.

Hic caſus rarus & mirus varia ſuſcitavit genia: naturam enim ſortilegia abhorrere philoſophica ſententia eſt, ipſam vero a limite & communi experientia in ægra noſtra plurimum receſſiſſe, ſi quis antehac propoſita phænomena in dubium vocavit, nunc miſſa ſpecimina credet, majorum ſiquidem morborum argumentum exiſtit gravium ſymptomatum concurſus, quæ ſeorſim ſumpta, etſi explicatu ſingula leviora videantur, juncta vero ob motus varietatem ardue pugnant.

Calculos in humano corpore ad macrocoſmi leges ex principiis activis vinculo ſalino cum matrice terra & phlegmate diverſimode concreſcere docet analyſis, inque glanduloſis partibus corporiſque ductibus generari nihil ignoti, quod graviſſimi authores teſtantur, noſtraque obſervatione conſtat, præter renum veſicæque calculos anno ſeculi ſeptuageſimo ſeptimo Catharinam Scertenleib puellam excretis tuſſiendo plurimis lapillis tophaceis in noſocomio noſtro phthiſi occubuiſſe; e contra ſabulo multaque pituita gypſea in inteſtinis concreta varie dejecta Catharinam Blaſeram anno octogeſimo in eodem hoſpitio integre reſtitutam eſſe; virum ampl. Joh. W. majoris ſenatorii ordinis, arthriticum menſe Julio anni octogeſimi tertii, utroque uretere calculis obſtructo, ab impedita mixtione decima & ſeptima morbi die non juvantibus variis ſeri vacuationibus phlebotomiis & lithontripticis apoplexia obiiſſe, quos lapides alia longe a noſtræ ægrotæ ſubſtantia nulloque acido ſpiritu ob oleoſam imprægnationem ſolubiles extraxi, ren ſiniſter naturali duplo, dexter vero triplo major, dilatatis tunicis multo ſero tumidis, plurimis obhærentibus ſcatebant lapillis, ruffis, aſperis, cum ex ureteribus ſecti eſſent apice rotundo, forſan levigato vel formato in ductu, glandiſque forma quercus minoris: nuperiſve e tonſillis puellæ Mariæ Haffneriæ ad triginta duos tophos ſecuit civitatis hujus chirurgus expertiſſ. D. Alb. Baurenkönigius: inſuper a clariſſimo veſtro Dn. Doctore Slareo hiſtoria communicata de calculis felleis raræ magnitudinis pro anguſtia ductus cholidochi: & alia filii Ebræi cujuſdam undecim annorum Weinheimii in Palatinatu degentis, lapillos diverſi generis imo ſilices per virgam, anumque excernentis, ab urbis Heidelbergæ Syndico clariſſ. D. Zweifelio mihi perſcripta.

Verum cum ſimilia viſu reipſa plurimum diſſimilia ſint, ut naturæ curioſis oblectationem aliquam, generique humano ſolatium fructumve præſtemus, accuratiuſque loquamur, phyſico examini calculos hoſce ſubjecimus.

1. Solvendo, ſic ſpiritus ſulphuris, vitrioli, acetique affuſus aliquem efferveſcendi motum incipit, imprimis in iis qui ventriculo excreti, rarioris

rioris texturæ, friabiliorifque ſubſtantiæ ſunt, ſed citius acidis ſuis particulis inflexos poros ingreſſis, ſubſiſtit nullamque ſolutionem perfecit. Salis armoniaci ſpiritus ne quicquam movet, & omni modo tentatus veluti homogeneus ſubjecto ſuo conquieſcit. Sed nitroſus Achilles cuncta deſtruendo ſubigit.

2. Deſtillando per retortam, œſophago excreti, ſalis volatilis cum ſpiritu & phlegmate paucum, terræ plurimum ſaliſque fixi fere nihil: poſteriores alvo redditi cum iis ex veſica ejuſdem figuræ & ſubſtantiæ plus volatilis cum pauco ad guſtum ſubacido phlegmate & ſpiritu urinoſo forti, modicum fixi ſalis at plurimum terræ habebant. Calculorum horum unciæ ſex exhibuerunt capitis mortui uncias quinque cum drachmis duabus, & ex his ſalis lixivioſi circa ſcrupulum cum dimidio phlegmatis cum ſpiritu & immiſto ſale volatili drachmas quinque & ſemis, adhærente quadam portione recipientis lateribus. Hic liquor junctim ſumptus addito ſpiritus vini alkaliſati quanto, in alembico exiguo caloris gradu ſublimatus depoſuit in capite ſalis volatilis urinoſi ſcrupulos duos & ſem. Olei nihil conceptum niſi volatilium fluorem ſalium eo referre velimus.

3. Præcipitando. Liquor deſtillatus ſpiritus vitrioli additamento in rubram tincturam vertitur, tandemque craſſior evadens quodammodo ſecedit in fundum: affuſus vero idem ſpiritus a deſtillatione reſiduo capiti mortuo, aut ſali inde elixiviato non aliam quam cum ſale & oleo tartari impetuoſam efferveſcentiam excitat.

Sic lapides noſtri conſtant, plurima terra, ſale vol. exiguo, acido fixo perpauco, quod ſale ſpirituque urinoſo infractum & edulcoratum eſſe, ſpiritus armoniaci hujus naturæ demonſtrat, acidarum partibus immixtus eas retundendo & implicando in dulcem ſaporem cogit, poſt non reſolubiles.

Ex in concludimus ſalium lixivioſorum naturam a ſalis tartari non recedere in ægra noſtra & reperta matrice, incorporandi ſubjecto, accedente acido, motum (efferveſcentia aliqua progreſſa) invicem ſiſti, inque calculos hoſce coire; prout vitrioli ſpiritus particulis ſuis acutiſſimis & flexibilibus (unde oleoſus tangitur) ſal tartari penetrando quidem deſtruit, ſed deſtructum in ſui naturam aliter colligando cogit: in hiſce calculis ut jam ad ſuam craſin diſpoſitis nil præſtitit, verum ſal fixum igne ſublatis implicandi ſpiritibus in ſuam naturam reduxit; ex qua coagulum conſtat.

E contra nitri ſpiritus acidus quidem ſed ob ſubtiliſſimi ſalis conjunctionem particulis rigidioribus, penetrantiſſimis, inſeparabilibus conſtans, non tantum una qualitate cuncta ſolvebat ſed & altera reunionem impediebat, cum particulæ hujus rigidiores in actu continuæ ſeſe flectere, ſaliaque diviſa in alienam naturam combinare non valuerint.

Spiritus vero ſalis armoniaci urinoſus ſalibus illis volatilibus conſimilis

milis exque fixis productus, illa non modo quieta reliquit, ſed & hæc ut gremium ſuum amplexus.

Hinc longe alia calculorum noſtrorum generandi ratio & locus quam eorum qui abs renibus excluduntur, cum hi e particulis ſeri rigidioribus, vel ad pororum renalium relationem craſſioribus, ſenſim obhærentibus eoſque obliterantibus contexentur, lubrica quidem aqua flexilibus particulis decidat, ſalia vero innatantia inſenſibiliter reticulo huic implicentur, tandemque in lapideam duritiem accreſcant; quod prius communis experientia conſtans exhibet ſenes, quibus craſſiores humores, minuſque meabiles meatus contingunt, in hunc affectum valde pronos; poſterius deſtillatione firmatur, etenim imminuendo ejuſmodi calculos, donec collum anguſtum retortæ ingrediatur, ſubdito igne prodit ſpiritus urinoſus cum ſale, remanetque in fundo retortæ non comotæ figura lapidum, quæ in cineres commovendo decidit, eæque vero rurſus affundendo eductum liquorem in calculos conjungitur, ex quibus ſalium copia & implicandi modus in his optime conſtant.

Qualiter vero & ubi in ægra noſtra generentur lapilli & tophi tartarei (ea in vivis) vix eſſet hujus loci & temporis divinare, niſi rationi aliquid concedendum foret.

Veſicæ ſub epidermide limpido ſero flagrantes, ibique ob impeditam cuticulæ tranſpirationem, obſtructoſque glandularum ſubcutanearum poros denegantium refluxum, collecto, ſanguini pellenti, non vero quieto, ortum debent, cum hic a tempore, quo coagulari viſus eſt, nuſquam ampullas ſuſcitavit, & ſecus motui contrarium eſſet, mordax vero, lancinanſque humoris qualitas atque inſpiſſatio ſingularis acidi in corpore prædominantis argumentum, cujus rimari naturam difficile, cum leviſſima additione vel detractione, motuve humores alterantur, ut ex chylo ſanguis, ex ſero lympha, ex aqua forti regia generetur, aliiſve naturalibus cernere evidens eſt: qui humores in receptaculis ſuis glanduloſis, ut locis natalitiis, varie & perverſim alterati, tantas coagulationes efficiunt, cum ſtagnantes exhalato alkali ſpirituoſo inſpiſſantur & aceſcunt, haud ſecus & analogum ſanguini vinum, quod evanidis ſulphureis particulis, quibus cum acidæ incorporatæ hærebant, relictis his in acorem vertitur: & certe dulcis acidique ratio non alia eſt, quam diverſimoda major, minorve acutarum partium cum aliis commixtio, actuſque retardatio, ut in ſaccharo, melle &c. hinc ſanguis etſi tandem inſpiſſatus, tamen dulcis linguæ occurrit, immo pro tactus ratione magis minuſque feriunt, parva inter titillationem & dolorem diſtantia.

Merito ergo glandulæ præprimis inferioris ventris ſeri lymphatici (vel pituitæ in hoc acidæ) receptacula & ergaſtula in vitio occurrunt, quo humor jam heterogeneus ductibus ſuis haud exoneratus, atque e pancreate in duodenum longo intervallo non ſolutus acidior evaſit: hinc prior hiſce præ utero attribuenda mali labes, (cum naturaliter abſque impraegnatione, men-

menſium ſuppreſſio ante annos ſenectutis, nulla contingat) quæ in corpore primos hos effectus ederit, unde reſtagnans ſanguis majorem corruptionem, majoreſque turbas fovebat, non enim ſubordinatæ cauſæ pugnant.

Subita vero veſicarum evaneſcentia ad remedia reſolventia volatilia commode refertur, quibus obſtructiones univerſi reſerare nitebamur, factum unde ut una cum meatibus glanduloſis patefactis non modo refluxus reſoluto humori datus, ſed & magnum pituitæ receptaculum pancreas, impetu in inteſtina & ab hinc maſſam chyli viſcoſam indeque ſanguinis univerſam humorem contentum acidum effuderit, ſicque diatheſin pravam hucuſque continuatam induxerit: qui chylus juxta principia ſua alius vix ſtatui poteſt, ægra adhuc in ſanis magno aquarum potui ad juvenilem viſcerum æſtuantium calorem ſupprimendum dedita, aquis etſi in hac urbe ſaluberrimis in ſubjecto capaci evidentem cauſam non detrahimus, ex qua conſequens obſtructio ductuum glandularumve concinnari potuit: quantum vero vel an contribuat bilis in petrificatione hac vix invenire eſt, cum hæc aliter ac noſtri calculi ſale lixivioſo redundet.

Hinc ventriculus, inteſtina, glandulæ primarii generationis loci, quamvis & in veſica ſecundario producentur, latex quippe urinoſus primæ digeſtionis vitio ita inquinatus, ſecundæ excrementum, multo acido, ſaleque & craſſo phlegmate imbutus in veſica ſtagnans in coagulum invicem accedentibus particulis aptis coivit, unde & mucus & calculi abſque alterius rei acceſſu vel diſſipationis ope.

Quatenus vero ante ſilices exiguos variaque cæmenta evomuerit, cum ab hinc vomitu nihil excreverit, cauſa deliteſcit in corpore, aquarum tamen pro ratione ſubjecti recipientis diverſa, diverſa eſt lapides producendi & incorporandi vis.

Pondus ſpecimina probant, non enim deſiſtente agendi vi in ſubjecto diſpoſito effectus continuantur, ut decem hactenus libras ſuperarint.

Alienæ a podagricorum tophis ſubſtantiæ, primos ventriculo excretos rarioris compacturæ aer non ut ſalia humectando, cum minima haberent influorem, ſed rariores minuſque firmiter implexos angulos movendo inſenſibiliter contritos in pollinem redegit, quemadmodum in vitriolo albo, lignis corruptis exſuccis, aliiſque ab aere contingere videmus, contra vero vini ſpiritus rectificatus raros poros facillime intrans, nec aeris inſtar vibrans fibrillas quietas ſuſtinebat.

Motus naturam eſſe renitente objecto circulare vermiculari & retrogadi in noſtro ſubjecto patulum eſt, majoribus lapillis ad anguſtam portam intra exitum ilii & principium coli circa cœcum obhærentibus, retractis orbicularibus muſculoſis inteſtinorum fibris periſtaltici motus inverſionem contigiſſe, cauſam vero tam violentam ut calculorum facile valvulam aut ineptam everſiſſe, aut plane diruptiſſe.

Hoc oſtio patente, quid ni ſtimulata inteſtina clyſmate ſurſum abſque excrementis duriſſimis rejecerint? cum ſcybala videamus in colicis adeo indurata cellulis inhærere, tandemque ad alvum deſcendere, ut vix coctione ſolvi, multoque minus clyſmate dilui poſſint; æque quidem mirum hæc contigiſſe & etiamnum contingere infarctis ductibus craſſioribus lapillis, verum ad horum figuræ varietatem ſpectantes, eos non ad inteſtinorum cavitatem conformari, ſed ubique lateraliter immo in aliquibus per ipſa quibus perforantur foramina, chylo deſcenſum & clyſmatibus aſcenſum concedere.

Urinoſi laticis colorem varie immutari, ſubſtantiamve alterari pro accedentis vel deficientis ratione quemvis dies docet; cæruleæ vero pellucidæ contra naturæ ordinem ſuccedentis cum tempore alia eſt perquirenda ratio; illis enim magis minuſve bile ſaturatis intenditur vel remittitur tinctura, aut admixtis variis heterogeneis vel ſpiritibus exhalatis incraſſatur, inque opacam & virulentam vertitur urina.

Cujus collectæ excretionem impediebat mucus in veſica ejus collum glutinans, tantam vero octo librarum quantitatem veſica capere incapax, niſi non naturalem extenſionem ei concedamus, qualem in puella ſub finem anni ſeptuageſimi ſecundi Johanna Heuſchleria obſervavi, ad quam ut aſciticam accerſitus, quærenti cauſas obtigit inflammatio colli veſicæ, anodyna & poſt catheterem applicare juſſi, unde incredibilis lotii quantitas libras novem ſuperans ſubſidente ventre continuo fluxit, ipſaque convaluit; urinas vero non tam in veſica quam renibus vaſiſque cæteris redundare poſſe ſuperius exemplum D. J. W. declarat.

Evenire unde potuit, ut excedens hujus laticis urinoſi quantitas apertis cæliacæ oſtiolis in cavitatem ventriculi exſudarit: verum propius obſervantibus conſtat, urina non redundante ejuſmodi fieri vacuationem, plurimum puram, aliquando vero quibuſdam chyli ciborumque particulis mixtam; nec ſi quis antecedentem hiſtoriam ſerio examinabit, quicquam excretiones ante primas ægræ ingeſtum multo minus hucuſque datum intelliget, quod urinoſum ſaporem &c. induere valuerit; nec latex ſemper redundans vaſa ſanguifera eructare cogit: inde ex ipſius rei contingentibus veris aliquid contra naturæ leges in hoc corpore contingere, conjicere licet, forſanque hinc continuatæ calculorum generationis aliqua cauſa petenda, cum ventriculus nova ſaburra perverſoque fermento humorum quotidie tentetur, ſecus jam jam remediis alteratus eſſet: memor quidem ſum exempli, quod mihi contigit an. 1677. in Eva Zubera annorum quadraginta cive urbis hujus, quæ enixu partus violento, veſica urina diſtenta fœtus exitu valide compreſſa, hacque violenta cauſa aperto uracho, urinæ per umbilicum integro puerperio majorem portionem exoneravit, demum conſolidato hoc naturaliter fluxit; niſi quod

ipſe

ipſe ſubinde pruritu & aliqua tranſſudatione tentetur: aſt a naturalibus & manifeſtis ad non naturalia occulta, ductumque latentem hactenus concludendum non eſt.

Abſtinentiæ thema Lentulus noſter ad divum Jacobum primum regem Angliæ potentiſſimum pertractavit, ignota tum tranſpirationis hujuſque principii circulationis cauſa varie ratiocinatus, ſed ad hanc reflectentes, hominem reſpirare, adque ſubſtantiæ deperditæ reſtaurationem refici, ars ſtatica docet, plus inſenſibiliter a corpore excerni tranſpirando quam omnes per excretorias vias ſenſibiliter excludi. Ut vir robuſtus in actione permanens octo librarum potu ciboque ſingulis diebus aliquot ſaturatus, tres tantum vel in ſummum quatuor manifeſtis in excrementis deponat, facta tamen digeſtione amplius non ponderet, quam cibum ante ſumtum: hinc coctionum energia omnia imminui inque ſpiritus tandem reſolvi, & tranſpirationis, in ſolutione morborum inſenſibili & hecticorum devorata ſubſtantia, veritas conſiſtit; qua non ob epidermidis conſtipationem procedente, non opus erat refectione; ſecus aer inſpirari ad ſpirituum vitalium refectionem debuit, ut exſpirari poſſet, ſicque in motu ens manere, qui ipſe aer inſpiratus, incraſſatus, in vaſis in ſerum verſus, urinandi materiam tempore abſtinentiæ commodam præbuit, ut hydropicos ſæpius cernimus ſolius aeris aquoſis particulis intumeſcere.

Hæc ſunt excell. Domini, quæ olim deſideraſtis, exigua, niſi favoris veſtri digna videantur, in ſchemate expreſſa, quorum ſpecimina doctiſſ. præclaris amiciſque viris in rei teſtimonium mittere voluimus, ut ſi aliquid cum tempore obſervari velint, hortari dignentur; inclyti enim Senatus noſtri ampliſſimi mandato, pro clementia ſua in miſeros ægra noſtra publico loco ſuſtentatur & obſervatur, cautumque eſt ne mortua ante exactam eviſcerationem ſepeliatur, quo publico ex ipſius laudatiſſimo deſiderio aliquid boni redundare poſſit. Unicum rogo benigne accipiatis, ſculptorique mandetis, cum ad circulum cuncta menſurata ſint, ne excedat vel detrahat, fidemque hiſtoriæ frangat.

Dabam Bernæ in Helv.
ult. Febr. 1685.

EXCELLENTISS D.

Cultor perennis
SIGISM. REX
M. D. Rpl. Ph.

CAlculorum ſpecimina præter ea, quæ Exc. D. D. ac Prof. Bauhino Baſileam, ut & Clariſſ. D. D. Lavatero pro bibliotheca civica Tigurum alioque miſeram; tabula cum pondere quædam promiſcue juxta ordinem productionis & diſtributionis exhibet.

Fig. I. & XII. Regiæ Angl. Societati Londinum miſſi lapides hic Drach. VII. & ſem. ille ponderabat. XIII.

Fig. II. Rev. D, Abbati de la Rocque authori ephemer. curioſ. Galliæ Lutetias. dr. IX.

Fig. III. D. D. Thomæ Bartholino S. Regn. Daniæ, Haffnienſiſque Acad. Archiatro dr. X.

Fig. IV. & XV. D. D. Carolo Drelincourtio Ser. Princ. Auriaci & facult. med. Lugd. Bat. Archiat. hic dr. III. cum dim. ille XI.

Fig. V. & VII. D. D. Wedelio Saxoniæ Arch. curioſorumque naturæ Herculi, Jenam, hic dr. VIII. ille IV.

Fig. VI. D. D. Muralto incl. Reipubl. Tigurinæ med. doctiſſ. nunc Archiatro dr. VII. & ſem.

Fig. VIII. D. D. Volkammero Reipubl. Norimbergenſis facult. med. Decano dr. VIII.

Fig. IX. D. D. J. J. Wepffero diverſorum Principum, Reipublicæque Archiatro famigeratiſſimo, Schaffuſium dr. VII. cum dim.

Fig. X. D. D. Mullero, Phyſ. Lindavienſi doctiſſ. dr. VII.

Fig. XI. D. D. Chriſtiano Menzelio. Ser. Princ. Elect. Brandenburgici Arch. & Conſiliis Berolinum dr. IX.

Fig. XIII. D. D. Theophilo Bonetto, med. expert. dr. V. Genevam.

Fig. XIV. D. D. J. J. Hardero facult. med. Prof. Doct. Baſileam, dr. XIII.

Fig. XVII. D. D. Waldſchmid. Haſſiæ Arct. & Prof. pr. Marpurgum. dr. IX.

Fig. XIX. D. D. Reinſant Illuſtriſſ. Marchionis de Louvois med. expert. Pariſios dr. VIII.

Fig. XX. D. D. Paulo de Sorbait S. Cæſ. Maj. Arch. & a Conſiliis inferioris Auſtriæ dr. VII.

Fig. XXI. D. D. Franciſco Reinhardo med. exc. antiquæ Reipubl. Solodurenſis Senatori. dr. VIII.

Fig. XXII. D. D. Alberto Benoit. dr. XVIII.

Fig. XXIII. D. D. Samueli Steckio. dr. XVI. Utroque Incl. noſtræ Reip, Phyſ. digniſſ. Collegis Honoratis.

Fig. XXIV. Bibliothecæ Civicæ conſecravi. dr. XVII.

Fig. XXV. D. D. Dapplefio med. Lauſannenſi Doct. dr. VII. & ſem.

Fig. XVI. dr. III. XVIII. dr. XIV. & XXVI. dr. XXII. mecum reſervo.

Re-



Disp. Medico-Pract. Tom. III. KÖNIG (REX) DUABUS EPISTOLIS &c. pag. 492.



Reverendiſſimo D. D. ABBATI DE LA ROCQUE
Authori ephem. cur. Galliæ.

SI quæ ſunt, quæ favoris, animique clementis gratiam exhibent, ſunt peregrinorum, abſentiumve, ignotorum ne dicam, commendationes, has mihi contigiſſe in hiſtorica narratione puellæ noſtræ calculoſæ, certum, quam Londini Anglorum impreſſam veſtris doctiſſimis ephemeridibus medicis dignam, judicaſtis, hanc nudam, fœtum velut immaturum fovere, ratiocinioque phyſico rem ſecus monſtroſam enucleare, Vir eruditus quidam ſuſceperat, exinde amicus, cui tanto pluris debeo, quanto gratiori animo pertractavit, & quæ minora forſan nunc apparebunt majora, præteritis quippe Martii Calendis hiſtoriam continuatam cum aliquo examine ſpagyrico & judicio medico, quantum, ægra in vivis, licuit, regiæ Societati miſeram, quæ forſitan impreſſa citius in actis, almas veſtras Athenas aſpiciet, utque candori in enarratione, hiſtoriæque fides habeatur, hinc & inde doctiſſimis amiciſque viris ſpecimina diſtribueram quæ ſchæma exhibebit: accipe ergo reverendiſſime Domine artiſque promotor, animi tui benignitate, & ea qua polles in Aeſculapij aſſeclas propenſione, exemplar ſub figura ſecunda, cujus varia poſitura varie ſchema immutare poteſt, favoremque perenna in

Dabam Bernæ Helvet.
4. Apr. 1685.

REVERENDISSIMI DOMINI

Cultorem indeſſeſſum
S. R. M. D.

Excellentiſſimo Viro D. CAROLO DRELINCURTIO *Sereniſſ. Principis Auriaci & Almæ Univerſ. Lugd. Bat. Archiatro.*

TEmpeſtiva occaſione frui ipſius Coi dictamen, quam nactus per amicum clariſſ. & præteritorum memor & futurorum perſuaſus ut doctiſſimo Viro non modo beneficiorum olim in alma veſtra academia mihi collatorum inſigniorum gratias rependam, ſed de hinc abs Clariſſimo D. fratre acceptorum elegantiſſime ſcriptorum, viciſſim mea tenuiora commendem, e ſuppellectile ut parva deprompta, magna quæ eſſe non poſſunt, hiſtoriam de pertrificata noſtra continuatam, cum aliquali judicio medico & adjectis ſpeciminibus ad Viros, doct. quo rei teſtimonia ipſa loquantur, quos inter Exc. Nom. tui omni vita nuſquam im-

memor, hæc exemplaria mitto, hæc ſi penes veſtra reſervare, aut alterum inter curioſa academiæ recondere velis, pro favore tuo age; ſunt quædam ſingularia & a communi experientia remota quæ in hiſtoria occurrunt, ſed ſincere ſcripta. Sique doctiſſimo judicio tuo ulterius me erudire velis, reverenter habebo, non enim alium ſcopum meditor quam generi humano ſalutarem. Hiſque cum alma veſtra facultate medica optime vale & fave

Dabam Bernæ Helv.
18. Apr. 1685.

EXCELL. NOM. TUI.

C. perp.
S. R. M. D.

Excellentiſſ. Viro D. THOMÆ BARTHOLINO *S. Regni Daniæ, academiæque Haffnienſis Archiatro.*

CUm antehac hiſtoriam de calculoſa puella aliquantum miram narrarim publico, nunc vero continuata imprimatur Londini, ſchæmaque adjunctum ſpecimina miſſa exhibeat, ut doctorum ſcrutinio generi humano e ſubjecto raro tandem ſalutaris quid erui poſſit: hinc venerande Antiſtes celeberrimi nominis tui ob artis inſignia facta & rever. Parenti meo olim Patavii inter Muſarum Fána varia amicitiæ ſigna exhibita, haud immemor, Exc. tuæ ſpecimen exhibere fas fuit, quod per expert. chir. noſtrum D. Baurenköningium colonos Helvetos a Sereniſſimo Principe Electore Brandenburgico expetitos Podſtamium ducentem, Hamburgum deferre indeque tranſmittere curavi, qua opportuna occaſione, cum dubio procul ſeptimanas aliquot in aula Principis ſit commoraturus, favoreque excellentiſſ. Viri digna hiſtoria reſponſo judicetur, literæ ad Excellentiſſimum Dominum Menzelium Archiatrum Berolinum datæ manus Dni. Baurenköningii tandemque meas pervenient. Obitum a phthyſi ante triennium clariſſimi Domini Bogdani per decennium collegæ deſideratiſſimi adhuc doleo, qui nominis celeberrimi tui ſincerus cultor mortuus, ſic ego tua ſub umbra, favoreque vivo

Dabam Bernæ Helvet.
20. Apr. 1685.

DOCTISS. VIR
EXCELL. NOM. TUI.

C. perenn.
S. R. M. D.

Excellentiſſimo Viro D. CHRISTIANO MENZELIO *Sereniſſ. Principis Elect. Brandenburgici Arch. & à Conſiliis.*

CUm mens ſit inſervire publico, ipſeque honos reſultet à doctis quos inter palmam fers excellentiſſ. vir, hinc mihi gratulor fœlicem occaſionem nactam exc. tuæ notitiam induendi, ſimulque per clariſſ. & expertiſſimum chirurgum noſtrum Dnm. Baurenköningium ſpecimen calculoſæ noſtræ puellæ, ſi dignum, offerendi, quæ quanto magis à tramite recto declinavit, tanto admirabilior ejus videtur hiſtoria, quam cum medico judicio, quale ægra ſuperſtite licuit continuatam ſub prælum Londinum miſſam, ſpeciminibus excell. doctiſſ. viris hinc inde diſtributis cenſui confirmandam, quæ ut benigne accepta ſpero, ſic viciſſim ſapientiſſimo judicio & examine docto me erudire, ſuffulcire dignabuntur, quo aliquid tandem ſalutare e tanto ſubjecto redundare poſſit. Excipe ergo favore tuo Excellentiſſ. Domine prodromum exiguum, ut cuncta mea publico & doctis, ſic præprimis tibi deberi judices.

D. Bernæ Helv. 20 Apr. 1685.

DOCTISS. VIR
EXCELL. NOM. TUI

Cult. perp.
S. R. M. D.

Excellentiſſimo D. J. WALDSCHMID, *Sereniſſ. Principum Haſſiæ & Univerſitatis Cattorum Archiatro.*

QUam artis præſtantiam indigitavit ſenex, eam non modo in te quærunt excell. vir ſed omne complementum nacti, doctiſſimiſque tuis præceptis imbuti celeberrimum nomen celebrant, hinc doctiſſimo viro, non pro ingenii excell. tuæ excelſitate opus, ſed teſtandi in artem affectus, ſpecimen de calculoſa noſtra, ſincerum rei argumentum, tranſmittere debui, cujus hiſtoria continuata brevi prelo Londini liberabitur, accipe quo mittitur animo, ſique res ipſa digna ſagaci, prudentiſſimoque judicio tuo habeatur hoc favore digneris.

D. Bernæ Helv. 20 April. 1685.

DOCTISS. VIR.
EXCELL. NOM. TUI

Cult. Ind.
S. R. M. D.

Excellen.

Excellentiſſimo Viro D. J. GEORGIO VOLKAMMERO, *Collegii Medici Incl. Reipubl. Norimbergenſis Decano.*

QUum nuperis ab exp. D. Baurenck. ſingulare deſiderium exemplar calculorum de petrificata Lauwera videndi intellexiſſem, tanto magis commendatam hiſtoriam, quanto a doctioribus ſpecimina expetita vidi, occurrunt quidem in ea a communi naturæ curſu aliquantum diverſa, re ipſa veriſſima, inprimis urinæ regurgitatio per fauces e veſica, ut videtur retroactæ, aliaque plura, quæ doctorum doctiſſimo judicio ſubjeci, præloque Londinenſi nuperis Martii Calendis hiſtoriam continuatam, adjuncto & meo ſcrutinio medico, mandavi, hinc me fælicem dicere contingit quod & venerandi viri hoc, quod mitto, ſpecimine inter artis, meique patronos excellentiſſimum nomen celebrare, ipſumque me tanto favori commendare poſſim.

D. Bernæ Helvet. 7. Maii 1685.

DOCTISS. VIR

EXCELL. NOM. TUI

Cult. Hum.
S. R. M. D.

Excellentiſſimo Viro Domino WOLFFGANGO WEDELIO, *Sereniſſ. Princip. & Elect. Saxoniæ, ac Facultatis Jenenſis Academiæ Archiatro.*

QUantum reſpublica medica celeberrimo viro debeat, univerſus loquitur orbis, qui ſecus non poteſt, quam tantum ſcientiarum admirari abyſſum, venerari genium, e quo non niſi magna fauſtis laboribus reſultant, hoc clave naturæ recluduntur abſcondita, concentrantur doctrinæ diverſa. Hinc debetur, glorioſumque eſt doctiſſimo D. & quæ inter naturæ curioſa, & a communi experientia remotiora offerre, ſagaciſſimoque judicio ſubjicere hiſtoriam de petrificata noſtra cum examine medico, quam continuatam Martii Calendis nuperis Londinum ſub prælum miſeram; accipe ergo favore, non digna pro meritis Excel. T. ſed ut rei aliquantum miræ & veriſſime ſcriptæ ſingulare teſtimonium, ſpecimi-

cimina calculorum, patereque magnanime excel. nomen inter artis Patronos, meoſque venerari abs

D. Bernæ Helv. 9. Maii 1685.

DOCTISS. VIR

EXCELL. NOM. TUI

Cultore Aſſiduo.
S. R. M. D.

Ad Authorem.

GRatias duplici nomine habeo & debeo, & quod mei memineris, & pro tranſmiſſo raro munere per virum clariſſ. & artis peritia inſignem. Hiſtoriam hanc quod attinet omnino mirabilem, judicium meum ſuſpendere æquum eſt, donec conſtiterit an res naturæ vires ſequatur nec ne? Hactenus enim credidero cacodæmonem in partes venire, ſiquidem majora fragmenta, quam quod ex liberalitate Exc. V. penes me eſt, excluſa ſint, quis enim œſophagus, ut inferiorem gutturem prætermittam, impune tulerit illorum tranſitum? Interim quo me beaſti munere amiciſſ. vir, amplecti perge & favere.

D. Genevæ pridie Cal. Mart. 1685.

EXC. TUÆ.

Ex animo addictiſſ.
THEOPH. BONETO. M. D.

Ad Authorem.

NUperis accepi gratiſſimas tuas literas, una cum ſpecimine petrificationis in ſcatula exhibito, gratias & pro munere hoc eximio & affectu immerito ago habeoque maximas, rogo vero majorem in modum, ut paulo plenius de petrificata hac materia me informare digneris, neque enim examen à te ſcriptum, teſtibus laudatis literis tuis, adhucdum vidi; eſt apud nos petrificans aqua, quæ muſcum terreſtrem totum in ſaxum, non tam obducit, quam vertit, cujus exemplar ad te mittam proxime, modo occaſionem commodam novero; ut aliquod grati animi teſtimonium ſiſtam mitto ſpicilegium medicum de peſte his diebus prælo expreſſum. Si

levidenſibus meis officiis demereri porro affectum, vel honoribus tuis velificari ullo modo potero, glorioſum id mihi ducam. Vale ex voto Vir. Nob.

Dabam raptim Jenæ Saxonum 21. Junii 1685.

EXC. T.

Paratiſſ. S.
G. W. WEDELIUS
Arch. & P. P.

Ad Authorem.

QUod me gratiſſima tua epiſtola per celeb. veſtrum chir. D. Baurenkonig allata dignare, ſimulque admirandum puellæ veſtræ calculum tranſmittere volueris, pro ſumma tua erga me benevolentia agnoſco, & propterea maximas gratias ago. Admiratione dignus eſt hic calculus humanus, cujus hiſtoriam aveo ſcire, cumque eam Londino receperis impreſſam, ejus mihi Doct. V. fac copiam unico exemplari; interea, ſi vacat, & occaſio per Norimbergam vel Francofortum aut aliter ſe obtulerit, hiſtoriam ejus mihi calamo paucis adumbra, & omnes circumſtantias apud puellam conſideratione dignas ſignifica, ſc. vitæ genus, ætatem, parentes ejus num calculoſi fuerint? an? quod in multis puellis tenerioris ætatis accidit, ſingularium rerum appetitu depravato v. g. ad calcem lutum à parietibus abraſum, cretam, mineralem terram, laboraverit & adhuc ſit obnoxia; hæc & ſimilia nos in penitiorem rei & morbi eſſentiam inducere valent, quæque libenter prius noſſem, quam certum quoddam judicium de hoc calculo traderem; ita vir celeberr. Vale & animi grati teſſeram opus hoc noſtrum Botanicum accipe, tuoque literarum commercio ulterius fave.

D. Berolini 28. Junii 1685.

NOB. NOMINIS TUI

Cultori perpetuo
CHRISTIANO MENZELIO
Arch.

Ad Au-

Ad Authorem.

VIrorum opt. D. Baurenk. ut plurimum debeo, ita officioſe ſaluto, ille enim noſtrorum diſcurſuum memor datis mihi ſuis robur addidit verbis; excidit equidem hactenus calculorum iſtorum hiſtoria, quam tam amice nobis narravit, nec amplius recordari potui ob declinantis ætatis imbecillitatem, qua nunc laborare incipio. Inſignes interim ago gratias pro talis calculi tam amica communicatione, cujus tunc facta fuit mentio; te favente Doctiſſ. V. cum uberiorem hujus caſus obtinuero ſcientiam, quæ in hanc rem publico commendandam & examinandam obtuliſti, me in omni pro viribus adæquando officiorum genere invenies paratiſſimum. Ignoſce rogo, meæ, quam hic admitto audaciæ, & me experiero ſemper.

D. Norimbergæ 16. Octobris 1685.

EXC. T. DEVOTISSIMUM

J. G. VOLKAMERUM.
Col. Med. Sen.

Ad Authorem.

LIteras perlegi vidique horrendum illud metheorum microcoſmi, ſi materiam ipſius conſidero, ſanguinem eſſe in lapidem verſum non dubito obſtetricante calciformi quadam minera, cauſata à facultate viſcerum lapidifica, accedente ſanguinis fortaſſis menſtrui regurgitante & à viis ordinariis aberrante copia. Vidimus ſimiliter lac in mammis petrificatum, & tuſſi rejectos calculos; item vidimus bilem in veſicula fellis petrificatam & per inteſtina rejectam; obſervavimus calculos grandiores in inteſtino cœco natos & formatos, dein per inteſtina rejectos, tamen illos colorem bilis, hos inteſtinorum excrementa referentes. Hinc in hoc caſu exiſtimo petrificari ſanguinem, dictitante id colore; quin etſi ſanguis, lac, vel caſeus commiſceatur cum calce confici poteſt paſta, qua tanquam colla reuniri poſſunt fracta victilia, quæ poſtea dum ſiccatur lapideſcit & medium fit lapideum. Remedium foret decantata & mirabilis iſta aqua noſtra quæ fit ex - - - - - de qua ſex vel ſeptem cochlearia mane jejuno ſtomacho ſumuntur aliquot diebus, quæ non tantum lapides in quacunque parte corporis comminuit, ſed tollit vim lapidificam, præcipue ſi continuetur: aqua alia noſtra nephritica in

Rrr 2 pra-

praxi noſtra medica cap. de calculo veſicæ deſcripta per duos vel tres menſes, omni die vitrum unum ſumendo, multos juvabat. Aetatem ac temperamentum patientis non ſcripſit, hinc donec impreſſa viderim enucleatius reſpondere non poſſum: quantum ad D. Fratrem Ch. attinet, ſi quid potero, non intermittam, valeat interea Exc. V. & ſi quid ultra notatu dignum acciderit, notificet, dum maneo ad ...

D. Viennæ Cal. Junii
1656.

Obſequium cl. V. paratiſſimus

PAULUS DE SORBAIT
M. Dec. Exci. Regiminis inferioris Auſtriæ Conſiliarius.

Haſce aliquot epiſtolas adjungere placuit, candido lectori repetiti opuſculi & deſiderati argumentum, non vero quod ſagaciſſima judicia in aream vocare, magiſve a me abſit illis impingere velim, quorum Zephiro vela mea commendo.

FINIS.

XCVI.

EX IMMAN. WEISMANN

HISTORIA

LITHOTOCÆ MULIERIS.

Tubingæ 1716.

HISTORIA MORBI.

MUlier quinquagenaria paupercula, & duris laboribus adacta præcordiorum & ventris dolores, roſiones item ac lancinationes paſſa fuit, vagas in ſiniſtrum femur, dextrum brachium, in artus fere omnes ac totum corpus. Subinde mucos & arenas minxit, quod morboſum non habuit. Urgente vero mictu parco & doloroſo maritus medicaſtrum conſuluit, qui viſo lotio effatus eſt, Fœminam perplures calculos geſtare, tota corporis ſui interna ſuperficie cruſtis lapideis obductam eſſe, ut dolium tartaro, & ægre ipſi opem dari poſſe. Dedit tamen ille, ut & tonſor paganus, aquam Saxifragiæ albæ largiter bibendam, & uterque juſſit pubem oleis ungere. Frequenter & ubertim liquamina mucoſo-bilioſa evomit, non ſine cardialgia & febricula. Dormiens ſæpius expavit & leviter deliravit. Per intervalla intenſe ſitiit, & cum bibiſſet, quod ſolebat, Fontanam frigidam, in ventriculo auditus fuit ſibilus & fervor ſtrepidoſus, qualis a calce viva, affuſa ipſi aqua. Clauſa maximam partem alvo, crepitavit abdomen murmuribus admodum tonitruantibus, & ſonoris in longinquum, ſcybala aliquoties cruenta, exiturientibus imprimis calculis, quales non paucos nucleiformes tum, uti conjecturabatur ipſa, e veſica excreverat inopinato, cum doloribus hypogaſtrii pubiſque uncorum & cultrorum ad inſtar ſcindentibus. Pronuper ob nova tormina incalefactum in fornace laterem planum pannoque duplicato tectum ventri impoſuit, & illico in eo fragorem perſenſit inſequente teneſmodico conatu protenſo ad veſicam & poſteriora, quo per aliquot horas durante colluviem pituitoſo ſanguineam ac una 30. calculos ſua ſponte & ſucceſſive è muliebribus exoneravit, magnitudine & coloribus diverſos, è quorum nonnullis chalybe ſcintillæ prolectæ fuerunt. Maximus ultimo decidit è naturalibus in pavimentum lapſu gravi, *wie ein Pfundſtein.* Cum poſthac urina præter ordinem multa, effato clinicarum, *faſt Kreiden weiſſ* profluxiſſet, animo ſoluta fuit.

 Conva-

Convaluit cum admiratione plurium, maxime eorum, a quibus habita fuit incantata aut venefica, uſa quippe non paucis contra faſcina & veneficia. Parens illius pertinaci iſchuria demortuus eſt. Ab aliquibus curioſis & celebribus medicis deſiderabatur ſecari, non quidem calculis, ſed tabe moritura &c. &c.

FINIS.

EX JOAN.

XCVII.

EX JOANNIS JAC. LEMBKE

ET

ANDREÆ WESTPHAL

DISSERTATIO.

QUA PARS INTESTINI JEJUNI PER GUTTUS INFERIUS EXCRETA SALVA MANENTE ÆGRI VITA DESCRIBITUR.

Gryphiſwald 19 Decemb. 1741.

CAPUT III.

Continens Hiſtoricam morbi expoſitionem, adjectamque ejuſdem Reſolutionem.

MEMBR. I.

VIr quidam in Rugia, qui triginta & quinque annos expleverat, corpore laborabat ſcorbutico-cachectico. Matrimonio contracto, ſex intra annorum ſpatium mole quidem corporis valde augebatur, ſemper tamen infirmiori ac dubia uſus valetudine; in primis vero malo ſic dicto hypochondriaco vexatus. Integro illum ſanitatis ſtatu vigentem ac florentem, lac, atque cibi ex lacte confecti, mira adeo eum perfundebant jucunditate, ut tempore diurno & nocturno, hiemali & æſtivo, nullum aliud ciborum, ac potionum genus, quam lac acidum, dulce, craſſum, reliqua, ceperit, hauſeritque, omni cereviſiæ & aquæ uſu totam per æſtatem intermiſſo. Eſt autem minime prætereundum, quod vir hicce, ſi in loco commoraretur alieno, nec lac ſtatim ejus appetentiæ eſſet promptum ac paratum, graviter ſit adfectus, quid? quod animo linqueretur. Alias vero ejus ratio vivendi ad regulas parum fuit adſtricta, durumque & acidum ciborum genus in deliciis ei erat quam maximis.

MEMBR. II.

Membr. II.

Ante quatuor tunc temporis annos elapſos, ſenſit tumores circa umbilicum duros, qui ſingulos in annos mole & magnitudine increverunt; inſimul quoque his erant complicati dolores & pedes œdematoſi.

Membr. III.

Anno ſæculi hujus 35. opem in fonte Sagardienſi ſitam eſſe, ſibi perſuadebat, inque auxilii partes aſſumebat Elixirium quoddam viſcerale, quod compoſitum erat ex amaris extractis, & medicamentis, balſamica virtute gaudentibus, vique menſtrui aquoſi & liquoris terræ foliatæ, in ſubſtantiam fluidam quod erat redactum. Quo adhibito, erat ipſi meliuſcule, ſanitaſque, vacillans hactenus quodammodo redibat.

Membr. IV.

Anno 1736. menſe Januarii, diarrhœa quadam maligna putrida adfligebatur, cujus tamen cura tangebatur exigua, quin potius, ea durante, itineri glaciali, in ſpatia trium milliarium extenſo, amicorum viſendorum gratia, ſeſe committebat. Enim vero quadam in cauſa, ſummo animi exardeſcebat dolore, hiſque irarum ſtimulis adhuc agitatus, cibum capiebat.

Membr. V.

Omnia autem circumſpicienti optime videbatur, domum reverti. Dies agebatur 28. Januarii, quo præcordiorum anguſtiæ, ructuſque ventriculi, ardor ac ſpaſmi, ſiniſtri lateris, eum infeſtabant. Alvus effluebat largius, ac materia ejecta, colorem præ ſe ferens fuſcum, fœtorem ſpargebat teterrimum. Somno fungebatur inquieto, & turbato admodum, ſtomachoque erat obtuſo.

Membr. VI.

Symptomata hæc ſecutis oppugnabantur medicamentis, Conch. citr. antimon. diaph. nitro; rhabarb. camph. item, elixir. viſceral, de quo (membr. 3.) mentio facta eſt, cum liquore anodyno minerali Ill. *Hoffmanni.* Vices potus ordinarii decoctum c. c. citratum ſubibat ac ſuſtinebat.

Membr. VII.

Quæ adhibita vim morbi levabant quidem: ſpaſmi tamen & dolores

coli, non habebant ab illis medicinam, linimentumque ſufficiens. Miſſus vero ſanguis vim quamdam habebat ad ſtimulos doloris acutiſſimi aliquantulum frangendos ac contundendos.

MEMBR. VIII.

Ægrotus vero, firmæ valetudinis opinione ſeductus, aëri maturius, quam par erat, ſeſe ſubjiciebat nebuloſo frigido & humido. Quare ſecuta nocte dolores iſti vires iterum colligebant, & in latus ſiniſtrum inſultus comparabant atque inſtruebant vehementiores, ut ſalus ipſius conclamata eſſe videretur. Diarrhœæ furor ſæviebat adeo, ut omni fere momento alvum deponere cogeretur; paſſus præterea dolores latere in ſiniſtro vix ferendos, ut iis videretur diſrumpendus.

MEMBR. IX.

Symptomata hæc uſu medicamentorum, ſtatui morbi ſervientium, in primis autem injectione clyſteris, e lacte & oleo confecti, crebriori ſenſim mitigabantur. Diarrhœæ autem putridæ bilioſæ impetus non poterant omnino ſiſti, ac retardari, licet facti eſſent remiſſiores. Ex quibus ſpes inſtaurandæ ſanitatis adfulgebat; ſomnus quoque fractum ægrotum reficiebat; dolores compeſcebantur, ſtomachuſque illi excitabatur. Vi igitur morbi per dies octo laxata, intraque hoc temporis intervallum & elixirio illo viſcerali, cujus commemoratio membro tertio eſt inſtituta, aſſumpto, animus ejus denuo ira exæſtuabat. Quo facto, ea, quæ diximus ſymptomata, non acriori ſolum & vivaciori incurſione in ægrotum ruebant, ſed ille quoque viginti quatuor horarum ſpatio, quatuor decies epilepſia tentabatur. Inteſtinorum ſpaſmi convulſivi furorem ſuum effundebant adeo, ut ne ad temporis quidem ſpatium hi refrenarentur; ſed totus faciei habitus converſus, a ſtatu recederet naturali, regio oſſis frontis, naſus, manus & pedes, indolem veluti glaciei induerent, ac ſudor frigidus, cunctas regiones corporis invaderet. Quæ omnia lipothymiæ ſortes comitabantur.

MEMBR. X.

Hac in fortuna inclinata, & prope jacente, ægrotus per dies quinque verſabatur. Remediis, conditione morbi congruis, tam internis quam externis, clyſteribus autem quam maxime adhibitis ſpaſmorum vis quidem labefactabatur. Diarrhœa autem vim medicamentorum omnem eludebat.

MEMBR. XI.

Membr. XI.

Die, qui erat primus Martii, dolores immanes in latus ægroti ſiniſtrum graſſabantur, & partem quandam inteſtini excernebat. Qua cum excretione conjunctus erat fœtor graviſſimus & fluxus materiæ tenuis, badii coloris (*braünrote*) ſpeciem præbentis, fœtoremque pariter putridum reddentis. Quatuor poſtquam dies effluxerant, denuo dolores, vix ferendos, perpeſſus, filamenta emittebat inteſtinorum, putredine corruptorum.

Membr. XII.

His peractis, dolores ſedati erant ac diſcuſſi, ægrotuſque è morbo iſto ancipiti evaſiſſe videbatur, atque alvus ſemper erat ſoluta.

Membr. XIII.

Pars inteſtini excreti, uti è reſponſo magnifici & gratioſi Ordinis Medicorum Gryphiſwaldenſium didici, hunc quidem in modum comparata erat atque conſtituta. Conſpicienda exhibebatur tunica muſculoſa, & in hac præcipue annulares offerebantur fibræ cum interjectis vaſis ſanguiferis. In parte interiori hujus portionis inteſtini excreti, copioſæ deprehendebantur valvulæ conniventes, nec non multæ glandulæ miliares. Lateri vero hujus inteſtini excreti quædam meſenterii portio adhærebat.

FINIS.

GEORG.

GEORG. ERH. HAMBERGER
DE RUPTURA INTESTINI DUODENI.

Jenæ 18. Decemb. 1746.

Inter raros corporis humani affectus inteſtinorum ruptura merito numeratur: quamvis enim aër, intra inteſtina hærens, ſat magno interdum gaudeat elatere, ad hoc malum inferendum; niſi tamen ſit incarceratus, & putredine contentorum, una cum aëre in cavitate utrinque clauſa hærentium, inſigniter auctus, atque elaſticus redditus, inteſtina æqualis ubivis roboris vix rumpere poterit. Experientia enim docet, inteſtina, etiam tenuia, ita in ſtatu morboſo, abſque ruptura, expandi poſſe, ut diametrum triplo naturali majorem obtineant. Hac expanſione inteſtinorum, in ſpatium noncuplo naturali majus, ipſe quoque aër incluſus ad noncuplo majus ſeſe expandit ſpatium; elater ergo quoque ejus nonies naturali minor evadere debet, niſi quantitas aëris, per putredinem, nonies augeatur. Et hoc modo ruptura, quæ alias ſatis frequens eſſe poſſet, cum non ſint raræ obſtructiones canalis inteſtinorum, raro obſervatur.

Quod ſi vero robur inteſtinorum, per morbum prægreſſum, inſigniter in quadam parte debilitatur, etiam abſque obſtructione inteſtinorum, ſeu abſque aëris incarceratione, lethalis ruptura, ex ſola inteſtinorum & muſculorum abdominis univerſali conſtrictione, oriri ſolet, id quod ſequens probat hiſtoria.

Ancilla quædam deſponſata, ante duodecim annos, in pago quodam vicino, die 6. Octobris, mane hora 8. corbem prunis repletam, humeris ſuſcipit, & ad locum deportat deſtinatum; circa veſperam, domum rediens, de inſigni conqueritur abdominis dolore. Altero mane, cum jam abdomen intumeſceret, & febrilis ſtatus adeſſet, ſponſo præſenti tu, inquit, negotii, quod mecum habuiſti, rationes reddere debes, & circa veſperam moritur. Num alia quoque adfuerint ſymptomata, & quidem, uti probabile eſt, febris vehementior atque vomitus, ex adſtantibus ruſticis, quippe qui vel ancillas ægrotas parum ſolicite, præcipue in principio, obſervant, vel ſilentium tanquam tutiſſimum remedium, ſi ipſis cum magiſtratu res ſit, conſiderant, reſciſcere haud potui.

Tumor interim abdominis inſignis, poſt mortem obſervatus, brevitas

morbi lethalis in ſubjecto adparenter ſano, & verba morientis ſponſæ ad ſponſum, merito magiſtratui ſuſpicionem delicti commiſſi excitabant. Requiſitus ergo ad ſectionem judicialem, præter magnum abdominis tumorem, nihil, quod plurimis mortuis non ſit commune, obſervavi.

Diſſecto peritonæo, vehemens per vulnus erumpebat flatus, non fœtidus, quem mox materia fluida flava, minutis grumis albicantibus commixta, ſequebatur: cujus adhuc libras circiter duas in cavitate tam abdominis, quam pelvis reperiebam.

Facile quidem hanc materiam biliosam eſſe, cum aſſumtis non rite concoctis permixtam, perſpiciebam, ideo ventriculum & inteſtinum jejunum elevando & deprimendo agitabam, quo facto ſemper, inter ventriculum & hepar, modo aër, modo talis materia erumpebat. Retrepreſſo igitur paululum hepate, mox foramen rotundum, ſub magnitudine lentis minoris, cujus margo nigricabat, in inteſtino duodeno, ſex lineas a pyloro, obſervabam.

Diſſecto inteſtino duodeno, dictum foramen in centro annuli ſcirrhoſi hærere videbam, ita quidem ut diameter totius annuli, digito, latitudo ejuſdem quatuor lineis, æquaret. Medium iſtius annuli foveam rotundam, ferè hemiſphæricam, diametri quatuor circiter linearum, exhibebat, exterius ſola membrana communi tectam: admodum enim pellucida erat dicta membrana, nec ullum veſtigium tunicæ vel nerveæ vel muſculoſæ adparebat, & in centro hujus nudæ tunicæ communis foramen dictum hærebat.

Omentum & inteſtinum colon circa ventriculum inflammata erant. In cavitate ventriculi tunicæ prunorum, cum aliquot globis lactei coloris, ſed pulpaceæ conſiſtentiæ, reperiebantur, lac enim ſat copioſe, & pruna dulcia ægra aſſumſerat. Hepar hinc inde ſcirrhoſum erat, uterum vero talem, qualis in virginibus eſſe debet, deprehendebam.

Facile ex dictis adparet, cauſam determinantem rupturæ hujus inteſtini duodeni, in debilitate præternaturali parietum iſtius loci hæſiſſe. Villoſa enim nervea atque muſculoſa tunica cum in medio tumoris ſcirrhoſi & annuloſi deeſſent, ſola peritonæi tunica tantum robur iſti parti præſtare non poterat, quanto reliquæ partes, omnibus quatuor tunicis præditæ, gaudebant. Accedente igitur vi quadam extendente, facile tenuis hæc tunica externa perforari poterat, omnibus reliquis inteſtinis manentibus integris.

Scirrhi vel ex ſola obſtructione a materia viſcida, præcipue tartarea, oriuntur, vel ſunt effectus inflammationis prægreſſæ. Quamquam vero in hoc ſubjecto etiam hepar hinc inde erat ſcirrhoſum, adeoque ſcirrhus glandularum inteſtini duodeni, ex ſola ſimplici quadam obſtructione, oriri potuerit: minime tamen hic inteſtini duodeni ſcirrhus ex ſimplici obſtructione glandularum ejuſdem derivari poteſt, quia ſcirrhus in una parte, tunicas partium adjacentium, non ſcirrhoſarum, conſumere nequit. Ancillam igitur hanc, ante hac, inflammatione quadam iſtius partis, cujus medium ſuppuravit, extremum vero in ſcirrhum abiit, laboraſſe, ſi non neceſſe, ſaltim

ſaltim admodum probabile eſt. Suppuratione enim tunicæ inteſtini molliores, integra relicta externa, quippe denſiſſima, conſumi potuerunt.

Cum in toto inteſtinorum tractu nulla adparuerit obſtructio, qua aër verſus inteſtinum duodenum cogi potuiſſet, ſolus conatus iſte ſolito major, quem ancilla, tempore elevationis corbis onuſtæ, adhibuit, pro cauſa efficiente rupturæ haberi debet. Id quod duplici modo fieri potuit, nempe aut conſtrictione totius canalis inteſtinorum, una cum cavitate abdominis, qua aër, in toto tractu inteſtinorum hærens, magis compreſſus, & eo ipſo tanto magis elaſticus eſt factus, quanto major fuit conſtrictionis inteſtinalis gradus; aut conſtrictione cavitatis abdominis, per diaphragma & muſculos abdominis, tantum. Hac enim inferior pars inteſtini duodeni, vertebris proxime adjacens, una cum ventriculo, comprimi potuit; ventriculi vero compreſſione aër in inteſtinum duodenum propulſus eſt, qui cum ad inferiorem hujus partem, quippe dorſo adpreſſam, abire haud potuerit, ſuperiorem tantum partem expandere, & debilem iſtam membranam, cavum in medio ſcirrhi adhuc claudentem, rumpere debuit.

Inflammatio, bile & contentis ventriculi, tam per ſtaſin extra inteſtina, quam ab aſſumtis prunis, acribus factis, & perſpirationem inteſtinorum impedientibus, ideoque ſtaſin fluidorum efficientibus, orta eſt, & mortem attulit, febrem procul dubio vel etiam ſpaſmos excitando. Primariam vero inſignis tumoris abdominalis cauſam, aërem abdominis cavitati incluſum fuiſſe, vehemens ejus eruptio per peritonæum diſſectum probat.

Mirum quidem videri poſſet, cum, ob brevitatem morbi & fœtoris abſentiam, putredo, aërem liberans, adeſſe haud potuerit, adeoque alius aër, quam qui ante rupturam in inteſtinis hæſit, haud adfuerit, eundem aërem, qui, quouſque inteſtinis erat incluſus, nullum exhibuit tumorem, extra inteſtina delatum, abdomen expandere potuiſſe: At cum omnis aër elaſticus, reſiſtentia, qua in ſtatu compreſſo conſervatur, imminuta, ſtatim ſeſe expandat, aër vero in inteſtinis hærens, in ſtatu naturali, a triplici vi comprimatur, pondere nempe aëris exterioris, conſtrictione muſculorum abdominis, atque ipſorum inteſtinorum integrorum conſtrictione, ideoque majori longe gradu quam externus ſit elaſticus, non potuit non, quam primum ex inteſtinis per foramen ruptum in cavitatem abdominis prodiit, ob ceſſantem tunc compreſſionem, quam ab inteſtinis ſuſtinuit, ſeſe magis expandere & tumorem abdominis excitare, æque uti inteſtina, vulnerato graviter abdomine, ab aëre contento expanduntur, ita ut ex abdomine prodeant & vix queant reduci. Omne tamen incrementum aëris, ex inchoante humorum extravaſatorum corruptione, non nego.

F I N I S.

XCIX.

CAROLI FRID. KALTSCMIDT,

DE ILEO

A SCRUPULIS PIRORUM MESPILACEORUM EROSO ET PERFORATO.

Jenæ 1 Octob. 1747.

OPifex quidam 25. annorum præteriti menſis initio ingentem avellanarum pirorumque meſpilaceorum devorat copiam. Paſſione iliaca correptus per 14. dies a Medico ſatis perito fruſtra opem poſtulat. 14. m. p. die ego vocatus, ac quævis emollientia, diluentia & draſtica ἄνω & κάτω immiſſa fruſtra adhibita a circumſtantibus edoctus ægroto ☿ii vivi ℔j in oleo amygd. dulc. propino, clyſteribuſque emollientibus continuandum ſuadeo, additis juſculis lubricantibus. Omnibus autem irritis æger die ſequenti moritur.

Sectione die 16. inſtituta totus inteſtinorum tractus inflammatus apparebat. Imprimis autem ileum in parte inferiore in tribus locis perforatum prope valvulam Bauhini, ubi corrugatum & mire contortum tres quaſi ſeparatas cavitates fæcibus duris repletas efficiebat, ita eroſum erat, ut ab inteſtino colo quaſi abruptum videretur, non niſi paucis fibris cum inteſtino colo adhuc cohærentibus. In fæcibus in cavitatem abdominis effuſis in vicinia partis ilei dilaceratæ quieſcentibus aqua dilutis unciam circiter dimidiam ſcrupulorum ex piris meſpilaceis inveni, quorum quantitas etiam fere æqualis adhuc partim in fæcibus prope rupturam antea memoratam ilei intus, partim circa reliquas partes ilei eroſas deprehendebatur. Inteſtinis ex abdomine remotis Merc. vivi propinati portionem in cavitate abdominis fruſtra quærebam, quod tamen ex perforato ileo conjicere licebat, quippe qui ad partes eroſas non penetraverat, fæcibus induratis ilei partem ad ulnæ longitudinem a colo remotam adeo occludentibus, ut ne granum quidem penetrare ulterius potuerit. Corrugationem igitur ilei circa connexionem cum colo præternaturalem fæcibus induratis ejuſmodique ſcrupulis pirorum, duritie ac ſuperficie aſpera ad vitri contuſi figuram proxime accedentibus, obſtructionem, irritationem, inflammationem ac eroſionem præſtantibus, morbo incunabula ſtruxiſſe, uut ingurgitati ſcrupuli eroſionem funeſtam præſtiterint, in aprico eſt; triſtiſſimo ſimul exemplo, ſcrupulos ex piris ejuſmodi

modi meſpilaceis non temere eſſe deglutiendos, monente. Præter autem modo memorata jucundum erat, quod multis Dominis Commilitonibus ſequentia in cadavere hoc commonſtrare poſſem: (1) in poſteriori enim hepatis parte lobus præter naturam apparebat, linguæ humanæ figuram & longitudinem exacte repræſentans. (2) Veſicula fellea duplo major admodum inflata apparebat. (3) Inteſtinum duodenum amplitudine ſua colon fere æquabat, ita quidem, ut in eadem amplitudine a pyloro ſtatim pergeret, pylorus quoque duplo amplior, quam vulgo videmus, conſpiceretur. Cumque voracitatis id ſignum Auditoribus exhiberem, a circumſtantibus familiaribus defuncti teſtimonium ſequebatur, fame ipſum ſæpius præternaturali vexatum fuiſſe. Symbolam ſuam quoque contulit ad obſtructiones alvi in hoc ſubjecto hæc mala conformatio; cibis ventriculo propter nimium dilatatum pylorum aſſumtis remoram & digeſtionem ſufficientem denegante, crudiorem & minus ſubactam maſſam eorum in inteſtina protrudente ac potu ſufficienti ſuperingeſto, devoratis inprimis cibis minus reſolubilibus, & ſic obſtructionibus alvi paſſionique illiacæ pabulum præbente.

F I N I S.

HENRICI

C.

HENRICI HENRICI

ET

GEORG. LUDOV. NOTTNAGEL

DE

ABSCESSU MESENTERII

ET

MUSCULORUM ABDOMINIS PLANE SINGULARI.

Halæ 22 April. 1712.

§. I.

MEſenterium, inteſtinis, propter longitudinem in gyros intortis, ne confunderentur, interpoſitum & connexum, conſtat ex membrana duplici, peritonæo continua, intra quam vaſa copioſiſſima, arterioſa, venoſa, lymphatico-lactea, & tertia quædam membrana celluloſa, glandulis minoribus plurimis ſuffulciendis, & pinguedini, intra cellulas recipiendæ, dicata, continentur; interjacent præterea glandulæ mediæ meſenterii majores, nervorum rami plurimi, in plexus nodoſos collecti. Harum partium ratione uſum obtinuit varium, morboſque, juxta veteres, quam plurimos, certe non paucos ſuſtinet. Quæ cuncta uberiori explicatione proſequi, inſtituti ratio non fert. Id ſaltem in rem præſentem adnotare lubet, quod, cum per vaſa meſenterii ſanguis non ſolum tardius circuletur, remorante liberum progreſſum hepate; ſed & ex illis ſincerus excernatur, atque a ſordibus variis, viſcidis ordinarie, aliiſque corruptis, acrioribus &c. extraordinarie in dyſenteria, diarrhœis, depuretur; hanc vero in gratiam humores ſæpe in vaſa meſenterii congerantur; humor etiam chyloſo lymphaticus, meſenterii tunicas perluens ac pinguedinem deponens, tarde procedat; quod inquam ideo meſenterium ſtagnationibus, extravaſationibus, atque ſtaſibus humorum ſit expoſitum, hinc vero obſtructionibus, ſcirrhoſitatibus, inflammationibus, denique ſupurationibus, ſinceris & ulceroſis, mira ſymptomatum varietate comitatis; de quibus *Fernelius* ego, inquit, affirmo & profiteor, me choleræ, melancholiæ, diarrhœæ ac dyſenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, languoris, lentarum errantiumque febrium, latentium denique morborum, cauſas, in hiſce ſedibus plerumque animadvertiſſe. Latentium ejuſmodi morborum cauſa non raro abſceſſus meſenterii ſunt, licet, quod obſcura ſui ſigna præbeant, rarius obſerventur, adeo, ut hos *Fernelius* propterea prætermiſſos, nec veterum ſcriptis celebratos eſſe judicet. Procul dubio autem, (verba ſunt *Sennerti*) in multis reperirentur, qui lentis ac diuturnis morbis, variiſque ſymptomatibus, quorum cauſas reperire non facile eſt, quæque medicos ſæpe ſuſpenſos & dubios habent, exercentur & moriuntur, ſi eorum cadavera aperire liceret; ſed obſtat plerumque præpoſtera quædam erga mortuos reverentia, qua tamen impediri non poteſt, ne cadavera eorum putreſcant, & vermium eſca fiant; interim rei medicæ incrementum hoc modo non parum impeditur. Licuit equidem ex eo tempore, quo ſtudia anatomica diligentius repetita & exculta ſunt, non pauca abſceſſuum meſenterii exempla obſervare; expedit tamen, ut in re obſcura colligantur obſervationes quamplurimæ, quo ſub harum copia & majore, quam putatur, frequen-

quentia facilius in rei obſcuræ ſuſpicionem ſaltem maturam, ſi non perfectam cognitionem, deducti, in tempore ad eos attendamus, & antevertere allaboremus morbos, qui facti, medelam reſpuunt utplurimum, & in defectu obſervationum, vix ante, quam poſt mortem, ſectione cognoſcuntur. Ita enim comparatus eſt humanus animus, ut ad rara, niſi manifeſta fuerint, raro cogitatione reſpiciat; & ſæpe ægro nocuit, quod medicus de morbo ne cogitaverit quidem. Expedit igitur & medico & ægro, ut per frequentiam obſervationum præjudicium de rei raritate deponatur; id enim certo mihi perſuaſum habeo, quod ſæpius occurrant meſenterii abſceſſus, quam vulgo creditur. Quare, cum & mihi licuerit videre quædam eorum exempla notatu digniſſima, non præter rem me facturum arbitror, ſi eadem rationibus ſuis atque obſervationibus aliquot, recentioribus præcipue, illuſtrata, loco diſputationis inauguralis exhibeam. Præ ceteris admiratione non minus, quam notatione dignum caſum tribus abhinc annis in anatomia publica viſum, propius intueri, & accuratius explorare mihi licuit, hunc referam primum, dein ad alia progreſſurus. Faxit *Deus* feliciter!

§. II.

Tertius jam annus eſt, quod modo dixi, cum infanticidæ cadaver ſecaretur publice, feminæ, quæ, dum uterum geſſerat, uti & antea, licet operis ſuis ſic ſatis par, valetudinaria tamen fuerat; mox a partu decubuit admodum debilis, febre hectica prehenſa. Fama ferebatur, computruiſſe ipſi placentam uterinam, ſed integram fuiſſe excretam, binæ teſtabantur, quæ curam ejus in cuſtodia habuerant, fæminæ; addebant, lochia reddidiſſe male olentia, menſes quoque poſthac viſcidos, putridos, pallide rubentes. Receptum igitur cadaver ejus in theatrum anatomicum, abdomen exhibuit, detracta cute, lividum quodammodo; cum, obliquorum tendines a ſubjacentibus rectis albaque linea ſeparando, ad ſecundam, a coſtis, recti ſiniſtri interſectionem nerveam deventum eſſet, niger is apparuit, atque adeo mollis, ut ſphacelatum crederes. Miratus D. Præſes, viſuruſque, quid monſtri aleret, abdomen ſecundum lineam albam aperuit. Obſtupuimus, qui aderamus; quid viderimus, quæris? reſponderet, ſi vidiſſet Kerckringius, qualia de tabacomaniaci diſſecti pulmonibus reſponſi loco dedit: domum mihi intrare viſus ſum vere plutoniam! atro colore tincti erant parietes interni, viſceraque contenta tartareis flammis partim exuſta aridaque, partim conſumpta fere, venenato quaſi ſtygiæ paludis ſucco imbuta, videbantur. Nobis quæ viſa fuerint, citra hyperbolicas ſimilitudines, vere, uti comparuerunt, recenſebo.

§. III.

Facta abdominis ſectione (1) *Inteſtina* propullularunt, nullo omento tecta, valde tenuia, atque tum inter ſe ſubſtantiam tenus, quo loco vaſa meſeraria ſubeunt, tum per filamenta craſſa, tota nigricantia & viſcedine purulenta, nigra quoque, (vaſa fuerant) hinc inde citra modum naturalem, connexa, denique & ſuperne peritonæo adnata, (2) *Meſenterium* undique nigra viſcedine purulenta obductum, maximam partem abſceſſu conſumptum, relictis vaſis intus & extus nigerrimis, ſuperne vero prope duodenum, ſupra glandulas medias (nihil alteratas) abſceſſu notabili, pureque adhuc ſincero pleno, occupatum. (3) *Vaſa meſaraica*, abſumto meſenterio, denudata, reliqua ſub obſcura viſcedine purulenta occultata, cuncta nigerrimo ſanguine, quædam & indurato, repleta, præ ceteris ramus hæmorrhoidalis, (inter ſplenicum & meſeraicum ortus) admodum craſſus. (4) *Omentum* nuſquam comparuit, cujus tamen reliquiæ fuiſſe videbatur *membrana*, denſa, ſpithamum longa, duos digitos tranſverſos lata, vaſis & pinguedine carens, ventriculum, colon, hepatis marginem, & jejuni inteſtini partes, per tortuoſam ejus complicationem, propinquiores, colligans. Hæc circa abſceſſum. Ex reliquis partibus (neque enim piget addere) (5) *Hepar* integrum apparuit, ſolito tamen majus, colorifque, quaſi aqua elotum, albicantis, & ſubſtantiæ mollioris. (6) *Veſicula fellea* bilem continuit paucam, aquoſofluidam, dilutam, grumulis ex flavo nigricantibus interſperſam. (7) *Pancreatis* figura depreſſior in rotundam elevata, (8) *Lien*, lotura quaſi carnis, turgidus, brevior & rotundus. (9) *Renes* pallidi, majores ſolito, pelvi tamen, pro mole, anguſtiore, biniſque ſolum papillis inſtructi, obliteratis forſan per expanſionem nimiam reliquis. (10). *Uterus*, craſſitie magnitudine & figura penitus naturalis, per ſubſtantiam multis lineis nigricantibus diſtinctus, intus quoque aliqua viſcedine nigra inductus. (11) *Peritonæum* in ambitu toto putrilagine nigra illitum.

§. IV.

Quibus ita perluſtratis, ad *muſculos abdominis*, regreſſi horum quoque *abſceſſum* vidimus notabilem, circa quem obſervavimus (1) *muſculos* abdominis, omnes quadantenus, verſus lineam albam magis, maxime omnium autem ſiniſtrum rectum, ex livore vireſcere, hunc nigricare valde. (2) *Peritonæum*, cum tendines tranſverſi muſculi, a toto recto ſiniſtro, a ſecunda hujus interſectione ſuperna, uſque ad os pubis, abſceſſione ſeparatum; intus vero, & per ambitum abſceſſus, plurimum puris denſioris, ex flavo viridoque nigricantis. (3) Prope umbilicum ille

abſceſſus erat *latiſſimus*, unde *adſcendendo*, deſeruerat rectum, inter tranſverſarios oblique verſus renem inclinans, ſub quo binos habebat ſinus, alterum latiorem, brevioremque, alterum anguſtiorem & longiorem; illum ad ſitum vaſorum emulgentium deſinentem, hunc intra carnes (longiſſimi & ſacrolumbi) muſculorum dorſi, ad hujus coſtæ ultimæ, juxta vertebram, initium. *Deſcendendo* a. pus viam ſibi paraverat, intra peritonæum & carnem recti, (illoque ab oſſe ſacro divulſo) ſupra obturatorem internum muſculum, per muſculos in femore ſitos, uſque ad genu externum, ubi, detracta cute, per foramen exiguum in faſcia lata exeſum, ingentem ſinceri puris copiam eructabatur, (ultra genu deſcenderat pus antea, & tumore excitato factaque apertura proruperat copioſum, in cuſtodia conſolidata iterum, cujus veſtigia tenebat cutis.) Sunt hæc, quæ circa utrumque abſceſſum notavimus, præcipua. Quibus curioſitatis ergo addo, *polypoſam concretionem* carneo-ſanguineam *in venæ cruralis*, qua per femur decurrit, medio, repertam; tumebat ibi vena ad digiti longitudinem, aperta continebat polypum, pollicem craſſum; videbatur ſanguis niger coagulatus eſſe, ſed tenuiſſima tunica inductus, interne carnem polypoſum album, extremum minimi digiti articulum exæquantem, & utrinque in ſanguinem, uti dixi, deſinentem, occultabat. In reliquis partibus corporis nihil, quod præter naturam eſſet, præter atrophiæ ſigna, repertum fuit.

§. V.

Huic caſui ſubjungam ſtatim alium, non quidem meſenterii, ſed *muſculorum abdominis abſceſſu*, aliorumque p. n. repertorum, curioſa raritate notabilem, ipſa hac hyeme in puella 11. annorum, pro faſcinata habita, ideoque ſectioni conceſſa, notatum. Hæc in alto ſuperne dorſo & pectore, abdomine depreſſo, capite grandiuſculo varia miranda, licet nulla miracula vel præſtigia exhibuit ſpectantibus. Triennium abhinc, ſupra ſpinam ultimæ dorſi vertebræ eminere cepit tuberculum rubrum, in gibboſitatem tamen, quod metuebant, ideoque arcto thorace compreſſerant, non excretum, ſub hujus preſſione tamen excoriatum ſæpius, ſemperque parum ſanguinis exſtillans. Acceperat puella ab anu prætereunte, pro ſaga vulgo habita, prunorum atque ceraſorum bonam copiam, qua devorata, peſſime habere cepit in ventre & capite, ex dolore, ſub tuberculo & fronte, intenſiſſimo, lancinante & morſicante, ut ſe audire, poſſeque adſtantes auditu percipere, rodentis vermis fremitus, credebat. Accenſis dolorum facibus, pectus ad abdomen adeo comprimebat, ut a malo dæmone contrahi crederetur. Spiritum ſemper alto pectore & cervice ſupina, ægre ducebat, cum intercurrente cordis palpitatione, & anguſtia pectoris ſæpe ſuffocativa. Contabuit penitus; tandem,

a

a menſe ante mortem ex febre hectica, (manifeſta) decumbens, diem ſuum obiit. Sectioni ſubjecta 1. In *infimo ventre* (1) *ventriculus* occurrebat admodum exilis, recta ex ſtomacho ſuperiori dependens, ut pylorus umbilicum tangeret, ſuperne gracilis, inferne parum ampliatus, ſiniſtrorſum ne quidem pollicem latum infra pylorum deſcendente ampliatione ſaccata; cunctis ratione magnitudinis figuræ & ſitus p. n. & ordinem ſe habentibus. (2) Ex renibus ſanis *ureteres* in veſicam protendebantur late depreſſi, ad piſi majoris capacitatem ampliati, nullibi ullo calculi veſtigio invento. (*obiter, reminiſcor ureteris ex reſtagnante, ob calculum veſicæ, urina, adeo extenſi in puella quinquenni, ut inteſtinum mentiretur, ubi & ren extenſione ſui alterius magnitudinem triplo ſuperabat.*) (3) Sub rene ſiniſtro, elevato (ut ciſterna lymphatica conſpectui daretur) peritonæo, intra hoc, & muſculos abdominis *abſceſſus* notabatur, ultra duos tranſverſos digitos amplus, humore ſubcruento quaſi lacteo fluido plenus, lateraliter ſpiſſo pure illitus, ortus ad ultimam dorſi vertebram, hinc ſuper muſculos dorſi oblique ad abdominis muſculos adſcendens, ſubter hos pergens, ſuperatoque oſſe ilium, ad ulnæ quadrantis longitudinem in profundum femoris ſe demittens, quantum ſtilo proſequi licuit. Ad hujus principium (4) *corpora* ultimæ dorſi, primæ lumborum, *vertebrarum*, arcte ligata alias, abſumpto per ſuppurationem ligamento, *dehiſcebant*, ut digitum commode interponeres. Ab hoc hiatu dextrorſum (5) *alter abſceſſus*, per proceſſum diaphragmatis, quem perforaverat, oblique dein per muſculum lumbarem, porro ſuper quadratum dorſi, & tranſverſum abdominis, intra hos & peritonæum, deorſum, uſque ad os ileum, protendebatur, cavitate abſceſſus, intra proceſſum diaphragmatis, calloſa tunica munitum, pure denſiſſimo, quaſi medulla ſpinali, ſuffarcta, reliqua humore vacua, lateraliter pauco pure conſperſa, duos tranſverſos digitos ampla. (6) *Venæ portæ* truncus ſub *magno tumore*, ex multis vomicis, craſſiſſimo pure plenis, conflato, latebat. Similes *bini tumores* ad marginem oſſis ilium ſupra ſiniſtrum abſceſſum, hærebant, multæque (7) in meſenterio minores *glandulæ* apparuerunt induratæ. (Uterus *minimi digiti extremum articulum vix æquabat, tubæ* Fallop. *ad fimbrias & uterum apertæ cernebantur. Teſtes, ſub figura & magnitudine mediocris amygdalæ renes ſuccenturiatos, quæ ſubſtantiam glanduloſam, referebant, externe nullis, interne minimis ovulorum veſtigiis, vel atomis potius, comparentibus*).

§. VI.

Merentur reliqua, licet a ſcopo jam noſtro aliena, raritate tamen, ex parte, ſua, commemorari hac occaſione. Namque 2. *in pectore* (7) *pulmones* a tergo undique, dextrorſum uſque ad mediaſtinum, & cum hoc; ſiniſtrorſum ad medium pectoris, cum pleura connexi, ceterum non niſi

tu-

tuberculo uno notati, nulla vero vi halitus inſufflandi. (8) Vaſa arterioſa, ampliſſima, *polypis craſſioribus*, ex imo cordis ventriculorum protenſis, ſuffarcta; in his varia quoque alia polyporum initia, ſeptem, ni fallor, numerata, ſatiſque craſſa. Lata præterea polypoſi carnis textura auriculæ cordis dextræ intus obtenſa. (9) Eadem vaſa cum trachea *tumore*, ad pugnum puella ejus, elevato, *ex vomicis* pluribus rotundis, materia craſſa caſeoſo-butyracea refertis, majoribus minoribuſque, conflato, dorſoque inhærente fixius, obſeſſa fuerunt; quales quoque tumores ſub pleura, ad coſtarum initia, latitabant plurimi. 3. Sub *calvaria* (10) *Cerebrum* tactu durius viſum eſt; ſeptumque pellucidum tenacius quam viderim unquam, namque alias blanda elevatione corporis calloſi, rumpitur; medulla vero oblongata, circa rimam ventriculi tertii, flavedine quadam tincta, adeo mollis erat, ut & ſub cauta cerebri exemtione, ſolaque hujus, manibus tamen ſuffulti, inclinatione, creparet per medium. Per interſtitia cerebri & cerebelli, citra horum læſionem, (11) *Seri extravaſati* magna copia profluebat ex ventriculis & fundo calvariæ. In iſtis (12) *Plexus choroideus* nullis vaſis diſtinctus ad ſenſum apparuit, plurimis vero glandulis miliaribus notatus, attamen exemtus ac diligentius perluſtratus quatuor vaſa exhibuit, ad culmi ſtraminei amplitudinem nullo negotio inſufflanda; ſanguifera fuiſſe credo, cum & (13) *Arteriæ carotides* in cranio penitus albicarent, nec quicquam continerent ſanguinis; intra quas (14) *Infundibulum*, vel per crepaturam retractum, vel per eroſionem conſumtum fere apparuit, quamvis nullibi in cranio, ulla eroſionis veſtigia viſa fuerint. Denique (15) *Polypus* quoque intra ſinus duræ matris, falciformem & laterales, continebatur, pennam anſerinam minorem craſſus in medio, prope fines culmum ſtramineum; ibique in ſanguinem coagulatum, tunica arachnoide quaſi incluſum, deſinens.

§. VII.

Binis hiſce caſibus ita recenſitis progrediemur jam ad abſceſſuum meſenterii & muſculorum abdominis Pathologicam, per rationes aliaſque obſervationes, explicationem. Et, quantum primo ad abſceſſus meſenterii attinet, quamvis *Riverius* non omnes ab inflammatione fieri dicat, pro certo tamen habemus, quod omnes a ſtaſi humorum per inflammationem ſuppuratoriam generentur. Humores, qui ſtaſin, ſub extravaſatione, vel tranſitu intercepto, ſubeunt, ſanguis eſt & lympha ſeroſa. Hi continentem, inflammatio vero efficientem cauſam abſceſſuum præbent, ſine qua ſi perduraret ſtaſis humorum, nullam ſubirent ſuppurationem; ſanguis enim natura ſua fertur in ſphacelationem præcipitem, ſibi relictus; ſerum tenuius & acrius, bilioſo ſalino-ſulphureum, in ulceroſam corruptionem lentiorem; ſerum craſſius, tartareo-viſcidum, in

in ſcirrhoſitatem, diffluente humido, tardiſſimam. Quæ quidem humorum, partiumque ſolidarum, corruptiones, facta ſemel ſtaſi, expediuntur per copioſiorem ſanguinis affuſionem, conſilio (juſto vel erroneo) aut caſu quoque, factam; ſub qua tenuiſſimæ agiliores particulæ e nexu mixtionis liberatæ, fermentativo-putredinoſæ, eluuntur, abripiuntur, devehuntur; craſſiores autem, ex altera parte, diluuntur, agitantur, agitatarum ſubtiliores factæ, modo priore, abripiuntur, reliquæ in pus excoquuntur &c. ſicque generantur apoſtemata: pus dein optime quidem effunditur vel excernitur foras; peſſime vel retinetur vel ad interiora effunditur, unde non datur exitus vel eductio commoda; medio modo a natura, de conſervatione corporis ſollicita, concluditur intra tunicam, in qua fluidum, vel diffluente aquoſitate, craſſiuſculum quoque pus ſatis diu quietum latitare poteſt, atque hac ratione vomicas dictas exhibet. Ceterum inflammatio, ſtaſi ſuperinducta vel conjuncta, pro partium diverſa poroſitate, qua ſanguinem vel copioſius vel parcius admittunt, itemque pro vario impulſu, jam vehementior, jam lenior, plus vel minus æſtuoſa, ſicuti pro fibrarum conditione, plus vel minus doloroſa; indeque ſuppuratio jam celerior, jam tardior, eſſe ſolet. Ne actum nos agere oporteat, ſuperſedebimus uberiori inflammationum atque abſceſſuum explicationi in genere, cum *Excell. D. Stahlius* eandem latius, atque primus ſolide, exhibuerit in *Diſpp. de vera Inflamm. Pathologia*, alteraque de *Abſceſſ. & Furunc.* nos ad ſpecialiora deſcendemus, viſuri quibus de cauſis, quibuſve modis, abſceſſus meſenterii contingere ſoleant.

§. VIII.

Equidem meſenterium in ſe, *antecedenter*, tantam ad ſtaſes & inflammationes, ergo nec ad abſceſſus, diſpoſitionem non habet; cum ex tenuiſſimis membranis, maximam vero partem ex pinguedine, conſtet; paucoque ſanguine, ſed potiſſimum lympha chyloſo oleoſa irrigetur, & perluatur; & licet ratione glandularum minimarum ad obſtructiones diſpoſitum ſit, illæ tamen non niſi lympham, ſerumque tranſmittunt, qui humores, ſi forſan hæreant ex craſeos vitio, ſcirrhum potius efficiunt, quam abſceſſum. Quare niſi aliunde diſpoſitionem quandam haberet, æque raro in eo abſceſſus contingerent, atque in panniculo adipoſo; quamvis & hæc ejus propria diſpoſitio, ſi aliunde ſtaſes inducantur, inflammationes non niſi lentas miteſque, & ſuppurationes tardiſſimas, illas etiam minus æſtuoſas, ac minus doloroſas, admittat. Nihilo tamen minus, quoniam vaſa meſeraica in uſum communem conſtituta, a quibus & meſenterio propria deducuntur, ſub congeſtionibus humorum excretoriis, motibuſque impeditis, infarcui præ ceteris partibus expoſita ſint & oppletioni; ideo & meſenterium aliquam ad extravaſationes ſta-

ſeſque diſpoſitionem habet, ut reliqua taceamus. An ſimilem quoque ad inflammationes, dubitari poſſet, tum quod pauciſſimo ſanguine perluatur ejus ſubſtantia adipoſa; tum quod tardiſſime ſuccedant ſuppurationes, abſque ſenſu æſtus & doloris, niſi forſan gravativi; unde & quidam veterum non ſemper ab inflammatione dependere abſceſſus meſenterii, tradiderint; præterea pinguedinem, quæ maximam meſenterii partem conſtituit, & materiam puris collectioni præbet, per ſolam ſui colliquationem reſolutoriam, a ſanguine putreſcente primum inductam, abſceſſus poſſe progenerare, exhalantibus forſan & particulis agilioribus, ſphaceloſo-ulceroſam, ſi retinentur in ſtaſi, corruptionem inducentibus. Verum hæc tanti non ſunt, ut nos a ſententia dimoveant, poſſuntque per jam memoratam diſtinctionem inflammationum facile dilui, &, quod hæc, facta ſuppuratione, ceſſare maximam partem ſoleat, pure nihilominus increſcente. Hæc de diſpoſitione meſenterii ad abſceſſus. *Cauſæ continentes* diximus eſſe ſanguinem & lympham ſeroſam, per motus aut craſeos vitia; nempe (1) per *ſtagnationem* humorum ab eorum congeſtione, aut viarum obſtructione vel adſtrictione &c. (2) per *depoſitiones* humorum, corruptorum præcipue, rheumaticas aut metaſtaſicas, denique (3) per *motum internum* inflammatorium undecunque inductum. Craſeos vitia partim a dictis *motibus* depravatis dependent, partim a *nutritione* læſa, partim a *ſequeſtratione* impedita; ut hæc in compendio ſiſtamus.

§. IX.

Primam cauſam jam diximus eſſe *ſanguinis ſtagnationem*, congeſtoriam, aut quamcunque aliam obſtructoriam. Scilicet notum eſt, quod ſanguis pro *hæmorrhagiis* excitandis, pro menſibus & hæmorrhoidibus, aut, ſub horum impedimentis, pro vomitu quoque cruento, propellendis, copioſius congeratur in vaſa meſaraica, ad inſignem quandoque eorum, horum illorum, expanſionem; ſub hac *congeſtione* duplex vitium ad ſtaſes inferendas progeneratur, nempe *diffuſio* ſanguinis extravaſatoria, maxime ſub niſu fortiori propreſſorio aut expreſſorio, cauſiſque occaſionalibus externis concurrentibus, ut remediis calidioribus, emmenagogis & abortivis; deinde ſub congeſtione ſtagnatoria magis quieta accidit ſanguinis *ſpiſſitudo* ob quam hærere in vaſis capillaribus poriſque minimis, & ſtaſin concipere poteſt atque ſolet; ſtagnant ibi etiam, lenteſcunt, viſcidinem & craſſitiem tartaream atque corruptionem quandam ſalino acidam vapoeſcentem ſubeunt humores lymphatico ſeroſi. Cuncta hæc diſponunt vel deducunt humores ad ſtaſes, quæ non diſcuſſæ, id quod per febres non ſolum, ſed ipſas quoque inflammationes quandoque ſuccedit, ad ſuppurationem ſub inflammatione perveniunt, & in abſceſſus degenerant. Similis ſtagnatio, sed magis paſſiva, contingit

per viarum, quas permeat ſanguis meſeraicus, obſtructionem vel adſtrictionem, hepatis præcipue, quod omnis ſanguis meſeraicus tranſire debet, ut circulum ſuum abſolvat, fracto tamen impulſu a tergo; cujus vero defectum reſarcit motus hepatis cum diaphragmate reciprocus, qui ſi debilis fuerit, ſtagnationibus non parum favet, &, quæ iſtas conſequuntur, ſtaſibus, inflammationibus, & abſceſſibus. Quæ obſervationibus quibuſdam explicabimus.

§. X.

Et primo quidem quantum ad *menſium* negotium præpeditum fortiuſque impulſum attinet, redit in memoriam virgo quædam juvencula, 15 annos nata; hæc per aliquod tempus valetudinaria tandem chloroſeos & cachexiæ ſymptomata patitur; recte incuſabantur menſes præpediti, male vero urgebantur per fortiſſima quæque impellentia, emmenagoga, neque tamen propelluntur, ſed pejora fiunt omnia; ſupervenit febris; hæc lenteſcit, contabeſcit virgo, dolet in ventre, ſuſpicatur abſceſſus muſculorum abdominis, ab aliis pus in hujus cavitate; cum aliquando, morti proxima, animo deficeret, fit inciſio abdominis a chirurgi peritiſſ. cauta manu, emanat puris magna copia ex cavitate, virgo tamen evadit hodieque ſana eſt. Hoc caſu ex congeſtione ſtagnatio nata fuit, ab hac ſpiſſitudo, hinc ſtaſis, in vaſis aut poris minimis, vel diffuſio ſanguinis extravaſatoria per fortiora emmenagoga, tandem abſceſſus meſenterii, ruptus effuſuſque in abdomen; quod, ſi quis addubitet, ſimili caſu per ſectionem certiore facto, declarare poſſum. Virgo tenera atque ſenſibilis, ab ineunte ætate ſaniſſima, anno hujus 17. moleſtiis torminoſis in ventre, anheloſogravativis in pectore, doloribuſque capitis vexari cepit; incuſant parentes remeratos menſes, horumque provocationem rogant medio hyeme, jubentur vernum tempus expectare, commodius venæ ſectioni & medelæ reliquæ; datis iterum paucis, quæ ſymptomata ſublevarent: ſed cum ilico non ceſſarent, ex alio conſilio mittitur ſanguis, urgentur menſes purgantibus, emmenagogis fortioribus, vino meliſſa medicato; ſymptomatibus proſpicitur ſalibus volatilibus, caſtorinis, opiatis &c. denique in martialibus ſpes omnis collocatur; fruſtra omnia; vere adulto corripitur febre, tandem lenteſcente: vertente anno priori medico quæ geſta fuerint per annum exponunt, ſuadentur leniora, laxantia, balſamica, aliaque, continuantur per menſem, ſubinde per alvum egeruntur viſcida, ſuberuenta, rarius purulenta; ſperantur meliora, ſed febricula non ceſſante declaratur metus de abſceſſu interno, creditur, ſed tractatur pro phthiſica, moritur autumno; impetrata ſectione, qui ſubeſſe dictus fuerat abſceſſus internus, reperitur intra meſenterii tunicas concluſus adhuc, cum inſigni venarum extenſione, & inteſtino-

rum rubedine hinc inde notabili. In hoc caſu quid poſſint impellentia exagitantia, intercipientia humores & vias, videntur ſimul declaraſſe liquido. Par ratio eſt, ſi talia aliaque abortiva, ad conceptum exturbandum largius hauſta, nimis impellant ac diffundant humores, cujus rei teſtimonium daret forſan infanticida primo nobis commemorata; nam quæ fœtum, furtivo amore conceptum, celavit necavitque enixum, hanc nihil eorum, quæ ad corrumpendum uterum pertinent, intermiſiſſe, non injuria præſumitur. Nolumus tamen, cum certo non conſtet, ſuſpicionibus uti pro veris.

§. XI.

En exemplum notabile de negotio hæmorrhoidali turbato. Viro quinquagenario hæmorrhoides jam fluxerant aliquoties; pro damnoſis judicatæ, cum denuo inſtarent, retinentur duplici V. S. in brachiis eodem die facta, aliiſque remediis, ne redeant, prohibentur; ſubſiſtunt ex voto, ſed cum vindicta de neglectu ſui, per multos annos, graviſſima: variis nempe hypochondriacis colicisque malis valetudinariam ille vitam exegerat per octo annos, cum febre tertiana corriperetur, ſuccedente huic ſuppreſſæ, mox lenta, denique hectica, tandem cum peſſimo ſymptomate quotidie exacerbata. Patiebatur enim a menſibus aliquot, ſub horam quotidie ſecundam vel tertiam, ingentem anxietatem æſtuoſam, inquietam, neſciebat qualem, intra abdomen maxime in ſuperna regione epigaſtrica, & paululum ſubtus, cum febre exacerbata uſque ad veſperam, anxietate illa interim poſt binas tres horulas in dolorem obtuſum mutata. Cognito fundo mali, tum ſymptomati, tum febri proſpicitur per convenientia remedia ex ordine mitigata febre ac anxietate per talia, quæ ſanguinem in venæ portæ ſtagnantem expedirent quoque, ſub horum uſu meliuſcule habens, ſummo quodam mane maximam ſanguinis corrupti, fæculenti κάτω, nigricantis ἄνω rejicit; poſt quinque horas ſponte ceſſat excretio, ſperantur meliora, ſucceſſit quidem paulo poſt excretio materiæ viſcidæ ſanguineo purulentæ, ſed pauca & intra menſem, abſque adſtrictione omni, deſinens. Binos poſt menſes correptus tertiana, utitur febrifugis vulgaribus, ſuccedit huic lenta, tandem hectica, moritur ſeneſcente autumno. Abſceſſum in meſenterio præſumtum, equidem non ſectio, negata, attamen puris excretio & ſimilis fere caſus apud *Marcell. Donatum* perſuaſit. Hic virum refert, febre valida prehenſum, denique ſanguinem nigerrimum, corruptum, peſſime olentem, ad 15. librarum pondus, (neque minus prior ille reddiderat,) per alvum excreviſſe, in cujus cadavere aperto, ea parte ſuperiore, qua inteſtino recto annectitur (ad regionem hæmorrhoidalis venæ) ulcus ſordidum, ad ſpithamæ longitudinem, inventum fuit.

§. XII.

§. XII.

Affectionem hypochondriacam utplurimum, colicam non raro, ad negotium hæmorrhoidale ſpectare, id in certis probatiſque numero; utramque meſenterii abſceſſibus præluſiſſe, obſervationum fide conſtat, concurrentibus præcipue ac intervenientibus cauſis προκαταρκτικοῖς aliis. Recordor viri, colica hæmorrhoidali per aliquot annos afflicti, & remediis carminativis calidiſſimis ad abuſum uſque tractari, tandem vero pus per alvum reddentis; credebatur ex vena hæmorrhoidali provenire, ſed augebatur in copia ſucceſſu temporis, & ſub excretione tormina ventris urgebant; inter hæc incidit in febrem ardentem cholericam, quæ & ipſa pro ſymptomate colico habebatur, jugulabat autem ægrum intra quatriduum; morti vicinus ipſe rogabat indagationem mali ſui feralis; hinc facta ſectione nonſolum inflammatio in ventriculo & duodeno gangrænoſa apparuit, ſed & abſceſſus in meſenterii medio fere, ſincero pure, ultra palmæ latitudinem, & ſequi pollicis geometrici altitudinem, repletus. Scilicet, ſub congeſtione ſanguinis hæmorrhoidali per inflammationem calidiſſimis remediis promotam, abſceſſus ante febrem productus fuerat; vereque dixit *Cæcil. Folius* in Epiſt. ad Barthol. Tormina ventris non a flatu tantum, calculis, humoribuſque inibi contentis, oboriri dicendum eſt, ſed ſæpe, ac ſæpius, a glandularum meſenterii pancreatiſque abſceſſibus & apoſtematibus, quarum ſævitiæ, poſt vehementiſſimos cruciatus, infeliciſſimi patientes ad commiſerandam mortem vehuntur. Quod *Foreſtus* in obſ. ex *Benivenio* de juvene probat, ex alvi torminibus mortuo, & diſſecto; in cujus meſenterio abſceſſus notatus fuit. *Volch. Coiter.* in obſ. quoque viri meminit, qui affectione, hypochondriacæ non abſimili, & tumore in ſiniſtro genu atque abdominis parte, laborans, poſt mortem, magnam colluviem purulentæ materiæ ac fœtidæ, inter duas meſenterii tunicas, quæ majorem inferioris ventris partem occupaverat, exhibuit. Videlicet ſtagnat ſanguis in malo hypochondriaco in venis per congeſtionem in vaſa meſeraica; per obſtructionem aut adſtrictionem hepatis; ſub debilitato per diuturnam expanſionem venarum tono; ſub reſpiratione debili, timida, minuta; motibuſque propreſſoriis, aut reſolutorio diſcuſſoriis febrilibus enervatis, ſopitis, cohibitis. Quod pluribus comprobare opus non eſt, alias jam ſatis confirmatum; dabimus a. de hepatis obſtructione, de adſtringentium abuſu, deque febribus perperam cohibitis, quatenus abſceſſibus meſenterii occaſionem præbuerunt, exempla aliquot nobis obſervata.

§. XIII.

Primo quidem, ex *oppilatione hepatis* antiquata tandem abſceſſum meſenterii, tacite quaſi, citra ſymptomatum vehementiam, prognatum vidi in fæmina, quæ quadragenaria tumorem quendam durum indolentem elevari ſenſerat in dextro abdominis latere; ſexagenaria tumore pedum œdematoſo corripitur, utitur purgantibus, ſub quibus egerit ſubinde cum viſcido aquoſis humoribus purulenta quædam; ſuccedit aſcitis; moritur anno ætatis 65. Secto cadavere hepar magnum atque durum viſum fuit, quale multis retro annis apparuerat externe, non tamen ſcirrhoſum; intra tunicas meſenterii, inferius, ulcus latum, pure non adeo ſordidum, continebatur; ortum, ſine dubio, ſub illa ſtagnatione humorum, quibus hepar oppilatum tranſitum præcluſerat. Alia fæmina quadragenaria ex iracundia aliquando febrem paſſa erat ardentem, per uſum chinæ in intermittentem mutatam, ſed vehementiſſimo ſymptomate, anxie deliroſo comitatam: ceſſante hac permanebat tumor hepatis indolens per tres annos, tunc ſub uſu laxantium purulenta fecibus miſta egerit pauca; abſceſſu meſenterii in ſuſpicionem veniente, dantur abſtergentia, laxantia balſamica, præcipue Stahlianæ pilulæ, minuitur ſenſim puris excretio, ceſſat denique; nutritio corporis huc uſque tabidi, redit; hepar parum detumuerat, cum, remediorum pertæſa, curam deſerit; vixit per quinque annos ſatis vegeta, ante annum tumorem pedum œdematoſum ſentit, cujus tamen incrementum hucuſque cohibuit. *Adſtringentia* fluxionibus humorum atque febribus opponi conſueverunt, raro citra damnum, cum viſcera conſtringant & vaſa, humoribuſque viam intercipiant, unde ſtagnationes paſſivæ, ſub his hydropes ſæpius, nec tamen omnino nunquam abſceſſus fieri, exemplo ſuo comprobat juvencula, quæ primo partu filiolum feliciter enixa, poſthac ter imprægnata, ter abortum fecit, cum tanta hæmorrhagia uteri ſubſequente, ut nihil remanſiſſe ſanguinis videretur; iſti ſemper oppoſita fuerant adſtringentia fortiſſima quæque per aliquot dies, neque enim cito cohibuerunt fluxum, quid, quod ingentem profuſionem ſingulis doſibus, mox ab aſſumtione, promoverint ſemper; nihilo tamen minus inſtant illis ſedulo, tandem vero id inde impetrarunt, ut alvum tardiſſime, menſes poſthac nunquam iterum excerneret mulier: per tres annos fere patitur ſymptomata hyſterica, cachectica, tandem hectica, cum anguſtia pectoris anheloſa & ſicca tuſſi. Quærit remedia phthiſeos, nego pulmonalem ſubeſſe, illa ſuæ opinioni inhærens, facile a me impetrabat, ut ſibi viveret & medicaretur; utitur expectorantibus & vulnerariis ſub variis formulis per annum, at fruſtra; invadit, vel exacerbatur febris, alvum reddit fluidam fæculentam, quandoque ſubcruentam, peſſime olentem; inflantur pedes, moritur. Sectione facta, abſceſſus

ceſſus in meſocolo, ſuperne quoque aliquis reperitur, una cum inflammationibus ſuperficiariis in meſenterio atque inteſtinis, glandulisque aliquot induratis. *Febres* denique, quod attinet, cum hæ non raro ob viſcerum abdominis obſtructiones oppilationes atque inflammationes ſuſcipiantur, continuæ non minus ob has, quam intermittentes etiam ob utraſque cauſas. De quartana, propter ſtagnationes humorum, oppilationes & obſtructiones viſcerum infimi ventris expediendas ſuſcepta, conſentiunt medicorum optimi; *Spigelius* tertianarum cauſas ſæpe ſibi viſas eſſe inflammationes meſenterii teſtatur; atque *Sennertus* febres tertianas continuas inde deduxit; ut Scretam taceam. *Joh. Raym. Fortis* in obſerv. recenſet, virum (lue venerea) colica c. febre, uniſque intermitt. correptum tandem pus per alvum excrevisse. Quod ſi igitur febres his de cauſis ſuſceptæ præpoſtere ſupprimantur, ſi propreſſiones humorum tonicæ, doloroſæ conſopiantur, dubium non erit, invaleſcere mala contenta atque etiam in ſuppurationes aut exulcerationes abire, incipientes vero has augeri, uſque in abſceſſus formationem.

§. XIV.

Et hæc quidem hactenus de abſceſſibus ex ſtaſi per ſtagnationes humorum: ſequitur, ut videamus de *rheumaticis aut metaſtaſicis depoſitionibus* atque exagitationibus humorum *inflammatoriis*, &, niſi diſcutiantur, ſuppuratoriis. Neque improbabile eſt, humores acriores, ſanguineo ſeroſos, ſulphureo ſalinos, motu rheumatico deponi, aut per metaſtaſin aliunde deferri, in meſenterium. Maxime cum & ejuſmodi humores, etiam ex conſilio naturæ, ſæpe, ſtatiſque temporibus præſervative, & curative paſſim, in vaſa meſaraica congerantur, ut per inteſtina evacuentur, teſtantibus id diarrhœis perſervatoriis, criticis æque ac ſymptomaticis in morbis, itemque dyſenteria. Sunt, qui quotannis ſub tempore æquinoctiorum, poſt tormina horarum aliquot vel dierum, univerſum corpus expurgant a pravis humoribus, iſtis vero reſtrictis, catarrhis poſthac & febribus exercentur. Diarrhœas variolis præludentes minuere harum impetum & copiam, certum eſt; viſæ quoque illarum ſunt aliquæ, quibus retrogreſſarum variolarum materia purulenta fuit evacuata, etiam cum utilitate, teſte Meibomio. Sic etiam humores bilioſo-ſubmucidos, & ſanguineos fermenteſcentes, confluere in vaſa meſeraica, ut inde per inteſtina ſecernantur, notum eſt; atque *Fernelius* affirmat, ſe choleræ.. dyſenteriæ.. lentarum errantiumque febrium (quæ inflammationes & abſceſſiones fientes factaſque comitari ſolent) cauſas in meſenterio plerumque animadvertiſſe. Ex quibus omnibus concludere licet, poſſe & ſolere quoque humores, eryſipelaceos quaſi, rheumatice deferri in meſenterium, hujuſque inflammationes & ſuppurationes promovere. Probabilitatem hanc vereſimillimam reddunt frequen-

quentiores & luculentiores *metaſtaſes* humorum, motu quodam inflammatorio ſuppuratorio ulceroſo affectorum, ex aliis locis in meſenterium delatorum, de quibus etiam a poſteriori certius conſtitit. Georgius Horſtius phthiſin obſervavit, abſceſſu meſenterii excitato curatam, incipientem ſine dubio. Vidi puerum ex impuro ſanguine natum *puſtuliſque venereis* per totum corpus obſitum, fœdiſſimis & exulceratis; rogatus de morbo conſilium & auxilium, illud premere, hoc in veris inſtans tempus differre, magis conſultum pro tempore viſum fuit, datis interim delinientibus innoxiis; ſed ex tædio brevis moræ traditur puer in manus barbitonſoris, citiſſimum pollicentis auxilium; totus linteis involvitur, unguento de lithargyr. largiter inductis, ſiccantur ulcera, contabeſcit puer, ejulat dies noctesque, ſanioſa egerit, moritur. Poſt ſectionem pulmones, inteſtina & meſenterium, innumeris variolis piſa æquantibus, hoc & apoſtematibus thalerum magnis, occupata viſa ſunt, pulmones etiam per ruptas puſtulas, facta conſolidatione cum pleura, huic adnati apparuerunt pluribus locis: de *eryſipelate* & *podagra* retrocedentibus, inflammationes viſcerum abdominis intuliſſe, cum notæ ſint, plura non addo.

§. XV.

Reſtat ut de *cauſis* mere *procatarcticis*, etiam abſque cauſis prioribus, tanto magis ſub his, inflammationes internas, quandoque in apoſtemate degenerantes, inferentibus, paucis quoque videamus. Contingit ſubinde, ut per ſolam humorum *exagitationem* inflammatio fiat, per *iram* v. g. per *terrorem*; itemque per abuſum *calidorum*, data levi occaſione; multo magis ira vel terrore ſuperveniente, aut ſtagnationibus aliiſque humorum vitiis præcedentibus. Ex ira & calidorum abuſu bina, mihi notata, exempla proferre, ſufficiat. Duodecim annis abhinc fœmina, ſi quæ alia maxime iracunda, excandeſcens ira aliquando adeo, ut male ſe haberet, *olei cumini* pro ſex nummis ex pharmacopolio petiti, ultra 20. guttas, ſuperingeſſerat, mox febre billioſa ardentiſſima corripitur, mitigata quidem, ſed penitus non tollenda, maxime quod genio iracundo indulgeret ſuo, lenteſcens igitur tranſiit in hecticam; hepar intumuit, doluit, emaciata penitus mortua eſt altero, poſt morbi initium, anno. Diſſecta, nulla in hepate, duro tamen & majore, nulla in duodeno, & ventriculo, inflammationis ſigna exhibuit; ſed in meſenterii ſuperna parte, ſuper glandulas medias, abſceſſus latuit ad jejunum inteſtinum late protenſus, pureque ſincero ad libram repletus. *Potuum ſpirituoſorum* nimiam ingurgitationem ad motus inteſtinos inflammatorios diſponere, hoſque in actum inflammationis erumpere data occaſione, vel præcedente quoque diſpoſitione priore alia, ut ſtagnatione humorum &c. quivis facile largietur. Docet id vir quadratus quidam, ſpirituum vinoſorum potator ſtrenuus, qui dum viveret, maximo internorum æſtu affligebatur;

tur;

tur; febre tandem ſuperveniente mortuus, ventriculum oſtendebat per inflammationem penitus fere nigricantem, extus inflammationes inteſtinorum hinc inde ſuperficiarias, meſenterii quoque non leves, morte ſine dubio, ne in abſceſſum abierint, præventas. Nuperrime quidam, ad menſuram fere ſpiritus vini quotidie obliguriens, ex febre continua, vehementiſſime ſingultuoſa, laborabat, cum æſtu doloreque gravativo, ſubter umbilicum, profundo; de inflammatione interna nihil dubitans, ad hanc intendo curam; ceſſat febris cum ſingultu, remanente dolore obtuſo abdominis interno, ut dubius adhuc hæream, diſcuſſa ne ſit penitus inflammatio, an ſuppuraſcere ceperit, quod dies docebit.

X V I.

Traditis hucuſque ſanguinis, & ſanguineo ſeroſorum acrium humorum vitiis, ad inflammationes & ſuppurationes meſenterii ſymbolum conferentibus, jam de *lymphatico-ſeroſis craſſioribus* videbimus, paucis tamen. Concurrunt hi potiſſimum per obſtructiones glandularum in meſenterio ſparſarum, earumque indurationes; quibus, ſi inflammatio undecunque fuerit inducta, abſceſſuum initia fiunt, quamvis utplurimum intra ſuas tunicas concluſorum, quales in caſu ſecundo attulimus. Craſſeſcit lympha tum ex læſa digeſtione, tum ex impedita ſecretione chyloſo-ſanguineo ſeroſarum ſordium viſcido-tartarearum, ut impeditam lymphæ ex M. H. ſequeſtrationem taceam. Digeſtionem lædunt tam viſcera huic dicata p. n. conſtituta, quam aſſumta, quantitate aut qualitate peccantia, atque relictæ ex mala digeſtione cruditates. Longius foret horum læſiones & lædendi modos explicatione uberiore proſequi; mitto igitur, atque id unice addo, quod hæ cauſæ præcipue in pueris primordia abſceſſionum ferant. Denique tacere non poſſum, quod nulla fere harum cauſarum ſola ſufficiat ad abſceſſus progenerandos, ſed plurium *conſpiratio*, *& ſucceſſio* mutua requiratur, ſub qua iſti facilius & perfectius eveniunt. Namque nec externæ violentæ cauſæ, quas ſciens lubenſque, brevitatis cauſa, prætereo, ſolæ ſibi ſufficiant, abſque internarum concurſu, quo ſe mutuo adjuvant.

§. X V I I.

Progredimur ad *abſceſſus muſculorum abdominis*, dignos quidem, qui diligentius evolvantur, cum ſub ſpecie internorum morborum, quos mentiuntur, imponant facile, neglecti interim eouſque procedant, ut medelam reſpuant, vel difficillimam reddant. Sed licebit nobis de his eſſe brevioribus, ne conſtitutos diſputationis fines nimis oporteat excedere. Quantum autem ad generationem eorum attinet, habent & ipſi cauſas partim externas, partim internas. Ad externas pertinent, quæcunque per cutem in muſ-

culos abdominis penetrantia vulnerando lædunt, vulnere vero externe citius, quam par erat, conſolidato, pureque intus concluſo, ejuſmodi abſceſſionibus occaſionem præbent. Pertineat huc, quæ abſque vulneratione per vehementiorem percuſſionem abdominis extravaſationem vel ſtagnationem ſanguinis, tumorem, inflammationem, denique ſuppurationem concitant. Refero huc etiam tenſiones muſculorum a ſublato pondere graviore vehementiores, humorum interceptorias, aut expreſſorias, *das wehe thun*, geſtationes ponderum ſuper abdomen; & quæ ſunt hujus generis alia. Contingit nempe non raro, ut, qui ſtricto enſe digladiantur, ſi lædantur in abdomine, faveatque poſitura, gladius non in cavitatem, ſed in muſculos abdominis ſolum adigatur, quali vulnere citius conſolidato, abſceſſum inſignem notavi inde ſucceſſu temporis factum. Notavi & ante menſes aliquot peculiarem læſionem, quæ niſi mature fuiſſet cognita, abſceſſionem effeciſſet inſignem. Vir quidam quadratus, qui plauſtrum frugibus oneraverat, hiſce inſidens, devehitur in horreum, inde vero ſe per funem fruges ligantem, manibus prehenſum, more conſueto demiſſurus in aream, dum ocyſſime devehitur, capulam ſeu manubrium calathri, inſcio ſibi ad plauſtrum reclinati, per medium ſcrotum, eouſque in abdomen adigit, ut extremum ejus coſtas, non procul a ſcrobiculo cordis, contingeret, maximaque vi protrahendum eſſet lignum; putatur in cavitatem abdominis penetraſſe, viſceraque contenta læſiſſe. Accedo forte fortuna, rogatuſque a chirurgo ut inviſerem decumbentem, jubeo viſitare vulnus, pergebat ſtylus uſque ad os pubis, ubi ſiſtebatur, tumore ut putabatur, procluſa via in abdomen, tentatur candela cerea, ſed neque hæc alte penetrabat, deprehendo tamen hujus extremitatem paululum ſupra os pubis hærere; perluſtrato reliquo abdomine, video lineam pallide rubentem, pollicem latam, a pube ad coſtas adſcendentem, abſque ullo tumore tamen; unde credebatur, ex ſolo dolore, a ligni attritu & preſſura, cum hac via adigeretur, excitato, facta rubedo; ſuadeo imponere cataplaſmata; ſub quibus, altero die, elevabatur tumor, humore turgidus; quo per tempeſtivam ſectionem, ſed longiorem, aperto viſus eſt tractus ligni adacti ſuper peritonæum per muſculos abdominis traductus. Ex *contuſionibus* abdominis, dum muſculorum fibræ vel lacerantur, vel ultra modum ad toni debilitatem extenduntur, indeque extravaſationes humorum, hinc vero collectiones, & ſtaſes utrinque fiunt, abſceſſus quoque generari, facile eſt ad intelligendum; vidi tales ex plauſtro onuſto ventrem ſupergreſſo, itemque a percuſſione vectis lignei, (quo funes circum faſces pannorum in ſarcinas majores collectorum, coguntur) cum impetu reſilientis. *Sublatio & geſtatio ponderis gravioris*, cum vehementiore niſu & contractione muſculorum ſuſcepta, inter cauſas occaſionales quoque recenſenda venit: namque ſub ejuſmodi niſu fluxu ſanguinis per vaſa intercipitur, vaſa diſtenduntur, rumpuntur etiam, ſanguis exprimitur in poros partium copioſius, læſoque harum

tono

tono ſubſiſtit, ſuccedit languor, febricula, ſpaſmus muſculorum abdominis ac diaphragmatis, maxime in feminis ac tenerioribus pueris (quibus tale quid accidit ab inclinati cadentiſque corporis retentione vehementiore caſui contranitente) dicunt, *ſie haben ſich wehe gethan*, *haben das Hertzgeſpann*, perſuadentque ſibi vertebram aliquam eſſe ſubluxatam, errant vero ut plurimum, non tamen omnino ſemper, maxime ſi de pueris ita ſentiant, in quibus non ſolum a reclinatione caſuque corporis, ſi incautius in ulnis teneantur, ſed & ab extenſione corporis infantum vulgari, *wenn ſie die Kinder übers Creutze ziehen*, ejuſmodi ſubluxationes vertebrarum, cum ſuccedente gibboſitate, non ſemel obſervavi; & parum abſum quin credam, quod abſceſſus ille prope ultimam dorſi vertebram ortus, & inter muſculos abdominis protenſus, caſu ſecundo in puella notatus, originem ſui debuerit tali, ſi non ſubluxationi, attamen extenſioni corporis cadentis violentæ. Denique ſilentio non penitus prætereunda eſt *varicoſa venarum extenſio* in gravidis, earumque *preſſura* ab incumbente utero; ab hac enim ſanguis intercipitur, vaſa extenduntur, &, accedente cauſa aliqua externa, percuſſione abdominis, v. g. aut ſublatione ac geſtatione gravioris ſarcinæ, &c. extra vaſa ſubſiſtunt humores, formantque abſceſſum; obſervavi talem in puerpera, qui hucuſque hyſtericas paſſiones mentitus fuerat; latebat is in regione hypogaſtrica ſiniſtri lateris, ſi recte memini, ubi dolorem ſentiebat, ut tactum non ferret, nec pedem commode moveret, nihil autem tumoris aut ruboris apparuit; inde tamen abſceſſus muſc. abd. ſuſpicione incidente, cum cataplaſmata applicarentur, elevatus tumor eſt, & ſponte apertus, habuitque abſceſſus ſinum admodum latum, qui & feliciter curatus eſt.

§. XVIII.

Cauſæ *internæ* abſceſſuum horum continentur, vel intra muſculos abdominis, vel ſub illis in hujus cavitate; in muſculis hærent *inflammatio phlegmonodes*, & *rheumatica*; qualis, ſi in muſculis pectori inſtratis ſit, pleuritidem ſpuriam efficit. Ab utraque hujuſmodi inflammatione male curata abſceſſiones factas eſſe notavi; ab hac quidem in viro, cui pleuritis ſpuria poſt externorum refrigerantium applicationem deſcenderat in abdomem externum; ab illa vero phlegmonode inflammatione, tandem ſuppurata, abſceſſum vidi circa umbilicum collectum & apertum. Pertinent huc *tumorum & inflammationum umbilici cauſæ variæ internæ*; denique & *metaſtaſes humorum* pravorum, poſt febres v. g. male ſuccedentes, ab Autoribus huc referuntur. Qua de cauſa *Riverius obſ. 92. c. 1.* diſſerit: Non ſolum autem abſceſſus abd. ex chronico morbo in corpore male affecto lethales ſunt, ſed etiam utplurimum ii, qui febribus ſive continuis ſive intermittentibus ſuccedunt; quos damnavit Hippocr.

in Coicis. Et vidit Dn. Pachecus juvenem tertiana laborantem, cui ceſſerunt paroxyſmi poſt ſeptimam acceſſionem; factus tamen abſceſſus circa inguem, & apertus, pus emiſit laudabile in principio, &c. Quæ intra cavitatem abdominis ſub hujus muſculis abſceſſuum cauſæ continentur, ſunt non ſolum *viſcera inflammatione ac ſuppuratione* prehenſa, muſculiſque, quos contingunt, propter vicinitatem, labem affricantia; ſed etiam *humores p. n. in abdominis cavo collecti* copioſius, ſanguis v. g. putrefactus, lympha in aſcitide extravaſata, & pus ex internis abſceſſibus effuſum; qui humores ſæpe exitum moliuntur per umbilicum, muſculoſque proximiores inflammatione corripiunt, & ſuppuratione. Viſcerum vero inflammationes vitium ſuum quoque muſculis contiguis communicare, teſtantur obſervationes; ex nephritide vidi muſculorum in dorſo ſitorum abſceſſionem in lumbis factam & apertam; ſimileſque notavit *Riverius*; hepatitidis inflammationem muſculis abdominis communicatam, ibique in ſuppurationem mutatam, memini me obſervaſſe in muliere ex hepatis ulceratione mortua. Recordor etiam fæminæ ruſticæ, quæ poſt ingentes ventris dolores abſceſſum, ſub umbilico apertum, paſſa eſt, ex quo aperto ad aliquot annos ſervato, ſcybala prodire ſolebant, neque dubito, quin a ſuppuratione inteſtini cum peritonæo connexi, (qualem connexionem in puella ruſtica ex variolis mortua memini me vidiſſe) initium, & conſtitutionem poſteriorem, habuerit ille. Sufficiant hæc de cauſis abſceſſuum quoque muſculorum abd. Plura de his aliiſque, nec inſtituti noſtri, nec temporis ratio permittit; Pauciſſimis tamen abſceſſus noſtros primo loco recenſitos, qui diſſertationi huic primum occaſionem dederunt nobis, uno alteroque caſu, ad noſtrum priorem & ſecundum propius accedente, illuſtrationis ergo, obſignabimus.

§. XIX.

Primum exhibet *Guilh. Fabricius C.* I. *Obſ.* 70. de puella, quæ 10. ætatis anno in tabem incidit, conſtante appetitu, & orthoſtadia, eouſque, donec ſex aut ſeptem hebdomadas ante obitum lecto affixa ex febricula & tuſſi continua decumberet; mortua eſt anno ætatis 14. ubi per ſectionem meſenterium repertum fuit tumoribus refertum ſcirrhoſis, atque ſteatomatibus, præcipue autem circa vaſa & venas, quæ ad portam tendunt; circum circa inveniebantur, inquit, tumores ſcirrhoſi multi, quorum nonnulli ovi gallinacei, alii nucis & caſtaneæ magnitudinem excedebant. Confer *Paræum l.* 23. *c.* 26. de fæmina, quæ infinitos abſceſſus in meſenterio, ſua quoſque cyſti incluſos, variaque materia oleoſa, mellea, ſebacea, &c. differtos, exhibuit. Alterum caſum *Sennertus* habet *Pr. l.* 3. *p.* 10. *c.* 9. de quo, rarum & notatu dignum eſt, inquit, ingentem tumorem ventris a materia, non in cavitate abdominis, ſed inter hujus muſculos & peritonæum, concluſa ortum fuiſſe.

Fæmi-

Fœmina hunc paſſa fuit, intra quatuor annos adeo extenſum, ut pro hydropica haberetur; vixit tamen ſic ſatis orthoſtadia, uſque dum ſex vel octo menſes ante mortem decumberet; ex mortuæ abdomine prope umbilicum ſecto materiæ fæculentæ, abſque inſigni fœtore, quadraginta fere menſuræ effluxerunt &c. In muſculis abdominis abſceſſus plurimi - quorum maximus trium pugnorum magnitudinem æquabat fere, reperti ſunt, &c. *Riverius in Obſ. p. m.* 682. puerum & puellam recenſet, ex tumore & abſceſſu muſculorum addominis pro hydropicis habitos utroſque, ſed facta exinde puris ad 18. vel 20. libras in hac, ad 8. vel 10. in illa, evacuatione, perfecte curatos. Sufficiant hæc de abſceſſibus meſenterii atque muſculorum abdominis. Veniam autem precamur atque ſperamus, quod therapiam eorum non ſubjungamus, quodque eam in gratiam neque diagnoſin ex Fernelio, qui primus fere eam tradidit, aut ex Lommio, qui ex variis autoribus eandem collegit, huc tranſcribamus; neque medicandi rationes tradamus, & remedia ex communibus loculis corraſa venditemus pro ſpecificis: novimus difficultatem diagnoſeos, & quantopere hujus dubia fluctuatio, ſeraque ſuſpicio vel cognitio, tempeſtivæ deroget medelæ; ad peritos & in arte exercitatos pertinet eorum dijudicatio, quibus, quid poſt ſcrupuloſam ac difficilem rei cognitionem factu opus ſit, obſcurum non eſt; Junioribus autem Medicis atque Chirurgis præjudicium raritatis abſceſſuum horum evellere, & e contrario attentionem ad eos debitam atque maturam inſerere, hæc noſtra potiſſimum fuit intentio. Quod ſi impetraverimus, non parum nos ad hujuſmodi affectuum therapiam attuliſſe perſuaſi ſumus; probe quippe gnari & experti, quid interſit, ſi ſponte vel admoniti tempeſtivam ad rariores ejuſmodi caſus ſuſpicionem, &, ponderatis probe ſub hac circumſtantiis, debitam attentionem adhibeamus; id quod rariſſimo quoque caſu apoſtematis ventriculi declarare adhuc liceat: Puer 15. annorum aſſatæ carnis vervecinæ renem cum pinguedine circumjecta avide devoraverat, hauſtumque cereviſiæ frigidæ bonum ſuperingeſſerat, cum altero, magiſque tertio ſtatim die nauſeam, cardialgiam anxiam, atque dolorem ſæviſſimum ſub ſcrobiculo cordis, ad umbilicum extenſum, pateretur; alvum egerebat fluidam, citam a ſumpto potu, denique ſubcruentam, peſſimeque olentem; febris hæc comitabatur continua, acuta; quærebant colicæ remedia; dabantur huic convenientia; ſed augebantur ſymptomata; dyſenterici quid ſubeſſe rati parentes, hujus medelam poſtulant; dubius quid mali patiatur æger, ipſum accedo, neque tamen certa cauſæ ſigna invenio; forte fortuna incido in obſervationem de abſceſſu ventriculi, & fortuita hæc admonitio mihi ſuffecit, ægroque fuit ſalutaris; hinc enim cura eo directa eſt, & æger, rupto abſceſſu, redditoque per vomitum pure copioſo, convaluit. Sed ſubſiſtendum hic mihi eſt; atque ideo nihil addo, quam

ut Deo Immortali ſubmiſſas agam gratias, pro Gratia; qua mihi hucuſque per vitæ ſtudiorumque meorum tempora clementiſſime ac benigne adfuit! Cui me meaque in poſterum quoque commendo humillime. Cui & ſit & erit Gloria quoque ſempiterna.

FINIS.

JOAN.

C I.

JOAN. GEORGII SCHERB,

D E

CALCULO RECEPTACULI CHYLI, HYDROPIS CAUSA.

Lugd. Bat. 17 Aug. 1729.

PROOEMIUM.

EN! *Lector Benevole, materiam (quantum ego quidem ſcio) hactenus nondum deſcriptam. Cujus cum me participem fieri voluerit amicus, ex paucis, quos habeo, ſumme colendus, qui, Lutetiis reverſus, attulit ſecum iconem calculi; in receptaculo chyli reperti, figuræ & magnitudinis annexæ, ipſique a Dn.* Ledran, *Chirurgo ejuſdem loci dexterrimo communicatam, non amplius dubitavi, iconem iſtam heic loci æri incidendam curare, quin potius haud injucundum exiſtimaverim, hanc diſſertationi meæ inaugurali conſcribendæ ſtatuere materiam. Faxit autem* Deus T. O. M. *ut cœpta feliciter ſuccedant. Te vero* B. L. *obnixe rogo, conatibus faveas meis, ſique quædam irrepſerint, quæ minus congruunt, amice corrigas, omiſſa humaniſſime ſuppleas, ceterum cuncta benevolo accipias animo.*

HISTORIA MORBI.

Vir 39. *annorum in Noſocomio Pariſino, cui a Charitate nomen, hydropicus decumbebat, quem morbum Medici, fruſtra adhibitis ſolitis omnibus remediis, radicitus exſtirpare minime potuerunt; ſemper enim abdomen manebat valde tumidum, ſicque Medicorum eludebat opem. Tandem ad paracentheſin, tanquam ultimum in hoc morbo refugium, fuit deventum, qua rite inſtituta aqua educebatur, quæ poſtea ſimul ponderata circiter* C C C. *unc. apparuit: aqua autem una vice educta, abdomen linteis circumvolutis more Gallico comprimebatur. Licet vero jam aquæ eſſent eductæ, nova tamen colluvies quotidie in abdomine colligebatur, quæ ad inſtituendam novam puncturam Chirurgos invitabat, & ſic nova ſemper facta aquarum collectione, & paracentheſi ſeptima jam vice inſtituta, ultimo abdomen linteis circumvolutis collapſum manſit, nec aquæ amplius apparuere. Quonam autem eventu? Sane lethali, nam* 16. *poſt ultimam operationem horis, æger vitam cum morte mutabat. Cadaver diſſectioni deſtinatum aperiebatur, & quidem primum abdomen, ceu hujus mali ſedes: remotis itaque integumentis, omentum totum fere conſumtum inventum fuit, reliquaque viſcera gangræna obſeſſa; nec mirum, dum tractu temporis id in omnibus hydropicis ſit conſpicuum. Hiſce rite perſcrutatis, tandem præternaturale quoddam corpus durum in lumbari ſeſe præſentabat regione, peculiari membranæ incluſum: quo vero melius in conſpectum veniret, remotum fuit meſenterium, inciſioque facta, atque membrana aperta, quo peracto multum lymphæ albicantis, & perfecte chylum referentis effluxit, & calculus, cujus figuram Tab. adjecta commonſtrat, extractus fuit. Locus, quo hæſerat calculus, & chyli præſentia ſatis ſuperque teſtabantur, ciſternam chyli lumbarem fuiſſe hujus domicilium; unde & melioris explicationis gratia apertus eſt thorax, in quo*

nullum ductus thoracici inventum fuit veſtigium , rite licet inſtituto examine. Patuit autem , exacta calculi contemplatione , foramen ſive cavitas illa , Lit. A. indicata, quæ adhuc chyli emiſit partem craſſiorem, certo indicio, non penitus chylo fuiſſe denegatum tranſitum, quin & diſtributum, etſi minori copia, per ductum thoracicum, neutiquam conſpicuum, quod & vita ægri adhuc ſuperſtes indicabat. Sufficiant hæc pro hiſtoria morbi, quam breviter adumbratam in diſſertatione ulterius explicare animus eſt.

---

§. I.

NOn ſatis ſummam in ſtruenda machina humana Summi Numinis mirari poſſumus ſapientiam, quæ omnia tam mirifice conſtruxit. Etenim ſi modo ad ingeſta & excreta mentem advertimus noſtram, aſſerti hujus veritas luculenter ſatis apparet, manifeſtumque ſummæ hujuſce potentiæ præbet indicium. Conſideremus, quæſo, admirandam minutiſſimarum epidermidis partium ſtructuram, quotque vaſis excretoriis cuticula ſit pervia, ita ut, teſtante *Leeuwenhoekio, Epiſt. Phyſiol.* 43. *p.* 413. pes quadratus 144000000. millia pororum contineat, per quos perpetua excretione liquidum corporis noſtri exhalet: quæ vaſa excretoria, in omnibus humani corporis partibus præſentia, quam optime detexit citatus Auctor microſcopiis, ſua ipſius induſtria elaboratis. Si porro conſideremus pondus & molem excrementorum, urinæ puta & fæcum alvinarum, quotidie ſecernendarum, harum copiam haud eſſe parvam, experiemur facillime cum *Sanctorio*, quo teſtante, perſpiratio inſenſibilis ſola longe eſt plenior, quam omnes ſenſibiles ſimul unitæ, videatur ejuſdem *Medicin. Static. Aphor.* 4. ſuperſtite adhuc magna quantitate fæcum alvinarum & urinæ, quæ quotidie excernitur, uti unuſquiſque hujus rei teſtis eſſe poterit.

§. II.

Quibus jam demonſtratis apparet, corpus humanum quotidie, & omnibus fere momentis, amittere aliquid de ſuo pondere & ſubſtantia, quapropter neceſſario opus eſt, ut novus cibus & potus ingeratur, niſi pretioſiſſimam hanc machinam ad interitum ruere videre velimus. Illud autem fit duplici via: externe namque per poros cutis inhalantes humidum in aëre contentum imbibitur, & reliquæ maſſæ ſanguineæ iterum admiſcetur, uti multis in locis hoc idem *Sanctorius libr. alleg.* demonſtrat. Quæ tamen ſola nutritio, vel reſtauratio virium amiſſarum haud fuit ſufficiens, ad conſervandam corporis machinam: ſed ipſa cibi & potus aſſumptio præcipuam, ad amiſſas vires redintegrandas, partem contribuere debet. Meum autem heic loci minime, quid quod & a ſcopo alieniſ-

alieniſſimum eſſe arbitror, demonſtrare & multis ambagibus deſcribere velle omnes aſſumptorum mutationes, quæ a ſaliva maſticando, deglutitione, permiſtione cum variis liquoribus microcoſmicis dependent; ſufficiet enim hæc ſolummodo indigitaſſe, mihique tantum incumbet, eam cibi & aſſumtorum demonſtrare permutationem, qua primo in ſuccum, deinde autem in ipſum ſanguinem converti queunt, tandemque & in machinas, huic operi deſtinatas adque ſcopum facientes, paulo accuratius mihi fore inquirendum, merito exiſtimavi. Ad venarum itaque lactearum, vaſorum lymphaticorum, & ipſius ductus thoracici me accingo hiſtoriam atque deſcriptionem, quam, antequam ipſum morbum propoſitum, nullique arti cedentem aggrediar, præmittere haud abſonum viſum eſt.

§. III.

Vaſa lactea, peculiarem ſuccum album, chyli nomine inſignitum, vehentia & turgida, videmus per totam fere meſenterii compagem diſperſa; quæ vaſa omnium optime nobis demonſtravit primo *Aſellius*, licet alii inventionis gloriam *Eraſiſtrato* apud *Galenum* tribuant. Sed quidquid hujus rei ſit, litem hanc non facio meam, hæc ſolummodo attuliſſe contentus. Vaſa vero modo memorata ſunt ſubtiles atque parvi canaliculi, meſenterium perreptantes, qui tandem omnes in commune determinantur receptaculum. Quam optime autem apparent in canibus bene paſtis, & horis aliquot poſt aſſumtum cibum occiſis. Haud minus conſpicua quoque ſeſe oculis præbent noſtris, in hominibus laqueo ſuſpenſis, ſectione nimirum ſtatim poſt mortem inſtituta: uti id elegantiſſime *Clariſſ. Heiſterus* in *Compend. Anatom.* & eidem annexa figura demonſtravit, quid quod & ego quorundam adhuc memini ſectionum, Argentorati a *Celebr. Salzmanno*, hac occaſione, inſtitutarum, ubi hæc vaſa luculentiſſime ſpectatoribus fuerunt conſpicienda. Hæc vero vaſa, communi Anatomicorum conſenſu, dividuntur in lactea primi & ſecundi generis, quibus alii addunt tertium genus, hac tamen diſtinctione: egreſſa nempe ex inteſtinis & tendentia ad glandulas meſeraicas, vocantur *primi* generis; ex his ad alias, quæ vaſa prioribus latiora, *ſecundi*; & ex his ad ipſum ductum thoracicum vel hujus receptaculum, *tertii* generis vaſa lactea appellari conſueverunt. Vaſa hæc omnium copioſiſſime emergunt ex inteſtinis tenuibus, raro ex craſſis, & valvulis dotata ſemilunaribus refluxum chyli non permittunt, vid. has valvulas a *Celeb. Ruiſchio* deſcriptas in tractatu *de Diluc. Valvularum.*

§. IV.

Hæc deſcripta vaſa tandem, chylum albicantem ex inteſtinis omnem, deponunt in commune quoddam receptaculum, alias quoque ciſternam

chyli appellatam, cujus ſitum optime deſcriptum invenies in *Clar. Heiſteri Compend. Anatom.* nempe in ſiniſtro latere ſuperiorum vertebrarum lumborum ſub aorta, & vaſis renis ſiniſtri. Me autem non latet, dari in arte celeberrimos viros, hocce receptaculum negantes, & tantum vaſa lymphatica aut lactea quædam majora & capaciora, id eſt, talia ex plurimis compoſita, receptaculi loco ſtatuentes, quorum tamen ſententia haud multum ab aliorum differre videtur. Mihi namque unum idemque erit, utrum vaſa lactea, hic ampliora reddita & conſpicua, num tunicæ vaſorum lymphaticorum dilatatæ adſint; ſufficit enim adeſſe receptaculum quoddam, vel ex lacteis, vel ex lymphaticis compoſitum, in quod omnia, per totum meſenterium diſperſa, lymphatica & lactea vaſa ſeſe terminant.

§. V.

Ex dicta ciſterna oritur gracilis canalis, qui perforato diaphragmate, in ſiniſtro latere vertebrarum dorſalium aſſurgit, & modo rectum obſervans curſum, modo dehiſcens, tandem iterum concurrens, inſulam quaſi efformans, ad venam ſubclaviam ſiniſtram tendit, huicque inſeritur, chylumque omnem receptum infundit. Interdum duplex deprehenditur hic ductus, ſub diaphragmate in duos diviſus canaliculos, quorum alter ad dextram, alter ad ſiniſtram venam tendit ſubclaviam. Conſpicitur autem valvula in hac vena ſemilunaris, quæ impedit, quo minus chylus, huc delatus, iterum regurgitare poſſit. Ceterum docentibus & autopſia, & multis Celeberrimorum Anatomicorum teſtimoniis, in ipſo ductu thoracico tales adſunt valvulæ, per quas chylus tanquam per ſcalas adſendit, ita ut mediantibus his motus retrogradus plane denegetur. Hæc eſt illa regia & lactea via, per quam chylus, ex inteſtinis reſorptus, uſque ad ſubclaviam traducitur venam, hanc & intrat, cum ſanguine ad cor vehitur, & per arterias ad omnes corporis partes diſtribuitur. Sic videre licet, quomodo amiſſa per inſenſibilem tranſpirationem mediante chylo reſtaurentur, qui poſtea ſingularibus machinis, hic autem non deſcribendis, ita mutatur, ut penitus formam ſanguinis induat.

§. VI.

Præter hæc vaſa autem chylum vehentia, & alia, iſtius loco lympham vel ſubtiliſſimam ſanguinis partem ducentia, conſpiciuntur in meſenterio, quæ alias aquæ ductus, vel ductus aquoſi, aut & lymphatici ab Anatomicis appellantur. Vaſa hæc ſubtilia ſatis & vix conſpicua, magna copia per meſenterium diſperſa, ſubtilem & abundantem a nutritione lympham ex arteriis revehunt, vel ad maſſam ſanguineam, vel etiam ad machinas chylificationi dicatas. Horum vaſorum uſus præſertim

tim

tim in meſenterio inſignis, dum omnis ſuperflua ſeri copia, ab his iterum reſorpta, ſemper & continuo quaſi fluxu partim ad cyſternam chyli, partim ad meſenterii glandulas tendit, & pro chyli dilutione inſervit. Cum autem non omni tempore chylus ex inteſtinis, mediantibus deſcriptis vaſis ſecernatur, (nam nullo aſſumto alimento, nempe vel cibo vel potu, nullus ſecernitur chylus) vaſa chylifera neceſſario collaberentur, hoc autem ne fiat, provida natura hæc conſtruxit vaſa lymphatica, ut, continuo fluente lympha, & chyli vaſa diſtenderentur, & ſemper lubricando ad novam receptionem apta conſervarentur, quo facto & omnis coarctatio, alias ceſſante hujus lymphæ trajectu præſens, præcavetur. Hæc vaſa, uti & lactea, ſuis ſunt prædita valvulis, quæ fere per totum meſenterium, imo etiam per alia viſcera abdominis diſperſa tendunt ad receptaculum chyli: qua de re legi meretur jam citat. tractatus *Cl. Ruyſchii de Dilucid. Valvular.*

§. VII.

Lymphatica autem & lactea vaſa jamjam deſcripta, tam ob exiguam ſui ſtructuram, quam etiam, quia non omnitempore, præſertim poſt mortem, (niſi caſu jam memorato) liquore diſtenta ſunt, facillime viſum ſubterfugiunt, & quaſi evaneſcunt: hinc ad hæc demonſtranda ſingulari anatomico opus eſt auxilio, id quod varii in arte Celebres vario modo tentarunt. Encheireſes, per quas in ſplene (in quo uti & aliis viſceribus facilius deteguntur) animalis cujuſdam conſpicua redduntur lymphatica, *Clariſſ. Ruyſchius loc. citat.* adducit. Si autem lymphatica & lactea ſimul una cum ductu thoracico contemplari ſit animus, tunc animal quoddam cibis eupeptis, uti lacte & ſimilibus, eſt implendum, & tribus a paſtu horis elapſis vivum diſſecandum, tunc jucundo certe ſpectaculo, lactea & lymphatica ſeſe manifeſtabunt vaſa: ſed dolendum, quod, hac encheireſi adhibita, brevi temporis ſpatio evaneſcant, quia, accedente externi aëris frigore, vaſa, lympham & chylum continentia, ſe quam facillime contrahunt, chylumque expellunt, quo expreſſo denique collabuntur, planeque evaneſcunt.

Unde, illa jam collapſa in mortuis reddere conſpicua, multi ſudarunt, injiciendo vel ceram, vel lac, vel alios liquores, quo effecere, ut injectione, per ductum thoracicum inſtituta ea reddiderint oculis conſpicienda. Qua methodo autem non omnia lactea ſive lymphatica redduntur conſpicua, ob valvulas, retrogradum motum, uti jam dictum, impedientes. Fuerunt etiam alii, quos inter præſertim *Henninger*, *Argentorat. Profeſſ. p. m.* qui per lacteum vas ſecundi generis, in centro meſenterii reperiundum, eandem modo memoratam injecerunt materiam. Optima autem methodus, mediante qua hæc in conſpectum ſunt producenda, eſt *Clariſſ. Salzmanni*, *Argentorat. Anatom. & Chirurgiæ Pro-*

feſſoris Celeberrimi, Præceptoris per ætatem devenerandi, qui, in ſingulari Diſſertatione, ibidem anno 1711. habita, encheireſes propoſuit, quibus rite inſtitutis, tota lactea & lymphatica via in conſpectum venit, quod fit ſequenti modo.

Inquiratur primo in vas quoddam lymphaticum majus, quod præſertim in meſenterii centro apparet, vel ſubjacet etiam venæ emulgenti ſiniſtræ, vel quoque in bifurcatione venæ cavæ & aortæ in pelvi reperitur, cui detecto immittatur tubulus conicus ferreus, cujus acumen incurvatum eſt, tubuloque & vaſe lymphatico filo arcte conjuncto, mercurius vivus depuratus huic infundatur, quo facto argentum vivum, propria ſua gravitate, per lymphatica, ut & lactea vaſa, per cyſternam & ductum thoracicum penetrabit, ea replebit, diſtendet, jucundoque ſpectaculo omnia, antea obſcura oculoſque fugientia, reddet quam manifeſta, & ipſis ubique obvia oculis. Hæc eſt illa methodus, quæ omnibus aliis præferri meretur, uti ipſemet vel decies imo ultra id experimentum, a Clariſſ. Viro optimo cum ſucceſſu inſtitutum, vidi.

§. VIII.

Sic pro viribus, rudi licet Minerva, tradere licuit anatomicam ſtructuram propoſiti mali: ſedes & encheireſes, quibus rite adminiſtratis, hæ partes in conſpectum veniunt, brevibus ſunt quoque adjectæ, id quod pro ulteriore conſideratione haud erit inconveniens. Jam autem mihi incumbet, ut me convertam ad ea mala conſideranda, quæ has partes maxime infeſtant, cujus rei exempla hinc inde in Medicorum commentariis reperiuntur. Quid enim Phthiſeos cauſam nobis uberiorem ſuggerit, quam quidem meſenterii glandulæ, ſcirrho obſeſſæ, & in ulcus degenerantes? Hic plura poſſent adduci exempla, verum cum inſtituti noſtri ratio id non poſtulet, miſſis his, ad vaſa lymphatica, tanquam fœcundas hydropis genetrices me converto. Hydropem maxima ex parte his vaſis, vel nimium diſtentis, vel etiam ruptis originem debere, nemo, qui hæc paulo altius indagavit, facile ibit inficias. Plurimos mecum conſentientes habeo, eoſque in arte celeberrimos viros, quorum verba, hanc rem uberius explicantia, hic adducere nimis prolixum foret, quum unuſquiſque harum rerum cupidus poſſit evolvere *Pitcarnium*, *Baglivium*, cumque plerique Practicorum libri hac ſcateant materia, lubentiſſime his ſuperſedeo.

§. IX.

Ut promiſſis in paragrapho præcedente faciam ſatis, liceat mihi inter morbos, a vaſis lymphaticis & lacteis oriundos, conſiderare principaliorem, hydropem puto, tanquam morbum ubique graſſantem, omnemque

que hominum ætatem & ſexum infeſtantem. Antequam autem ad ipſas hydropis cauſas progrediar, haud incongruum fore arbitror, ſi fuſius hydropis hiſtoriam, differentias, & reliqua huic ſcopo inſervientia conſiderem. Oritur autem nomen hujus morbi a vocabulo Græco ὕδωρ, aqua, & ὄπτομαι video, aut ut aliis placet, ὤψ, facies, & nihil aliud eſt, quam ſeri aquoſi, aut lymphæ, extra vaſa fuſi, in cavitatibus receptio, aut adhuc detenti in vaſis ſtagnatio. Ex qua definitione data facile colligitur, quemcunque abundantem in cavitate vel vaſorum, vel ventriculorum, liquorem nomen hydropis ſibi vendicare.

Hic, ſi tempus permitteret, plurima poſſem adducere, & omnes morbos, a colluvie ſeroſa ortos, huc referre, ipſis & nomen hydropis tribuere; quæ vero, cum minime noſtro conveniant ſcopo, jam ſicco prætereo pede, Lectorem interim Benevolum ad aureos certe, & cedro digniſſimos tractatus *Piſonis* & *Wepferi* ablegans, in quibus apoplexiæ, lethargi, diarrhœæ, catarrhi, reliquorumque multorum morborum cauſas, ab aqua, ſero, in cavitatibus, vel, uti Anatomicis placet, in ventriculis cerebri, vel alibi locorum ſtagnante invenies: quis autem negaret, hæc rite conſiderata ſummo jure ad hydropis ſpecies referri poſſe? Ego vero ſatis arbitror in ſequentibus ea ſolum allegaſſe, quæ proprio hydropis nomine paſſim in Practicorum ſcriptis reperiuntur.

§. X.

Quia aqua hæc collecta, vel totum imprægnat corpus vel ſolum determinatam ejus partem, hic morbus in univerſalem & particularem fuit diviſus.

Ad univerſalem pertinent anaſarca & leucophlegmatia; ad particularem vero numerantur omnia ea, uti a varietate partium nacta ſunt nomina, quæ jam breviter expendenda venient. In capite aquæ collectio vocatur hydrocephalus, qui & partium capitis aqua diſtentarum, & cauſarum intuitu multiplex eſt, cujus 4. vulgo ſpecies recenſentur, vid. *Manget. Bibliothec. Medic. Practic.* In aſperæ arteriæ parte anteriore & conſpicua, lympha quacunque vi ſtagnans collecta, ſub ſpecies bronchoceles apparet. In oculo hydrops oculi, uti ipſemet memini me obſervaſſe caſum talem Argentorati, in amico plurimum æſtumando, cujus oculi cavitas, a nimia abundantia humoris aquei, ita erat aucta, ut tunica cornea extra oculi orbitam prominuerit, triſtemque ſpectatu hydropis procreaverit ſpeciem. In pectore hydrops pectoris; in pericardio hydrops pericardii; in abdomine hydrops aſcites; in utero hydrops uteri; in ovario hydrops ovarii appellari conſuevit. Manifeſtat quoque ſeſe hic morbus in partibus genitalibus, ſub quatuor ſpeciebus, nomine hydroceles, quas allegare nimis longum foret atque ſupervacaneum, cum hæc quam optime alibi, præſertim in *Aphoriſmis* a *Clariſſ. Boerhaavio* editis,

deſcri-

deſcribantur. Ultimo denique loco ad has hydropis ſpecies annumero & tympanitidem, etſi Clariſſimos viros habeam diſſentientes: magnus vero *Cous* noſter *tympanitidem, hydropem ſiccum* haud immerito appellat.

X I.

Sufficiant hæc de hydropis ſpeciebus, idque eo magis, cum ſcopus diſſertationis involvat ſolummodo aſcitem, de qua plura erunt dicenda, qui morbus cognitu difficilis non eſt ob magnum abdomen, ab aqua diſtentum, reſpirationem difficilem & reliqua ſigna, hinc inde in Practicorum libris reperiunda. Cauſam autem quod attinet, hæc dictu & explicatu difficilior eſt, oriri tamen plerumque a vaſis lymphaticis, quocunque modo obſtructis, nemo, qui machinam humanam ejuſque mirabilem ſtructuram habet perſpectam, facile negabit.

Oritur autem hæc obſtructio, primo a compreſſione partium circumjacentium, aut in ſcirrhum, (vid. *Cæl. Aurelianum* in ſuo *libr. de morb. acut. & chronic. p.* 467.) aut tumorem qualemcunque degenerantium; ſi enim vaſa lymphatica in loco inſertionis, ubi omne liquidum receptum alias infundere ſolebant, inveniunt reſiſtentiam, a dictis cauſis ortam, lympha in illis accumulatur, vaſa diſtendit, imo aliquando ob abundantiam crepare facit. Vel etiam oritur obſtructio, ſi globulus, cavitatem vaſis ſuperans, ac non tranare valens, id obſtruit, ubi quoque recenſita ſequuntur mala.

Dantur multi inter recentiores, qui accuſant vaſa recipientia, ſive bibula dicta, tanquam cauſam hydropis, & quidem haud immerito; ſi nimirum illa reddantur inepta ad abundantem humorem recipiendum, cum tamen interim vaſa exhalantia ſemper liquidum fundant, quod liquidum in cavitatibus receptum, & tam parum motum, nec exhalare nec reſorberi poteſt. Demonſtrant Anatomici ſectionibus cadaverum, quod omnes cavitates totius noſtri corporis plenæ reperiantur rore humido vitali, mediante quo viſcera conſervantur humida; quia autem hæc aqua ſemper renovata adfertur in ſtatu ſano ſine mala nota, ſequitur adeſſe venas illam abſorbentes, & priſtinæ circulationi reſtituentes: quem humorem halituoſum, ab arteriolarum extremitatibus effuſum allegat *Clariſſ. Ruyſchius* loc. cit. Hæc eſt illa venoſarum extremitatum obſtructio, quam & *Clariſſ. Vir* inter præcipuas fere cauſas hydropis numerat, *Adverſ. Anat. D.* 2. *p.* 24. Teſtantur mortuorum cadavera, omnes cavitates, pericardii nempe, ventriculi, cerebri, peritonæi &c. plenas eſſe tali liquido, ab hujus receptione inepta reddita, manifeſto indicio, hoc ſi contingat in ſtatu ſano, qualicunque modo ſit, ut vaſa reddantur ad recipiendum humorem illum halituoſum, ab arteriolarum extremitatibus effuſum, inepta, vid. *Clariſſ. Ruyſchium loc. cit. Adv. Anat.* neceſſario morbum, de quo agitur, originem trahere. Videtur hoc jam fuiſſe notum

tum *Hippocratis* temporibus, cum in ejus ſcriptis ſequentia reperiamus verba: *Corpus cavitatibus ſcatet, & hæ in ſanitate ſpiritibus plenæ ſunt, ſed in morbo ichore, hinc omnis circulatio per vaſa impeditur.* Si autem omnia quam lubentiſſime conceſſerim, nemo unquam demonſtravit, abſque prævia lymphaticorum ruptura contigiſſe.

§. XII.

Aſcitis, de qua tanquam ſcopo diſſertationis diſſerere in præcedentibus eſt promiſſum, eſt collectio aquæ in abdomine facta, duplicem habens originem: 1°. In duplicatura peritonæi, in qua aqua collecta tam enormen efficit tumorem, ut teſtante *Celeb. Job. a Meeckeren*, ſectione poſt mortem inſtituta, ipſe eduxerit 125. libras aquæ: hic tumor haſce lamellas ita dilatabat, ut cetera viſcera quaſi obſcura reliquerit, uti ipſe deceptum ſeſe confitetur in *Obſerv. Medic. Chirurg. p.* 233. dicens: *Rei novitatem admirabamur, qui perveniſſe nos in ventris cavitatem putabamus, nihil viſcerum reperiebamus, peritonæum cuti unitum in eam magnitudinem extendi poſſe, qualis nobis occurrebat, nunquam admiſiſſemus, niſi oculis noſtris fuiſſet exhibitum.* 2°. Inter peritonæum & viſcera, id eſt, in cavo abdominis, & ejus glandularum cavis dilatatis, vaſiſque ibi contentis: quæ ſpecies veteribus jam diſtincta in clauſam & fluctuantem, illa, clauſa dicta, modernis ſub nomine hydatidum venit, aut ſi mavis hydropis ampullati, eſtque materiæ aqueæ vel lymphæ, intra membranaceum loculum receptio, quæ membranam tali modo diſtendit atque attollit, ut hydropis nomen haud immerito mereatur; quod ſi autem tales in abdomine magna copia exiſtant, tumorem, aſcitico non abſimilem, excitant. Legi merentur de his *Opera Clariſſ. Ruyſchii*, quæ plena talium reperiuntur obſervationum. Conſidera in ejus *Obſervat. Anatom. Chirurg. Obſervat.* 46. & deprehendes, hydropem aſcitem ex hydatidibus, ubi Vir Clariſſ. recenſet, ſe in ſectione inveniſſe totam abdominis cavitatem repletam innumerabilibus veſicis & ſacculis, humore tenaciore & glutinoſo repletis, diverſæ magnitudinis, uti ibi adjecta figura commonſtrat: perge evolvendo, & exhibebit tibi figuris annexis in placenta, in veſica, in umbilico &c. & quod mirum videtur, *Adverſ. D.* 1. *p.* 8. & *Epiſtol. ad Ettmuller. p.* 21. adjicit, in ipſo plexu choroideo ſe obſervaſſe tales veſiculas. Non frequentius autem reperitur hoc mali genus, quam in regione abdominali, & ſane multo frequentius, quam quidem vulgo putatur. De hoc & locutus eſt *Hoeffer* in ſuis *locis communibus p.* 176. ubi dicit, ſe quoque obſervaſſe, hydropicorum aquas circa meſenterium, veſiculis variæ magnitudinis incluſas. Quæ hydrops vocatur clauſa, ideo quia intra duas tunicas, a *Regnero de Graaf* in tractatu *de Organ. Mulier.* deſcriptas, clauſus quaſi retinetur humor, aut etiam, quia ſine undulatione eſt, nec ullum ſignum edit ſoni, oſcitante corpore, cum

tamen pondus ratione molis conveniat, manifeſto indicio, aquam adeſſe, ſed ſuis ſacculis retentam. Altera autem ſpecies, fluctuantis retinet nomen, ſi veſiculæ vel tenuitate ſua, vel acrimonia ſeri intus contenti rumpuntur, & illud ſerum, antea ſacculis incluſum, in cavitatem ventris effundunt, quæ eſt illa ſpecies hydropis, aperta vel fluctuans dicta: quam & optime deſcripſit *Hæfer loc. cit.* exemplum etiam miratu dignum noviſſime deſcriptum invenimus in *Act. Reg. Paris p* 215. *A.* 1722. ubi *Morandus* obſervavit multas hydatides, per totum abdomen diſperſas, & per diſſectionem cadaverum in apricum deductas.

§. XIII.

Omnia hæc huc uſque adducta ſatis demonſtrant, morbum hunc deſcriptum, intelligo aquam in abdomine incluſam, & quocunque modo conſtitutam, curatu eſſe difficillimum, & quoad vitam ægri periculoſiſſimum; nam uti ex plurimis practicorum libris colligere potui, morbus hic vix ac ne vix quidem permittit, ut æger integra ſanitate frui poſſit, quippe quod mortem plerumque pediſſequam habet. Sperandum autem adhuc aliquid eſt de operatione illa, quam chirurgi paracentheſin vocant, mediante qua, rite adhibitis encheireſibus, aqua educitur, ſed ſi paulo attentius rem inquiramus, plerumque eſſe ſolet hæc operatio tantum cura palliativa, quia hydrops hac adhibita non radicitus exſtirpatur, ſed ſemper e vaſis ruptis fons quotidie manans remanet, uti *Pitcarnius* optime *in libr. de element. medic. p.* 190. diſſerit. Quoniam autem præſtat ad prolongandam ægri vitam tale remedium anceps adhibere, quam nullum, minime illud eſt ſpernendum; ea enim de re omnes medicorum principes mecum habeo conſentientes, qui dicunt, quod, ſi malum nullis remediis debellari queat, hæc laudata operatio, paracentheſis nimirum, inſtituenda ſit. Quare haud abs re fore puto, pauciſſimis hanc operationem adjicere & deſcribere verbis, præſertim eam ob cauſam, quia in noſtro ægro hæc operatio, uti ex hiſtoria morbi patet, ſepties fuit inſtituta & repetita.

§. XIV.

Antequam operatio inſtituatur, medicus præſertim ad ſequentia reſpiciat, nempe ut hydrops ſit recens, æger bonis viribus præditus, & viſcera nondum corrupta, ſi autem ad hæc non attenditur, tunc, *Harveo* libro *de curat. morb. per expect.* monente hæc operatio inſtituta & repetita citius mortem accelerat: ſi contra ea obſerventur deſcripta, operationem inſtituendam ſuadet. Aeger ſellæ erecto corpore inſideat, chirurgus præſens ſit inſtructus cannula argentea, acu triangulari prædita, & oleo inuncta, quam Galli *trois-quarts* appellant, in loco tres digitos tranſ-

tranſverſos a linea alba, totidem infra umbilicum diſtante, (non autem tam accurate deſignari poteſt, cum pro mole abdominis quilibet rationalis chirurgus ſibi commodiſſimum quemque eligat: cum de loco pertundendo variæ ſint ſententiæ, vid. *Celſus*, *Fr.* ab *Aquapendente* & *Dionis* &c.) uno ictu immittenda, poſteaque acus eximenda, corpus ægri paululum ab adſtantibus inclinandum ad locum pertuſum, ut aqua per dictam cannulam eo melius educi queat.

Variant atque inter ſe diſſentiunt multi chirurgi, an nempe una vice, an vero repetitis aqua ſit educenda? Si ultimum tibi eligas, tunc cannula maneat in abdomine, ut tali modo nova punctura evitetur. Docent Galli, principatum inter chirurgos tenentes, aquæ una vice emiſſionem non adeo eſſe periculoſam, ut vulgo quidem putatur, qui ſemper, ſemel immiſſa cannula, omnem eliciunt aquam, non ſine ſummo ſucceſſu, ea tamen cautela, ut miniſtri eorum manibus ſuis externe ſemper premant abdomen, & aquis eductis, cannulaque extracta linteum abdomini circumvolvant, hoc conſtringant, & tali modo reſpirationem, alias ob atoniam muſculorum difficilem redditam, facilitent, impediantque hac encheireſi, ne magna ſanguinis copia, relaxato ſic abdomine, ad vaſa meſeraica uno impetu, operatione abſoluta, ruat, & mala his adhuc diriora producat. Obſervata hac deſcripta methodo, non facile falletur, vel ſpe ſua fruſtrabitur operator, in educenda una vice aqua, quam operationem & ipſemet aliquoties, & optimo cum ſucceſſu peractam, vidi. Quam ob rem Gallorum ſententiæ facile ac lubentiſſime ego quoque me ſubſcribo, etſi *Pitcarnius*, aliique non eandem foveant ſententiam, quippe cum ipſis hæc, eam operationem inſtituendi methodus, haud ita fuerit perſpecta atque nota, quam quidem ſit hodie, alias eam ſine dubio non improbaſſent.

§. XV.

Huc uſque & quidem breviter conſiderare licuit hydropem, in corpore humano per vaſa lymphatica, §. XI. deſcripta, generatum, ut & modum, quomodo illa producatur §. XII. ubi demonſtratum, quidquid obſtruat vel preſſione vel immeabilitate dicta vaſa lymphatica, illud haud ineptum eſſe ad generandum hydropem. Omnes medici, quotquot hactenus evolvi, teſtantur, hoc fieri poſſe vario modo, & variis corporibus, tranſitum lymphæ denegantibus. Cum autem, ut ſuo loco adductum, hæc vaſa fere omnia evacuare ſeſe in receptaculum chyli, ibique lympham deponere queant, rationi haud erit inconveniens, ſi & hic locorum corpus heterogeneum hæreat, quod lymphatica ita comprimit, ut liquido tranſitum denegare cogantur, exinde per conſequens hydrops generetur.

Hoc autem corpus heterogeneum, quod ſingulari figura, ab utroque latere conſpicua, diſſertationi huic annectendum curavi, fuit corpus ſolidum, &c. ut in Medicorum ſcholis receptum, calculus nuncupatur, qui, variis ſuis appendicibus & eminentiis *D. D. D.* orificia vaſorum lymphaticorum, ſe terminantia in cyſternam lumbarem, ita obturavit, ut liquidum effundere non potuerint. Hæc nova eſt hydropis cauſa, & a nemine, quantum novi, huc uſque deſcripta, quæ ſingularem utique meretur attentionem. Quæ vero cur ægrum tam delaſſatum, tamque macilentum reddiderit, hic loci explicare meum non eſſe exiſtimavi, ſed quædam tantum, hanc rem illuſtrantia, in calce diſſertationis addere animus eſt.

X V I.

Explicato hydrope, ex cauſa nova orto, quantum permiſere vires, neceſſe quoque eſt, ut & ea, quæ de calculo dici queunt, paucis pro virium modulo adjiciam. Antequam autem rem ipſam aggrediar, præmonere lubet, materiam de calculo microcoſmi tam vaſtam eſſe, ut vix diſſertationum limitibus includi poſſit, & ſi omnia, ad calculi hiſtoriam facientia, hic adducere animus eſſet, integer ſane tractatus, ad hanc materiam rite examinandam vix ſufficeret. Hanc vero rem, antea obſcuram & tenebris involutam, tam claram inſtitutis ſuis experimentis reddidit *Clariſſimus Boerhaave, Præceptor meus, nunquam non omni honoris ac venerationis cultu ſuſpiciendus*, ut quilibet facili ſane negotio, originem & generationem corporis hujus peregrini in microcoſmo, percipere atque intelligere poſſit. Per calculum vero intelligo materiam peregrinam, duram, friabilem, vel ſi mavis, fragilem, in corpore animali concretam, ex hujus liquoribus intra vaſa vel cavitates obortam: quæ materia omnibus in locis totius corporis humani exiſtere poteſt, uti exempla rem illuſtrabunt, renibus tamen & veſicæ, imo omnibus uropoieticis partibus magis, quam quidem reliquis aliis eſt familiaris.

§. X V I I.

Jam inſtituti ratio poſtulat, ut adducantur ex auctoribus ea, quæ præcedenti §. fuere promiſſa; nimis autem prolixum foret, omnium obſervationum huc uſque editarum facere mentionem; ſufficiat præcipuas ex iis hic allegaſſe. In glandula pineali in tribus cadaveribus calculum inventum fuiſſe, ipſemet factus fui teſtis oculatus Argentorati, quales obſervationes quoque paſſim occurrunt. In oculi cantho majori, materia tenax ibi hærens, ſi diu relinquitur, inſpiſſando naturam induit calculi, quod obſervatur in damis cervis, quorum animalium oculi non niſi nictu palpebrarum expurgari poſſunt, vid. *Journal des Sçavans*, 1701. ubi quoque occur-

occurrit exemplum calculi, in oculi humore aqueo reperti. Per nares excreti ſunt calculi, vid. *Ephemer. Germ. D.* 1. per aures, *ibid. D.* 2. *a* 6. per os apud *Liſterum:* ex ductibus *Bartholinianis* ſub mento lapides ſatis magni extracti, qui niſi levi ictu ſcalpelli eſſent exciſſi, mulierem in metum ſuffocationis injeciſſent, uti retulit *Clariſſ. Boerhaave*: in tonſillis reperti, vid *Ephemerid. German. D.* 1. *a.* 9. 10. ex trachæis exemti calculi, duo cochlearia replentes, vid. *Trans. Brit. p.* 259 *Ephem. Germ. D.* 1. *a.* 2. per tuſſim excreti & valde ponderoſi, vid. *Liſterum* & *Ruyſch. Theſaur. Anat.* 3. Glandulas quoque bronchiales ſæpiſſime induere formam calculoſam, teſtatur *Heiſterus* in *Comp. Anatom.* In cordis muſculoſa parte intra dextrum & ſiniſtrum ventriculum calculum repertum, vid. in *Act. Brit. N.* 5. *p.* 86. In ventriculo, vid. *Horſtius p.* 142. & *Tranſact. Brit. N.* 250. De cholelitho, ſeu calculo felleo, ubique occurrunt obſervationes. In meſenterio obſervavit *Nuck* & *Steno:* in venis meſentericis *Nuck*, in venis hæmorrhoidalibus & vena portæ, vid in *Act. Brit. a.* 1. *p* 142. In vagina uteri cruſtam calculoſam generatam fuiſſe teſtatur *Clariſſ. Hoffmannus*, *in Diſſert. de incontinentia urinæ.* Intra veſiculas ſeminales, *Trans. T.* 3. *p.* 65. In fiſtula ani, invenies in *Ephemer. Germ. D.* 9. evolve & *Ruyſchii theſauros anatomicos*, præſertim ſecundum, reperies illos obſervationibus, ad hunc rem ſpectantibus, plenos. Præterea in omnibus abſceſſibus poſſunt generari calculi, quorum exempla quam plurima in *Ephemer. Germ.* occurrunt.

Non ſolum autem in corpore talia heterogenea generantur corpora, ſed & excernuntnr extra illud per poros cutis, quod clare demonſtrant induſia artificum, qui artem vitrariam tractant. Nam cum hujuſmodi homines ſummo ignis calori, quo vitrum funditur, ſemper ſint expoſiti, prætereaque ad vitra formanda magno opus ſit labore & corporis motu, haud aliter eſſe poteſt, quin pori cutis magnam ſudoris copiam tranſmittant. Hic autem ſudor, vel potius ejus contenta, quæ magnam cum urina habent ſimilitudinem, ad latera induſiorum ſub forma ſalis ammoniaci gryſei, aut aphronitri, non parva quantitate adhærent: quod cuilibet in talibus laboratoriis vitrariis videre licet. Sal iſte prunis injectus relinquit materiam poroſam, levi ſabulo æmulam. Quæ allegata exempla ſufficiant pro demonſtratione calculoſæ materiæ, in & extra corpus oriundæ.

§. XVIII.

Non abſonum erit, ſi hoc §. demonſtravero generationem calculi, ex experimento, ab ipſo *Clariſſ. Boerhaavio* inſtituto, quod rem penitus illuſtrabit, cum illud magna conſtantia & patientia Vir laudatus inſtituerit, & ea, quæ ſpectant ad rem ipſam, obſervaverit. Sumſit nempe Vir Celeberrimus urinam recentem, adhuc calidam emiſſam, poſt peractas concoctiones, ex tali familia, in qua nulla ſigna calculi ex propria pro-

penſione, hunc immiſit in vas vitreum puriſſimum, ubi primo adhibito microſcopio nullum calculi indicium apparuit, non autem defatigatus Vir Doctiſſ. introſpiciendo, detexit tandem corpuſcula flocculenta quaſi, (id eſt, quæ non habebant æqualem ſuperficiem ſed tomentoſam) per omnia diſtributa, quæ erant in perpetuo motu, quot nempe aſcendebant, tot deſcendebant, quæque primo apparebant ſub colore albo. Porro non remoto microſcopio, obſervabantur in lotio hærentia ſtrata ſpirituoſa perexigua, qualia profert ſpiritus vini, dum aqua diluitur: ex quibus pinguibus lituris formabatur nubeculæ ſpecies, quæ increſcebat appoſitione particularum, ita ut increſcente hac, motus, alias vehemens, debilis & quaſi nullus evaderet, qui, per horam in tali ſtatu manens, penitus evaneſcebat, calculuſque ad latera, in fundo, imo tota ſuperficie formabatur, ac illud, quod antea album erat, jam rufum conſpiciebatur, per tempus autem increſcens, plane colorem arenæ rubicundum induebat. Cum autem continua appoſitione particularum nubecula ſui ſuſtinendæ evaſiſſet incapax, fundum petiit, calculique ſic dicti formam præ ſe tulit.

Hoc inſtituto experimento Vir Clariſſ. demonſtrare vult, in corpore ſano talia adeſſe elementa, calculo conſtituendo & generando apta, quæ, quietem nacta quacunque occaſione, ubique & in omnibus corporis partibus calculi ſpeciem conſtituere cauſarique poſſunt.

§. XIX.

Satis luculenter apparuit, materiam calculi ubique eſſe præſentem, quid quod & in homine ſaniſſimo, in omni ſexu, omni ætate, ita ut nemo liberum ſe a calculoſis elementis venditare poſſit. Notabile eſt, monente *Fernelio*, quod omnes calculi nucleum intra ſe contineant, cui ſe lamellatim apponunt illa calculi principia, ſic ut tractu temporis magis magiſque molem calculi efficiant majorem. Calculi materiam ubicunque præſentem, cuicunque corpori ſeſe ceu nucleo applicare, ſequentia illuſtrabunt exempla & experimenta: immitte calamum lævigatiſſimum in urinam bonam & ſanam, prima vice pauca obſervabis contemplatu digna, ſed continua appoſitione, totus calamus, materia tali calculoſa incruſtatus, obſervabitur. Huc quoque pertinet exemplum Lugduni obſervatum in milite quodam, qui, in bello infortunio circa oſſis iſchii regionem, ſclopeti ictus globulo, nihil inde mali ſuſpicabatur, globulum exitum reperiſſe autumans, vulnere more ſolito curato, donec tandem elapſo quodam temporis ſpatio, ſummoſque prius perpeſſus dolores, circa regionem illam abſceſſum deprehendit, ex quo aperto in lucem prodiit calculus, globulum ſclopeti antea adacti referens, cui ſeſe materia applicaverat calculoſa. Inſtituta quoque eſt quondam hæc operatio, lithotomiam puto, in ægro calculo laborante, & quidem, uti putabatur, ſatis feliciter, ut æger ab hoc immunis eſſe crederetur; vixit etiam immunis

nis per aliquod tempus, donec rurſus diris cruciatibus, ſummiſque doloribus laſſatus, eorumque impatiens, alteram ſectionem inſtitui juſſerit: qua inſtituta, repertus eſt calculus tam friabilis, ut forcipe vix extrahi potuerit, extractus autem & examinatus, nucleus erat plumaceolum, forte in prima operatione intruſum, quod materia tali erat inductum.

Excernuntur quandoque in animalibus, motu exercitatis, ſolo fœno & aqua utentibus, per anum calculi, humanis quam ſimillimi, quorum nucleus accurato examine *Clariſſ. Ruyſch.* ex grano avenæ digeſtione non ſubactæ, conſtare videbatur. Poſſem & adhuc aliis exemplis rem illuſtrare, ni ſufficerent modo prolata.

§. XX.

Ex quibus omnibus, rite perpenſis, palam eſt, calculum cum tartaro vini magnam habere affinitatem, quoad generationem nimirum; nam uti tartarus generatur ex liquido, uti adhæret lateribus vaſorum, liquidum continentium, uti alieno cuivis corpori lamellatim quaſi accreſcit, & iterum in liquido, ex quo generatus eſt, non amplius diſſolvitur; ſic ea quoque in calculo obſervare licet, & plane eodem modo ſeſe res habet cum eo, uti ex jam adducta deſcriptione claruit.

Si autem ad principia, calculum & tartarum conſtituentia, mentem advertamus noſtram, & Chemia edocti judicium feramus, longe ſane major inter hæcce deprehendetur convenientia; nam, ut taceam, ex regno vegetabili tartarum, ex animali vero calculum oriri, hæc duo regna, conſentientibus Chemicis, ratione principiorum maxime inter ſe differunt, cum ex uno ſal educatur volatilis, ex altero vero remaneat fixus. Sed omitto hic multis verborum ambagibus deſcribere differentias, quæ in Chemicorum libris paſſim reperiuntur, cum potius conveniet experimenta, cum calculis inſtituta, allegare, qualia plurimi Medicorum inſtituerunt.

§. XXI.

Talia experimenta, ad calculi generationem ſpectantia, hujuſque principia detegentia, inſtituit *celeb.* Frid. Hoffmannus, uti in *obſerv. Phyſ. Chemic. Obſ.* 25. *p.* 229. videre eſt: quem & in deſcriptione horum, cum aliis ſequar: namque

1. Calculus humanus, pulveriſatus & in aqua pluv. coctus, reddit aquam turbidam, in ſuperficie ſubalbidam, quæ effuſa & iterum alii commixta parum mutatur, ſemper autem pulvis remanet in vaſe: aqua illa prima effuſa, albida, inſpiſſata relinquit in fundo ſiccam materiam amaricantem, quæ prunis impoſita nullum odorem ſpargit, nec cum

ſpiri-

ſpiritu acido effervеſcit, verum cum ſale tartari mixta, ammoniacalem volatilem reddit odorem, pulvis autem in ſecunda coctione in fundo remanens, in omnibus ſimilis eſt calculo recenter edito.

2. Calculus magnus unc. j. pond. ſenſim deſtillatus ex igne arenæ dabat drachm. ij. ſalis volatilis fuſci & amari, qui maxime conveniebat cum ſale cornu cervi, poſtea materia, remanens in retorta, calcinata, reliquit in fundo drach. j. terræ, & reliquum per ignem volatile redditum in auras abiit.

3. Alius calculus unc. ij. dedit ſalem volatilem ad drachm. ij. qui frigore concretus ſal cornu cervi æmulabatur, reliquum corpus poſitum in cupella, reliquit tandem drachm. ij. & gr. 44. terræ: interim ſi vapor exeuns recipiebatur naribus, perfecte referebat ſal cornu cervi volatile.

4. Calculi carbonibus ignitis impoſiti odorem ſpirant oſſium adultorum, id eſt, ſpargunt odorem ſalis volatilis in his contenti.

5. Calculi ſpiritui vitrioli & ſalis injecti, in his non ſolvuntur, ſed tantum bullulæ aſcendunt, aqua autem fortis bonæ notæ totam calculi compagem diſſolvit: eundem præſtat effectum ſpiritus fumans Hoffmanni, vid. *loc. cit.*

§. XXII.

Hiſce rite conſideratis tandem concluditur, calculorum generationem non fieri petrificando, ut aquæ ſtallactitæ, nec ut Helmontius voluit, uno momento ex mixtura ſpiritus urinæ cum alcohole vini: nec eſt materia pituitoſa, nec caſeoſa, nec ſalina, volatilis, nec fixa, nec coagulata, nec oſſium aut dentium. Interim tamen ſi dicendum, quod res eſt, ad oſſium & dentium principia calculi maxime accedunt, quod ex examine chemico, huc uſque adducto, manifeſte ſatis apparet; mihi itaque veriſimillimum eſſe videtur, particulas calculum generantes eſſe moleculas nutritias & forſan abraſas, terreo volatiles, quæ ſubtilitate ſua ubique penetrare, & per omnia loca iterum excerni poſſunt, quod docent loca allegata, in quibus calculi fuere reperti.

Quid ita mirum, cum ubique calculus concreſcere poſſit, eum quoque in cyſterna chyli generatum fuiſſe; nam omnis nutritio, excepta ea, quæ fit, ut demonſtratum, per poros cutis inhalantes, peragitur mediantibus lacteis & meſentericis vaſis, quæ omnis chylus, antequam ad ſanguinem perveniat, vel potius ejus pars permeare debet. Continet itaque omnes particulas, ad quodcunque corpus producendum aptiſſimas: quares ſupervacaneum eſſe duxi, pluribus generationem calculi, in cyſterna lumbari exorti, illuſtrare, cum res per ſe ſatis ſit perſpicua.

§. XXIII.

Denique haud prætereunda eſt quæſtio, quam quilibet ſibi movere poterit

Tab. XI.

Fig. 1.




Fig. 2.



Disput. Medico-Pract. Tom. III. pag. 553.
SCHERB DE CALCULO RECEPTACULI.

poterit: quomodo nempe æger noſter, obſtructa regia hac via, per tantum temporis ſpatium vitam potrahere adhuc potuerit ſuam? ut autem brevibus me expediam primo ſciendum, calculum deprehenſum fuiſſe cavum, ubique poris pertuſum, magnumque in ſui medio habuiſſe foramen A. in ſuperiore ſui parte B. multis porulis, ſetam transmittentibus, fuiſſe præditum: nam tali modo adhuc pars chyli quædam, ex lacteis per calculum ipſum ad ductum thoracicum pervenire potuit; quod hoc falſum non ſit, demonſtrat ipſe calculus, qui, uti ex hiſtoria morbi patet, exemtus chyloſa adhuc repletus erat materia.

Sed forſan huic ſententiæ quidam contradicent, objiciendo, partem chyli, per hæc vaſa ſecretam, non fuiſſe ſufficientem ad ſuſtentandam hominis hujus vitam, quo licet poſito, tamen haud negabunt, venas meſentericas, juxta ubique receptam opinionem, hiare in inteſtina, atque ad recipiendam chyli partem ſubtiliſſimam eſſe aptas: quare veriſimillimum mihi videtur, partem nutritionis per venas meſentericas fuiſſe quoque abſolutam. Eos, qui hanc venarum texturam ſcire deſiderant, ablego ad *celeb.* Ruyſchii aliorumque neotericorum anatomicorum tractatus.

§. XXIV.

Ultimo tandem loco, cum omnia, quæ ad morbum propoſitum ſpectant, ſint conſiderata & pro viribus perpenſa, ſequitur concluſio: calculum nempe, præterquàm quod hydrops, diſruptis vaſis lymphaticis, difficillime curetur, etiam nulla arte curari atque debellari potuiſſe, quod omnes veritatem amantes mecum confitebuntur.

Habes ergo hic, L. B. ea, quæ per breve temporis ſpatium, atque limitum præſcriptorum anguſtias, & exiguam juvenilis ingenii aciem exarare potui, debui. Pro conceſſis itaque viribus numini Supremo grates perſolvo, quas poſſum, maximas, quem & ſupplex veneror, velit omnia mea qualiacunque ſecundare conamina.

Explicatio Figurarum.

Fig. 1. Siſtit ſuperficiem calculi verſus abdomen ſpectantem, in hac autem A. magnum foramen, B. porulos aliquot, ſetam permittentes, C. infimam calculi partem, D. D. D. varias prominentias, vaſa lymphatica obſtruentes, denotant.

Fig. 2. Depicta eſt calculi ſuperficies vertebris incumbens.

F I N I S.

CAPITIS PRIMI HISTORICI

Casus Primus.

ANno 1715. m. Aug. uxor piſtoris, cui nomen *Michael Harnharth*, cum filio *Michael*, annum agente 16mum convenere, ut conſilium a me peterent, circa morbum diuturnum, vel chronicum, quo filius jam tres prope annos valde laborabat. Aſpiciens puerum, vidi faciem inſolito, & livido cœruleſcente quaſi colore ſuffuſam, reſpirationem anheloſam, thoracem juſto elevatiorem, imo totum abdomen valde tumidum, & inſtar tympani diſtentum; hiſce perſpectis, antecedentium explorandorum avidus, rogabam an initium morbi illis non ſit notum; qui reſpondentes ajebant, imo vero cauſam hujus morbi illos non latere, a trunco enim ligni, quem puer in capite geſtabat, decidente in dextrum hypochondrium, hunc morbum ortum eſſe; ſtatim enim poſt hujus lapſum dolorem fere intolerabilem, in prædicto latere, illum ſenſiſſe, aliquibus diebus peractis in tantum mitigatum eſſe dolorem & in latere neque livorem, neque ruborem (uti alias a contuſione fieri ſolet) apparuiſſe; rite igitur omnibus penſitatis, morbum pro aſcite habebam, nempe juxta ſequentem geneſin, quod violenta illa attritione trunci vaſculum unum vel alterum ruptum, & apertum fuerit, & ſic ſerum in cavitatem abdominis effundi, & deſtillare inceperit, quod jam in tanta quantitate extravaſatum, ut æque illius diſtenſionis abdominis, ac elevationis diaphragmatis cauſa ſit, & difficili reſpirationi anſam dederit, inde morbum nullam curationem admiſſurum mecum reputans, judicabam meliùs actum fore, ſi matrem cum ægro abſque remediis dimitterem, ne, vel protracta diutius curatione, vel ſubſequenti morte, medentis exiſtimatio læderetur; eram enim memor conſilii beati & honoratiſſimi domini præceptoris mei, D. D. Lavateri Tigurini, quem ob moram, quam in Angliæ Metropoli traxerat, magnis ornatum meritis, Anglum in patria vocabant; ita enim tum mihi: ſi domum aliquando redieris & æger chronico laborans morbo, quales ſunt hydrops, & ſcorbutus, te conveniat tuoque utatur conſilio, dimitte illum ſi fieri poteſt abſque remediis, hoc reſponſo, tua remedia, quibus in tali caſu uti ſoleas nondum adveniſſe; infelix enim, inquiebat, ille eſt, qui talibus praxin ſuam incipere cogitur ſcandalis, vulgus enim nimis facile dataque opera juniores medicos diffamare ſolet, trito de Cœmiterio novo proverbio; quæ in viri optimi dixiſſe memoriam non piget, cum & ſummam ejus eruditionem, & in docendo fidem, poſt fata etiam non poſſim non venerari. Monui hinc matrem, me vix poſſe ſubminiſtrare remedia, malo jam tam altis firmato radicibus, & quaſi deſperato; in-

ſtabat illa precibus, lachrymiſque, ut ægrotum remediis ſublevare dignarer, quibus commotus reſiſtere non potui, licet prognoſis nihil boni mihi promitteret, quod etiam matri indicabam, nullam nempe ſpem mihi reſtitutionis affulgere, ne vero afflictis afflictionem adderem, manum omnino detrahere nolui, remedia ſuppeditare incepi, & quidem ſerum, quantum adhuc ſub lege circulationis, per diaphoreſin ac diureſin, educere tentabam, ſequentia vero exhibui remedia. R. ſal. vol. oleoſ. ſylv. tinct. bezoard. aa. ʒiß. liquor c. c. ſuccinat. ʒj. m. d. ad v. ſ. *darvon des Tages 3mal 25. Tropfen zu nehmen*, pro potu ordinario commendavi ſequentes ſpecies R. rad. 5. aperient. aa. ʒiß. ononid. ſem. anis aa. ʒj. inciſ. & contus d. ad Ch. ſ. ſpecies *zu 2 Maaß Waſſer.* Ob dolorem gravativum ventriculi, parum ciborum aſſumere potuit, quem dolorem eo tempore ſero fluctuanti in abdomine adſcripſi, & ſic nulli remedio niſi evacuationi abdominis ceſſurum judicavi, ut tamen ægroto innoteſceret, nihil intentatum relinqui, adhibui confortantia, ſtomachica, ad vires reſtaurandas, nimis enim ob illam abſtinentiam debilitatus erat, ſequentia. R. aqu. meliſſ. fl. tiliæ aa. ℥iiß. cinam. c. vin. ℥vj. pulv. cordial. pretioſ. conſ. Alkerm. incom. ʒß. ſyrup. fl. tunic. ℥ß. m. de ad V. S. *ſtärkendes Waſſer, davon öfters zu nehmen.* Hiſce juvenis ille per dies 14. fere uſus fuit, ſed abſque emolumento; cui poſtea diuretica, in majori doſi dare incepi & quidem ſequentia. R. rad. 5. aperient. urtic. ononid. aa. ℥ß. HB. equiſet. ſaxifrag. althææ. malv. aa. mj. flor. lamii malv. arboreæ aa. ℥ß. ſem. petroſelin. milii. ſolis. anis. aa. ʒiß. inciſ. & cont. dent. ad Ch. ſ. ſpecies *zu ein halb Maaß Waſſer, ſo lang als harte Eyer zu ſieden, wann es ausgedruckt, Morgens und Abends ein Glas voll warm zu nehmen.* Sed & hiſce non obſtantibus, abdomen tumebat ut antea, cœtera etiam ſymptomata eadem manebant, unde alia remedia (poſtquam hæc, bis vel ter repetierat) admovere animum induxi, & quidem hydragoga dicta, quæ inter, primo ſeligebam ſequentia. R. reſin. jalap. gr. V. diagryd. Sulphurat. fœcul. bryon. aa. gr. iij. ol. aniſ. gt. j. m. f. p. d. ad ch. ſ. *Laxierpülverlein in einem lindgeſottnen Eye zu nehmen.* Sed abſque ulla commota ſede, hoc ſumtum eſt, quorum doſin ſequentibus diebus augebam, ſic ſex ſedibus purgabatur cum euphoria quidem, illam adhuc parum auctam doſin ſeptem præter lapſis diebus denuo exhibui, cujus effectus tantus erat, ut æger ſe jam ſalvum æſtimaret, quia abdomen ſic detumuerat ut reſpiratio multum eſſet facilior, & cibos in majori quantitate aſſumere poſſet. Hiſce perceptis, ſuaſi ægroto, ut in regione lumborum, & umbilici abdomen filo metiatur. Sequenti hebdomada datus pulvis hydragogus conſtans ex reſinæ jalap. & gum. gutt. aa. gr. V. cujus ope iterum tantum egerebat, ut abdomen latitudine unius pollicis ſe contraheret, & ſic ægrotus tam bene ſe haberet ut omnibus occupationibus in domo præeſſet, & conciones frequentaret, ſed cibos nondum in

ſuf-

ſufficienti quantitate aſſumere illi liceret; ſtatim enim poſt aſſumtos cibos ſentiebat dolorem gravativum in dextro hypochondrio, ubi etiam nunc evacuato in tantum ſero, elevatio vel tumor quidam juſto major apparebat, quem ipſemet digitis tangens pro induratione hepatis habebam, quarum cogitationum non parva erant confirmatio recenſita de lapſu trunci lignei in iſtam corporis regionem. Licet vero illam per moram adeo radicatam noxam reſolvi mihi fere impoſſibile videretur, tamen reſolventia adhibenda cenſui, primo quidem ſacculos reſolventes, & diſcutientes in uſum vocavi ſequentes. R. HB. malv. parietar. melilot. aa. mj. fl. chamomil. ſambuc. origan. aa. ℥ß. inciſ. & contus d. ad ch. ſ. ſpecies *zum Kräuterſäcklein.* Hos etiam nihil efficientes ſequebatur empl. de cicut. cum empl. diaphor. minſ. & ol. philoſoph. malaxatum, quod dextro hypochondrio imponi juſſi, ſed & hoc irritum fuit. Urgente dehinc avido ſanitatis ægro ut adhuc ſemel ultimo præſcriptam doſin pulveris hydragogi ipſi ſubminiſtrarem, non potui illi hac in re omnino deeſſe, dedique anxie deſideranti pulviſculum, quem & non ſine emolumento aſſumſiſſe videbatur, abdomen enim rurſus aliqua ex parte diminutum eſt, imo crediſſet juvenis ſe omnino reſtitutum eſſe niſi ventriculi debilitas eodem perrexiſſet tramite, nihil enim ferre cibi, præter lac caprillum illique intinctum panem tenerrimum valebat. Cum vero abdomine ſic diminuto lætior ageret, ſola ventriculi teneritudine afflictus, omniaque proin eſſe in vado viderentur, ex improviſo nihil tale metuentem graviſſima atque intolerabilis corripuit cordis palpitatio, ipſo fere octobris initio. Illum proin hactenus me adeuntem propriis in ædibus decumbentem inviſi; omnibus perſcrutatis ſequentem exhibui cardiacam potionem R. aq. fl. tiliæ ceraſor. n. bugloſ. aa. ℥ij cinamom. bugloſ. ℥ß. pulv. cordial. pretioſ. liquor c. c. ſuccinat. aa. ʒß. conf. alkerm. inc. ʒj. ſyrup. fl. tunic. ℥ß. m. d. ad. v. ſ. *Kraftwaſſer.* Succeſſere tandem, dum urebantur interna, cum extremorum frigore, deliquia, ac lipothymici inſultus, imo convulſivi motus, ea fuit motuum horum vis, ac truculentia, ut reſiſtere diutius gemens jam diu tanto ſub onere natura porro non valeret, ac ſuccubuit tandem illa, poſtquam ab inſultu violentæ palpitationis effluxiſſent horæ 45. defuncti cadaver, ut parentes cultello anatomico ſubjicere permitterent, inſtabam, abhorrent enim ab illis ſectionibus plus quam a vermibus horrendis, quorum corpus eſca eſt, qua de re jam olim beatus Wepferus conqueſtus fuit; conceſſerunt illi, ut in præſentia patris illud inſpicerem aperta abdominis cavitate, in ea circiter ſeri extravaſati menſuras tres deprehendi, cujus ſcaturiginem primam pro viribus, ac ſedulo ſed fruſtra quærebam. Neque enim in parte convexa hepatis, neque concavo inveni vaſcula aperta vel fiſſuras. Inteſtina & viſcera omnia (exceptis hepate, & liene) in ſtatu naturali comparebant, hepar vero molem conſuetam ſtupenda ſuperabat magnitudine, cujus & ingens fuit

du-

durities, id vero non ſolum dextrum, ſed & ſiniſtrum hypochondrium occupabat, imo ad umbilicum uſque ſe extendebat, ligamentum longum ex vena umbilicali coalita ortum, quod ex jecoris fiſſura egreſſum in umbilicum deſinit, validum erat & ſubſtantiam referebat muſculoſam. Cyſtis fellea juſto quoque major adparuit, & ni fallor pluſquam ℥iv. bilis continuit, cujus conſiſtentia nimis ſpiſſa & glutinoſa videbatur. Cauſa vero ſingularis duritiei in hepate ea ſe perluſtranti obtulit ſabuloſa ſcilicet tophacea, imo calculoſa, ſubſtantiæ hepaticæ conſiſtentia ac ſtructura, quæ concretis in tubulorum glandularumque cavitatibus ſuccis dubio procul debebatur. Lienem ſubtumidum & juſto duriorem magnitudine non diminutum ſed magis auctum deprehendi. Ventriculi latera tam arcte iſta incumbentis maſſæ hepaticæ mole ſibi invicem erant admota, imo appreſſa, ut duo aſſerculi complanati ſibi invicem ſolent arctius incumbere.

Casus Secundus.

Huldricus *Fiſchli* Dieſſenhofianus, qui vitam vites colendo tolerat eodem anno, ſed verſus finem M. Septembris, conſilium a me petiit, pro uxore valde & jam diu ægrotante, ſecum ferens urinam inſpiciendam, quæ fere ſanorum urinæ ſimilis, niſi quod mihi nimis limpida videbatur. Ob ingentem vero varietatem moleſtiarum, quam recenſita mariti indicabant, nolui remedia ſubminiſtrare, antequam in rem præſentem eundo paulo poſt domum ejus intraviſſem, illam inveniens in lecto jam ſic emaciatam, ut magis ſceleton quam fæminam vivam referret. Primo etiam aſpectu, periculum quod illi imminebat præſentiſſimum & ineluctabile docente. Omnibus proin ſedulo penſitatis, magis etiam in hoc judicio meo confirmabar, mihi enim antecedentia noſſe cupido reſpondit, ſe jam vere ejuſdem anni ictero laboraſſe adeo ut non ſolum album oculi, ſed & peripheria totius corporis colore flavo tincta fuerit; poſtea colorem hunc ictericium evanuiſſe ſed tamen nunquam ſeſe melius habuiſſe; & ob multos labores quibus obruebatur, & penuriam tam virium quam alimentorum malum in pejus ſenſim degeneraſſe; Nunc vero cum illi ſit res anguſta domi, & adhuc valetudine adverſa prematur panem neceſſarium (licet eum in parciſſima doſi valeat aſſumere ac ferre) comparatu ſibi haud eſſe poſſibilem querebatur. Huic igitur malo coquus liberalis ſubvenire poterat æque ac medicus. Patiebatur vero ægra dolores vagos in omnibus partibus totius corporis, & maxima erat de hypochondrio dextro querela. Menſes quidem fluebant ſed inordinate, fecit etiam verba de tumore quodam in latere dextro, ſed advertens me eum eſſe exploraturum, nolens contactum ferre, regeſſit jam iterum evanuiſſe illum tumorem, an pudor intempeſtivus,

an vero timor illam retraxerit, ignoro. Omnibus his ſymptomatibus ex recenſione perceptis infelicem me æſtimabam, quod in tales ſub initia praxeos inciderim ægrotos, quibus convaleſcentiæ ſpes ſuperſit nulla. At ſine murmure populi medicamentis deſtitutam illam relinquere non potui. Timebam vero imo perſpiciebam, icterum verno tempore evaneſcentem, ſua tamen labe ſanguinem non deſeruiſſe, ſed altiſſimas in ejus maſſa radices egiſſe. Suſpectam proin eſſe rem, & anguem quod ajunt in herba latere cenſui, memor tumoris dextri lateris, quem allegaverat. (Licet eo tempore in ægra, colore flavo non ſuffunderetur.) Aggreſſus vero rem, primum ſequens exhibui. R. Tinct ♂tis hellebor. ℥ij. eſſent. trifol. fib. ſuccin. aa. ℨj. m. d. ad v. ſ. eſſenz *darvon täglich 3mal 30. Tropfen zu nehmen.* R. regul. ♁nij. medic. lap. judaic. aa. ℨij. milleped. arcan. duplicat. aa. ℨij. cinab. antimon. ℨß. m. d. ad ſc. ſ. *Pulver darvon alle Tage 2mal drey Meſſerſpitzen zu nehmen.* Sed his ſine ullo levamine uſa fuit, ob conatus vero qui aderant frequentes vomendi & amaritiem quam in ore ſentiebat, mecum deliberabam an liceat vomitorium exhibere, cum adeſſe viderentur contra indicantia ſc. debilitas virium, diuturna jam morbi duratio, dedi hinc cautela uſus doſin mitiorem ſequentem. R. Tartar. emetic. gr. iß. pulv. cornach. gr. vij. m. f. p. d. ad. ch. ſ. *Pulver auf einmal zu nehmen*, vomuit ægra, ſed non ſine moleſtia manſit etiam res in eodem ſtatu poſt vomitorium, niſi quod gravius fere jam de ructibus flatuumque moleſtia quereretur. Concoctio ſemper manſit infirmior, & appetitus proſtratus. Obviam ire his conabar ſequentibus. R. ſal. vol. oleoſ. ſylv. eſſent. abſinth. com. aa. ℨiß. m. d. ad v. ſ. *des Tages 3mal darvon 25. bis 30. Tropfen zu nehmen.* Denique decoctum herbarum viſceralium ſequens præparavi. R. HB. agrimon. c. toto. chamæd. ſcolopend. pyroſ. aa. mj. ſem. aniſ. rad. liquirit. aa. ℨij. inciſ. & contus. d. ad ch. ſ. ſpecies *zu ein halb Maaß Waſſer.* Pilulis ſequentibus diu quoque uſa eſt. R. extract. abſinth. centaur. minor. card. bened. aa. ℨj. chelidon. major. gentian. cruciat. aa. ℈ij. limatur. chalyb. in alcohol. redactæ ℨiß. m. f. pilul. ex ℨj. no. 40. conſpergantur pulv. licopodii d. ad ſc. ſ. *alle Morgen und Abende 7. bis 9. davon zu nehmen.* Etiam iſta parum levaminis attulerunt, ſed potius de die in diem magis emaciata eſt ægra, non ferebat autem niſi difficillime decubitum in dorſo, ſemperque erat capite verſus genua depreſſo. Quorum ſituum moleſtorum cauſam ſuſpicabar eſſe tumorem ab ipſa accuſatum (licet ejus præſentiam poſtea inquirere negaret volenti) cum tandem pertæſa remediorum ab eorum uſu abſtinere decreviſſet, rogavit ut ad eam adhuc ſemel accederem, tum gratias mihi pro acceptis beneficiis curaque hactenus adhibita agens, dicebat mihi, ſe, quod ſit candidata mortis, non latere, nec quidquam aliud optare, quam ut brevi hoc ex ergaſtulo liceat emigrare, eſſe enim malum ſuum inexpugnabile, rogabat hinc, ut poſtquam animam effla-

verit, cadaver ejus inſpiciatur, ut malum quo laborabat detegi, & aliis, illo vexatis eo facilius ſuccurri poſſit. Octo abhinc diebus extincta eſt mulier, ejus cadaver ut petierat cultro anatomico ſubjeci, & ſtatim remoto induſio, tumor ille quem ſubſediſſe dixerat apparuit, ut dicere mox adſtantibus licuerit, vix ulla hic opus eſſe ſectione, quia ſedes mali jam videatur eſſe in propatulo; Cauſam vero primam & remotiorem, in hoc cadavere fruſtraneum mihi videri indagare, mortis ſaltem cauſam eſſe evidentem, nempe tumorem iſtum hepaticum, qui totius maſſæ ſanguineæ mixturam perturbans ſenſim mortem accelerarit. Ut tamen curioſitati meæ ſatis facerem, integumenta abdominis diſſecui, & pravum totius hepatis ſtatum detexi, fuerunt enim tres in parte convexa tumores valde elevati, & fere dehiſcentes, albentes a materia quam lardo molliori ſimilem continebant, vel ſi mavis albumen ovorum coctum referente. Tumor medius magnitudine ovum columbinum, cæteri duo vero nuces moſchatas adæquabant, an a materia contenta opponentes vel atheromata, vel ſteatomata vocare velint per me licebit, ſciant tamen illam materiam non fuiſſe pinguem, propriis non concluſam folliculis. Hepar naturalem magnitudinem multum ſuperabat, adeo ut totum fere abdomen occuparet, uti in præcedenti caſu quoque obſervatum erat. Subſtantia vero totius hepatis erat indurata a materia ſabuloſa, & calculoſa, ad eundem cum dicti juvenis hepate modum, adeo ut color externus, internuſque plane mutatus, & lividus appareret. Veſica fellea ad minimum ℥vij. bilis continebat, ventriculus vero uti in priori caſu in ſe erat collapſus, totuſque flaccidus, eadem quippe ratione ab ejuſdem molis hepate preſſus tam diu, & coarctatus, unde nauſea illa ciborum, de qua ægra ſemper conqueſta fuerat; ab aſſumtione enim ciborum, quantumvis parca, dolorem gravativum, preſſionemque ventriculi ſenſerat. Lienem ſubtumidum, & juſto duriorem inveni, totum corpus adeo emaciatum, ut epiploon nihil niſi duplicatam membranam pinguedine deſtitutam omni exhiberet. Nullum ad ſceleton myologicum aptius ſubjectum mihi per dies vitæ optarem, ſed eo illud applicare non licebat. In cavitate abdominis etiam erat extravaſatio ſeri juſto major,

CAPUT SECUNDUM ÆTIOLOGICUM,

Phænomenorum quaſdam rationes conſiderans.

Ex recenſitis hactenus caſibus ſatis liquet, juvenem & fœminam eodem morbo laboraſſe, licet non eædem primæ cauſæ, & præciſe eadem ſymptomata adfuerint, in plurimis tamen habebant ſimilitudinem, & numero malorum, & atrocia.

Fuit

Fuit utrimque obſervata hepatis moles prægrandis, & induratio; ſed lubet primum de juvene diſpicere. In eo quidem indurationi huic & præter naturali incremento occaſionem videtur dediſſe lapſus lignei trunci in hepatis regionem. Cum enim hepar innumeris glandulis, ſeu mavis vaſorum intorſionibus ſit refertum, facile quædam illarum impreſſione violenta tanti ponderis poterit graviter premi, coarctari, & obſtrui, & ſic opilatione facta, & neglecta, ſenſim malum in pejus abiit, adeo ut tandem affluente ad iſtas anguſtias, & mæandros tartareæ indolis ſucco, illa ampla, & tophacea hepatis moles ſuccreverit.

Quod morbi hepatici inter chronicos eſſe ſoleant non mirandum, licet enim centenæ aliquot glandulæ hujus parenchymatis ſint obſtructæ, cœteræ tamen neceſſitati reſpondere non deſinunt, tum quod obſtructiones lente ſoleant generari, tum quod non omnes mox hepatis functiones adimant; quod & circa ductus cyſticos, & poros biliarios fieri ſolet, uno enim occluſo alter rei præſidet, poſtquam vero a calculo, aliave quacunque cauſa occluſio ductus choledochi ipſius facta fuerit, non aliter fieri poteſt quam ut regurgitatio bilis per ramulos venæ cavæ aſcendentis verſus cor, ſanguineamque maſſam ſequatur; unde corruptio ſanguinis, ſtatuſque icterici oriuntur frequentes, nec poteſt aliter quam magna ſanguinis fieri alteratio affuſa bile, licet antea bilis fuerit ſanguinis maſſæ propria, tamen per ſecretionem in hepate, & moram quam fecit in cyſti fellea, non poteſt non multum mutari & acui, ſicque ſanguini, quaſi heterogenei quid admiſceri, inque illo has turbas cudere.

Omnes glandulæ conglobatæ æque, ac conglomeratæ intumeſcere, ſitum ſuum & magnitudinem naturalem, variomodo mutare, & ſuperare poſſunt, ut nobis exempla occurrunt in ſcrophulis, ſtrumis &c. Hoc etiam glandulis hepatis contingere nemo inficias ire poterit, exempla enim innumera proſtant. Licebit vero a brutis illud huc transferre exemplum quamvis magis naturale, ac non proprie morboſum, quod coquis & judæis notiſſimum, ac familiare eſt, quo hepar anſerinum per ſaginationem augetur & cellulæ illæ, quas alias ſanguis poſſidet, & alluit ſolus, per pinguedinem diſtenduntur; ipſemet tale vidi hepar, quod pondere ℔j. g. civ. æquabat, inter aſſandum vero pinguedo clara ex illa ſtillabat ad ℥x. Si a pinguedine, materia tam molli, interſtitia jecoris adeo poſſunt dilatari, cur non a materia graviori, viſcidiori, tartarea aut quaſi calculoſa, uti in recenſitis caſibus factum fuiſſe recenſuimus. Doleo quod non permiſſum mihi fuerit, viſcus illud ampliſſimum, prætumidumque eximere ex corpore, ejuſque examinare pondus, pater enim adſtans vetabat, illud ex corpore reſcindi.

Miror, & forſan non immerito, hanc obortam ſubito & inopinanter cordis palpitationem, in nullo enim aneuriſmate quantumcunque ſit major facile motus ac pulſatio percipitur, tantus quippe erat impetus,

corde ſiniſtrum pectoris latus pulſante, ut perciperem admotam firmius manum non ſine violentia repercuti, ac repelli. In ſectione nullum inveni polypum quos omni induſtria quærebam, neque coagulum tam viſcidum, quod hujus fortioris, & depravati motus cauſa potuiſſet exiſtere; an per eductionem ſeri liquidi acrimonia in ſanguine adeo fuerit aucta, ut conſtrictionem quandam in cordis motricibus fibris excitare potuerit, vel quænam hujus phænomeni fuerit cauſa, libenter ab aliis percipiam, qui forſan ad ſpiſſiorem ſanguinem, ad flatulentam cordis tenſionem molemve hepatis aortam prementis malint confugere. Morbos hepatis & lienis, cor in conſenſum trahere & palpitationem excitare, authores quidem confirmant, ſed qua ex cauſa & quomodo fiat nullibi inveni, an ex inflammatione vel nervorum conſenſu ipſi judicent; ex antecedentibus nulla perturbatio tanta ſpirituum apparebat, quæ huic motui extraordinario anſam præbere potuiſſet.

Sunt vero etiam nonnulla circa caſum alterum monenda. Ingens moles hepatis in prædicto juvene, in ipſis dubio procul morbi incunabulis formata, ac dehinc novis tophacei accrementi augmentis tam late extenſa fuit. In noſtra vero fœmina chronici potius productum morbi videbatur enormis magnitudo ac durities ſingularis ejuſdem viſceris. Patet enim ex recenſitis diu eam male habuiſſe, neque igitur miremur, ſi crebra percolatione ſanguinis male diſpoſiti pedetentim in illis acinis hepatis particulæ illæ glutinoſæ, & viſcidæ hæſerint, & tandem ſic ſe accumularint, ut ad magnitudinem præternaturalem redactum ſit hepar, ac dilatatum, & ſimul mora viſcidi ſtagnantis induratum.

Hæc ſanguinis pravi & cacochymici diſpoſitio probatur a lienis hepatis adminiculi diſpoſitione, quippe qui in ſtatu quoque præter naturali repertus eſt durior ſubtumiduſque. Functio enim lienis alias facile impeditur, ejus enim ſtructura, ad facilem ſtaſin multum confert ob ſingularem arteriæ ac venæ proportionem, & ramificationem, cellulaſque illas frequentiſſimas ejus parenchymatis conſtituentes.

Hujus morbi cauſa mediata, fuerunt illi ſucci cacochymici, viſcidi, ſanguinem inficientes, hiſque admixta ramenta tartarea, ſabuloſa cum viſcido haud difficulter indureſcentia. Miror vero tarda mali incrementa, imo magis miror fœminam vixiſſe tam diu, tam nobili viſcere tam graviter læſo & infarcto. Et qui factum ut tanta hepatis maſſa, non corrumperetur tota; cum nulli parti totius corporis major affluxus ſit ſanguinis ſpiritubus effoeti, quam hepati per venam portæ, quæ magnitudine arteriam hepaticam aliquoties ſuperat; arterioſus autem qui ad hepar fluit ſanguis non ſufficit ad calefaciendum, & vigore novo imbuendum ſanguinem venoſum, & totum viſcus. Hujus ſanguinis officium ſaltem eſt nutrire hepar, ſed cum nutritione pars ſimul calefit, & viget, & ope ſpirituum ſeu impetum facientium ſtaſis & coagulatio

impeditur, quæ tamen hic & maxima, & diuturna fuit, ex ipſa hac ratione deficiente.

Remotiores cauſæ variæ concurrerunt, quid enim vitæ genus ad hunc morbum tribuere poſſit neminem niſi harum rerum inexpertos latet, cruda enim & concoctu difficilia aſſumere ex inopia pauperculi coguntur, quibus ventriculus digerendis non par eſt, & ſic primæ concoctionis vitium commiſſum in ſecunda non facile corrigitur. Chylus enim tam crudus & multis particulis heterogeneis refertus facillime ſanguinem corruptum procreat, cujuſmodi ſanguinis pravi triſtes fructus ſunt ſimilia his, quæ deſcripſimus exempla, graviſſimæ ſcilicet parenchymatum obſtructiones, & indurationes. Mireris potius non frequentiora eſſe iſtius modi mala, in magnum eorum numero qui hac ſortis inclementia, penuriaque premuntur ac duriore laborum vitæque genere; eſſet vero forſan major eorum numerus ſi eſſent delicatuli pauperes ut illi, quibus omnia commoda præſto ſunt, cujus nobis podagra exemplum eſt; ruſticos illa laborare poſſe non dubito, ſed ob laborem & motum neceſſarium, nec crebro, nec diu illa detinentur, nam quiete conceſſa malum latius ſerpere, & profundiores radices agere ſolet.

Bilis viſciditas non parum huic malo addidit, quamvis & ejus merito effectus audiat, ſi enim a ſanguine rite ſeparari non potuit, vel potius in ſanguinem ruptis aggeribus, regurgitavit, non potuit non & chylificatio, & ſanguinis purificatio depravari; teſtatur id icterus prægreſſus, & latens ab illo hactenus cachexia. Quam neceſſaria ex adverſo ſit bilis admixtio in inteſtino duodeno; ad ſeparationem chyli ab excrementis, omnes anatomici annotarunt, a quibuſdam eorum balſamum vitæ vocatur, quod ſanguinem ab omni putredine præſervet, ex illius enim defectu innumera mala ortum ducunt. Nec objicias mihi abundantes in utroque caſu bilis copias quatuor in primo, ſeptem circiter in ſecundo unciarum. Ingentem ſane & notabilem quantitatem, ſed inutiliter in veſicula hærentem torpentemque. Sive jam ob hepatis molem, ſive nimis diſtentam veſiculam, ſive ductus compreſſionem, fluere abundans latex amarus ad duodenum non potuerit. Iſta enim abundantiæ videtur cauſa.

Ructibus ægra valde vexabatur, qui a pondere hepatis, & cruditatibus in ventriculo retentis orti videntur; ob pondus enim ventriculi latera in ſe fuerunt collapſa, imo compreſſa, hiſtoria indicante, & ſic exitu denegato per pylorum, ſeu orificium dextrum ventriculi, coguntur ſurgere ad ſuperiora, nempe ad orificium ſiniſtrum ſeu œſophagum. Nihil enim ſunt hi ructus quam flatus, halituſque exploſi, elatere quodam gaudent non parvo, & ſi aliquamdiu coerceantur, eo majori vi illum exercere ſolent, & qua data porta erumpunt. Quam magna inde oriantur incommoda, & dolores enormes, illi ſatis effari poterunt, qui illis torquentur, & licet directa ſpaſmi cauſa non ſint, ſæpius tamen,

per indirectum ſpaſmos atroces excitant, ad lipothymiam uſque, ab illis enim ſpiritus non parum turbantur, fibræque graviter tenduntur.

Animi pathemata hujus mali non minimam cauſam eſſe merito agnoſcendum, ſaltem in fœmina noſtra. Temperamento enim qualicunque gaudentibus, iram damnum maximum inferre in propatulo eſt & exempla id tota die docent, ſpiritus enim ita confunduntur, & turbantur, ut in proverbium abierit, ira furor brevis eſt, a qua nec illa omnino immunis fuit; illos quibus temperamentum ſatis frigidum, & phlegmaticum, uti ægræ hujus eſſe videbatur, triſtitia & mœror omnibus fere ſpiritibus orbant, ligantur enim ſpiritus ab illis, ut ſanguis tandem in vappam abeat, & nemo in dubium vocabit illam triſtitia & ſollicitudine fuiſſe confectam, cui enim res anguſta domi, & adhuc valetudo adverſa, illa non poteſt non affligi; perpauci dantur qui ſua forte ſint contenti, licet ſæpe inter feliciores ſint, noſtra ſane inter illos non fuit.

Quid vero dicemus de cerbero tricipiti hujus hepatis indurati, triplici nimirum, quem ſupra recenſui abſceſſu, lardi formi materia turgente? Aliter ſane collectum fuit apparens hoc lardum, quam pinguedo in hepate anſerino, nec debetur juſto ſanguinis pinguis, & oleoſi ut illa, circulo, ſed ſtagnationi viſcidi humoris in his glandularum tubulorumque mucidorum mæandris condenſati, ac coagulati. Hi abſceſſus aperti forſan fuiſſent, ſi ægra diutius in vivis manſiſſet, membrana tenui hactenus hanc materiam adhuc continente, ut effluxus in abdomen impediretur, etiam ſi tenuior facta fuiſſet materia. Deo vero gratiæ debentur quod illam diutius hoc malo torqueri noluerit. Si tunica enim hæc fuiſſet rupta, & materia attenuata in cavitatem abdominis evacuata non potuiſſet non majores moleſtias excitare. Licet ſint qui velint, ob arctam conjunctionem cum peritonæo ſenſim convexam hepatis partem, integumentis abdominis conglutinari poſſe, & ſic pedetentim integumenta ſuppurari, ut ſibi materia tranſitum paret, ſed notum eſt omnem materiam inferiora potius, quam ſuperiora petere.

Quam nobile autem, ac neceſſarium ad vitalia munera viſcus ſit hepar ſatis apparet, ſi illius functiones propius conſiderentur, non ſolum enim calore ſuo juvat concoctionem ventriculi, ſuſcipitque ſanguinem a meſenterio, inteſtinis omnibus, ventriculo, pancreate, liene & omento, per ramos qui venam portæ conſtituunt, ſed & neceſſarium illum præparat liquorem, ſcilicet bilem, quæ abundans nimium in ſanguine illi gravior fieret & noxia, affundi vero neceſſario debet inteſtini duodeni chylo perficiendo, cui negotio abſolute neceſſarius eſt amaricans hic liquor, ſi recte id debeat procedere. Ipſa vero hæc functionis hepaticæ nobilitas, & neceſſitas abunde docet, quas vitæ inſidias ſtruat, quæ minetur pericula ejus depravatio. Noſtris enim ſimilibuſque caſibus ponderatis mirari ſatis nequeo, potuiſſe aliquos de neceſſitate hepatis dubitare, atque affirmare imprudenter, poſſe hominem etiam abſque

que hepate vivere; quod de Ortelio Antewerpienſi memorant, ſi hiſtoriæ fides. Ferendum forſan facilius eſſet, ſi lienis negarent neceſſitatem, de cujus exſtirpatione paſſim legimus, verum etiam ibi impingent, cum eam in homine nemo facile tentaverit, cujus vaſorum lienalium alia quoque ratio eſt. In canibus experimentum quidem hoc cum cura inſtitui, & aliquibus junioribus, diſſectis integumentis abdominis vaſa ligando lienem abſcidi extraxique, inteſtina vero cum omento repoſui, inciſionem abdominis conſuendo occluſi, & ſic cicatricem natura obduxit. Canes vero illi etiam ejus defectum non abſque maxima moleſtia poſt abſolutam curam tulerunt; ingeſta enim diu in ſtomacho retinere non potuerunt, ſed mox per vomitum, & indigeſta rejecerunt; urinam juſto ſæpius reddiderunt. Unde ſatis elucet lienem non ſolum ad bene eſſe, ſed & ad eſſe inſervire, quod forſan clarius apparuiſſet, ſi illos diutius ſuſtentaſſem, de die in diem enim magis emaciati ſunt, & ſic dubio procul tabefacti febre lenta interiiſſent; an alii in hac operatione me feliciores fuerint ignoro.

Noſtræ vero hiſtoriæ cautum eſſe in prognoſi chronicorum morborum jubent medicum, ſæpe enim occultum eſt periculum, medicus igitur uti ſemper, ita magis adhuc in ſimilibus caſibus judicium prudenter ferat. Sive enim de diuturnitate, ſive de eventu talium præſagia a curioſis requirantur, aqua certe medico hærebit, niſi agyrtarum more vanam loquacitatem in ſubſidium velit vocare illorum ineptis deſideriis hac ratione utcunque ſatisfacturus. Interim quiſque cui granum ſalis eſt facile concipiet, ſi jam facta ſit induratio hepatis, difficulter eam imo non curari. In puero ſi ab initio ſtatim medici prudentis conſilium adhibitum fuiſſet, non omnis ſpes curationis evanuiſſet, ſed ut hi homines ſolent primo ſe & ſuos concredunt medicaſtris, carnificibus &c. Poſtea vero rebus deſperatis medicum conſulunt vocantque poſt feſtum, ſero enim medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. Ad fœminam vero quod attinet ex recenſitis ſatis apparet, illam omnino fuiſſe cacochymicam, ſit ut omnes humores a qualitate laudabili nimis receſſerint, & loco gelatinoſarum particularum, ſeroſis, impuris, acribus fuerint referti, neque proin ad nutritionem partium, neque ad medelam apti; & talia inter plebeios homines non poſſunt præcaveri; quamdiu enim a malo non ita urgentur, ut in lecto detineantur, vix advocabitur medicus, ſi vero unquam principiis obſtandum præſertim hoc in caſu id requiritur.

In deſcriptione caſus indicatur, menſes adhuc ſemper fluxiſſe, quod apud plurimos ſignum habetur ſuperantis naturæ, ſcilicet quod hæc vi ſufficienti polleat qua ſibi infenſa expellere queat, in hoc vero ſubjecto magis indicabant dyſcraſiam, & colliquationem ſanguinis, facile ſic exſtillantis ſub orgaſmo, ruptis vaſculis.

Si

Si quis in principio & ante confirmationem hujus affectus conſilium peteret, illi facilius liceret ſuccurrere, mille remedia non omnia æque tuta vel ſalutaria ſolent hic commendari. In curatione vero ejuſmodi ad indicationes quæ occurrunt probe attendendum; ſi enim malum in ventriculo initium ſumat, & ipſe officio ſuo non ſatisfaciat, vel ob liquorem gaſtricum inertem, vel ob flacciditatem ventriculi, atoniam &c. Digerentibus, roborantibus, carminativis, & nervinis ſuccurrendum. Quo pertinent aromatica, alexipharmaca, ſpirituoſa &c. Si vero ventriculus ſuo muneri reſpondeat, interim malum in inteſtinis hæreat, ſic ut chylus non probe ſeparetur, ſed impurus ſanguini adducatur, ex vitio bilis, & ſucci pancreatici, aut ob viſciditatem, aut ob inertiam (quæ quidem ſunt occulta, & non niſi a circumſpectis practicis obſervantur) prout & quandoque tenax, & viſcidus quidam mucus in inteſtinis introitum chyli ad vaſa lactea impedit, vel crudus aut minus coctus per vaſa lactea ſanguini advehitur, tunc diluentia ſtimulantia, vel etiam lenia laxantia, & evacuantia in uſum vocanda, ut materia illa viſcida, vel incidatur, vel e corpore eliminetur. Si maſſa ſanguinea hac ratione jam ſit quodam infecta vitio, viſciditate ſcilicet, lentore vel acrimonia quadam, tunc incidentia, demulcentia, reſolventia diaphoretica operam navabunt. Ex adverſo ſi ſit nimis phlegmatica colliquativa, cacochymica; incraſſantia, mucilaginoſa, & gelatinoſa malum corrigent.

Bilem in morbis hepaticis præcipue aut pati, aut agere nemo facile dubitaverit, ſi enim in cæteris viſceribus, ut pulmonibus, & liene ſanguis non ſatis attenuetur, & tali modo hepati ſoli onus imponatur, non mirum ſi illi ſuccumbat, & ſecretio bilis non parum depravetur, quæ tum qualitate, vel quantitate peccare ſolet, pro quorum varietate vitiorum etiam varia remedia adhibenda eſſe, res ipſa loquitur.

Id porro corollarii, ex iſta noſtrarum hiſtoriarum deductione fluit: Regulis diætæ quemque debere deditum eſſe, & obſe undantem, præſertim vero valetudinarios eo adſtringi, ne malum quod in ſinu fovent augeatur; præcipue obſervandus eſt uſus ſex rerum a medicis non naturalium dictarum. Aeris enim humiditas, gravitas & caloris & frigoris exceſſus evitanda. Ciborum crudorum concoctu difficilium evitatio omnibus neceſſaria, & eo nocentior eſt eorum quantitas, quo qualitas vitioſior fuerit, & ſuccis noſtris diſſimilior. Motus nimius quam atterat vires, e contra vita ſedentaria, & quietis abuſus quantum ſanguini ſit inimicus, experientia clariſſime docet. Somnum omni modo eſſe neceſſarium, quiſque ipſemet experitur, dum ne triduum abſque illo tranſigere ſine noxa, moleſtiaque ſumma valeamus, qui vero illi nimis ſunt dediti, reddunt ſpiritus torpidiores, & inertes, ut ſimul ſanguinis circulus non poſſit non vitium pati; vigiliarum ſomnique ratio craſin, ſtatumque ſpirituum animalium moderantur, exceſſus utrimque nocet, vigi-

giliæ enim diſſipant, confunduntque ſpiritus, ſomnus vero nimius eos figit quaſi, ſeroſiſque obrutos moleculis ſuffocat. Non minimum momentum noſtræ ſanitatis dependere ab excretis, exemplo poteſt eſſe tranſpiratio inſenſibilis, quæ inhibita tot genera infert morborum, alvi dejectiones crebræ non abſque debilitatione & incommodo fiunt, e contra nemo facile ſanus erit, niſi alvus aſſumtis reſpondeat. Animi pathematum effectus jam ſupra deſcripti ſunt, illorum igitur moderamini cura omni atque attentione ſtudendum, ſi ſanitatem diligas: circa omnia vero iſthæc notiſſima valet regula. Medio tutiſſimus ibis, perpetuæ enim omnibuſque convenientes regulæ in diſſertationibus dari non poſſunt, ob idioſyncraſiam individuorum; conſuetudini enim multum eſſe dandum ſcimus, monente prudenter Cohauſio: *naturæ conſueta, etſi inſuetis ſint deteriora, minus moleſta eſſe.*

TANTUM.

C I I I.

ABRAHAMI VATER

PROGRAMMA PRO

HEPAR IN HYDROPE SÆPIUS INSONS ESSE E SECTIONE VIRI ANTE DUAS SEPTIMANAS POST DIUTURNUM ALVI FLUXUM CRUENTUM TANDEM HYDROPE DEFUNCTI DEMONSTRAT.

Wittemb. 1720 Januar.

IN auſpicio novi hujus anni offerebatur ad diſſectionem vir triginta annorum, qui per plures annos fluxu alvi cruento continuo laboraverat, demum ſeptem ante obitum ſeptimanas decumbens, tandem hydrope abdominis defunctus. Hujus apertionem in theatro anatomico publice inſtituentes, abdomen tumidum atque ad concuſſionem fluctuans apparebat, quo aperto, & integumentis ſeparatis, totum abdomen aqua flaveſcente repletum reperiebatur, e quo plus quam ſedecim menſuræ liquoris hujus effluebant. Inquirebamus ſtatim in viſcerum in abdomine contentorum conſtitutionem, an labes quædam manifeſta in iis deprehenderetur, e qua de egreſſu tantæ copiæ aquæ judicare poſſemus. Hepar autem; quod uti a veteribus pro officina ſanguificationis, ita male affectum pro cauſa unica & univerſali hydropis habitum, nec nimia magnitudine, nec duritie aut ſcirrhis, nec hydatidibus obſeſſum, uti non raro obſervatur, ſed per omnia molle ac naturale ſe offerebat, ſolo colore excepto, qui pallidus & flaveſcens erat, haud dubie ob copiam ſanguinis per fluxum alvi diuturnum deperditam. Hunc vero colorem, non pro cauſa fluxus alvi cruenti, nec etiam hydropis, ſed pro effectu potius fluxus ſanguinolenti habendum eſſe, ratio ſuadet. Veſica fellea bilem pauciorem continebat, eam quidem admodum tenuem, fluidam, ac crocei coloris, quæ affatim ſine preſſione per ductum cyſticum ad inteſtinum confluebat, a relaxatione ſphincteris veſicæ biliariæ. E quo non levis oritur conjectura, bilis acrioris affluxum copioſum irritationes ac roſiones inteſtinorum efficiendo, fluxui alvi cruento occaſionem dediſſe, lien, qui cum hepate in præparatione & ſecretione bilis conſpirat, per omnia naturalis apparebat, nec tumore eminenti, nec duritie, nec alio quopiam vitio manifeſto laborans. Ventriculus & inteſtina collapſa & contracta, ab aquæ in abdomine contentæ compreſſione, nullam ceteroquin inflammationem aut ſphacelationem monſtrabant, ſed albicantia ac bene con-

conſtituta apparebant. In inteſtino tamen colo diſſecto, in interiori ſubſtantia punctula inflammatoria, ramuſculis vaſorum ſanguiferorum ſanguine turgidis conſpicua, apparebant, per totum canalem inteſtini coli, in uno tamen loco diſgregata, in alio vero, imprimis circa flexuras magis congregata, ac in acervum collecta. In inteſtino recto pariter circa ſphincterem circumcirca inflammatio apparebat, nullum tamen interius veſtigium fiſtulæ, qua æger antea laboraverat, conſpiciebatur. Glandulam Pancreaticam, obturato orificio communi intra inteſtinum duodenum hiante, per ductum cyſticum cera replevi, quo ipſo circa orificium in inteſtino a cera elevabantur tubercula plura, quæ diverticulum bilis ad inteſtinum affluentis eſſe, impoſterum demonſtrabo, ac icone exprimenda curabo. Meſenterium per omnia naturale, nullis glandularum aſellianarum ſcirrhis, nec alio manifeſto vitio laborans deprehendebatur. Renes cum ſuccenturiatis, ureteribus atque veſica nil vitii aperti monſtrabant. In ſumma, non poteram veſtigium aliquod manifeſtum detegere loci iſtius, ex quo tanta copia aquæ in abdominis cavitatem deſtillaverat. Tandem poſt ſeparationem renum cum ureteribus, veſica urinaria, vaſis ſpermaticis ac veſiculis ſeminalibus exſectis, ubi domi injectionem in arteriam aortam inſtituebam, ut renes cum vaſis ſpermaticis materia ceracea replerem, in ſiniſtro uretere, in quem cera ſimul penetraverat, deprehendebam ceram ibi extra ureteris limites egreſſam, & inter integumenta adhuc connexa latere, quibus ſeparatis, foramen magnitudine lentis conſpicuum erat, manifeſta corroſione generatum. Bene mihi conſcius, me cultro ureteres non attigiſſe, qui toti involucris adhuc involuti, ſine injuria externa exſecti erant, adeoque inducor omnino, ut credam, hunc eſſe locum illum, per quem in tam brevi temporis ſpatio, tanta aquæ copia extravaſata eſt. In quo plane confirmor, quod in ipſo hoc loco, ſub peritoneo ac inter pinguedinem lumbos interius obſidentem, tumor quidam œdematoſus conſpiciebatur. Præter hæc in abdomine nil quicquam conſtitutionis præternaturalis ſe prodebat. Alias notabilis erat duplex in dextro latere arteria ſpermatica, quarum utraque ex trunco arteriæ aortæ, altera quidem ſupra vaſa emulgentia, altera infra eadem oriunda, quæ tamen in via mire inter ſe concurrebant, & ramulis, venæ ramificationes hinc inde perreptantibus, inter ſe coibant. In thoracis cavitate aperta, pulmonis ſiniſter lobus totus circumcirca pericardio, mediaſtino, diaphragmati atque pleuræ, coſtis ſuperinductæ connatus erat, dexter non item, nullos tamen ſcirrhos vel apoſtemata in pulmone deprehendere licebat. Cor etiam bene conſtitutum, pauciorem tamen ſanguinem continebat, reliqua vero in univerſum naturaliter ſe habebant. Separato demum cranio & elevato eodem, ſub dura matre, nec non ſub arachnoidea humiditas manifeſta apparebat, & aqua ab apertione duræ matris effluebat, rachinoidea vero ab aqua ſub eadem contenta, diducta erat, ut in anfractibus cerebri manifeſto, flatu quaſi diſtenta appareret.

Dura mater circa occiput in pluribus locis cum arachnoidea concreta; nodulos quoſdam duros efficiebat, quod forte a tinea hereditaria maligna diuturna originem traxiſſe videtur, quia cutis capitis in pluribus locis cruſtis illis obſeſſa adhuc erat. Hæc ſingularia in hoc cadavere annotata, impoſterum iconibus expreſſa, orbi erudito data occaſione exhibebo. Ex his quæ hactenus circa ſectionem hujus viri obſervata ſunt, manifeſtum eſſe judico, ad hydropem generandam non requiri vitia manifeſta hepatis, quales ſunt ſcirrhoſæ indurationes ejuſdem, ac ſubinde rupta vaſa lymphatica, & hydatides ac folliculi aquoſi ſæpius quidem apparentes. In hoc vero ſubjecto nil quicquam horum vitiorum aderat, adeo, ut licet hepar non omnino ab omni labe interna vaſorum liberum deprædicare audeam, tamen pro principali cauſa hydropis in hoc viro admittere non poſſum. Hæc omnia diſſectionum corporum morboſorum utilitatem clare demonſtratam reddunt, ſiquidem ab hinc magna incrementa ars medica hactenus accepit, & impoſterum adhuc expectat.

F I N I S.

CIV.

AUG. FRIDERICI WALTHER,

DE

ATRA BILE

PROGRAMMA.

Lipſiæ 1741.

DE ATRA BILE.

INſaniæ cauſſas pituitam, deinde bilem *Hippocrates* (*a*) *Lib. de morbo ſacro* nominavit, ſed hac licet opportuna occaſione τὴν μελαίνην χολὴν, quam alias a flava bile accurate diſtinxit, nihilo minus omiſit, neque *altero de morbis libro* (*b*), ubi de nigris morbis agit, inſaniam, aut dementiam ipſos comitari dixit, ut contendere poſſes, illum atram bilem pro delirii chronici cauſſa abſolutius non habuiſſe, quemadmodum poſteri, & inter hos princeps *Galenus*, aliique, qui eum ſectantur, melancholiæ, quin etiam maniæ cauſſam acceperunt, & docuerunt. Nam, *de morbis virginum lib.* (*c*) is de earum, pluriumque hominum dementia aperte dicit, a retento ſanguine, qui cor & ſeptum tranſverſum premit, torporem, & ipſam inſaniam oriri: ut neque hoc loco atram bilem verbis attingat; quanquam multis occaſionibus, inter alia, *lib. de aere, aqua & locis* (*d*) ad morbos autumno obvios etiam melancholiam, tanquam a bile ſpiſſiore, & acriore ortam referat. Ille vero, ut probaret, ſecundum naturam quoque in ſanguine eſſe pituitam, flavam, atramque bilem, & aquam, *libro de natura hominis*, concludit, diverſis anni temporibus ex his ſingulos augeri, & addit (*e*): μαρτύριον δὲ σαφέστερον, εἰ ἐθέλῃς τῷ αὐτέῳ ἀνθρώπῳ δοῦναι τὸ αὐτὸ φάρμακον τετράκις τȣ̃ ἐνιαυτȣ̃, ἐμέεται σοὶ τȣ̃ μὲν χειμῶνος φλεγματοδέστατα. Τῶ δὲ ἦρος ὑγρότατα. Τȣ̃ δὲ θέρεος χολοδέστατα. Τȣ̃ δὲ φθινοπώρȣ, μελάντατα; etiamſi phlegmatis vocabulo, & aquam, & pituitam paulo ante comprehenderit, cum ſanguinem, utramque bilem, & phlegma haberi ſupponeret. Quorſum referimus verba *de affectionibus libro* (*f*): Ὅσοι μὲν χωλώδεες εἰσὶ, διδόναι τὰ ὑφ᾽ ὧν χολὴ καθαίρεται, ὅσοι δὲ φλεγματώδεες, τὰ, ὑφ᾽ ὧν φλέγμα. ὅσοι δὲ μελαγχολῶσι, τὰ ὑφ᾽ ὧν λέλαινα χολή. τοῖσι δὲ ὑδρωπιῶσι τὰ ὑφ᾽ ὧν ὕδωρ. At pluribus locis ipſe poſteris occaſionem dedit, ut quatuor tantum temperamenta docerent, ſanguineum, bilioſum, atrabilarium, & phlegmaticum; quo magis *libro de morbo ſacro*, cum his ſuccis animi quoque functiones & vitia, deliriaque comparari voluit. Igitur hæc temperamenta latiſſime explicavit, & cum ſanitate, morboque *Galenus* contendit, inter alia *libris de temperamentis*, *de atra bile*, & *medendi methodo*.

Eſt autem in obſervatione *Hippocratis* de variis illis, ſcilicet, ab eodem medicamento, diverſis quidem anni temporibus dato, per vomitum rejiciendis, quod experientiſſimi quoque viri hodie magnopere limita-

(*a*) Edit. Foeſii p. 309. (*b*) p. 486. (*c*) p. 562. (*d*) p. 288. (*e*) p. 228. (*f*) p. 525.

mitabunt; aliique hoc utcunque ita fieri negabunt. De atra bile fortaſſis hi omnes cenſebunt, rarius, quod atrum, vel atra bilis eſt, vomi, aut etiam per alvum reddi, quam, ut ſanguinem, in ſano quoque homine, pro parte atra bile conſtare, eandemque auctam tot morbos procreare, ipſi velint, poſſintque arguere. Et, quantum color illius, quod in ſanguine e vena miſſo, vel aliter in eo, quod e canali alimentorum ſubinde excutitur, & prodit, atrumque apparet, alios fallere ſoleat, hoc inter plures oſtendit *Joh. Bapt. Werloſching de curatione verno-autumnali cap.* 5. 6. Nam, recens quoque natorum bilis vitio caret, quæ in fellis folliculo, & hepatico ductu eſt, ut ut omnium meconium nigerrimum ſit; & aliter ſanguis, ſi in inteſtino effundatur, quæ in eodem ſive craſſo ſive tenui ſunt, tingit, varioque colore imbuit. Itaque in ſtomacho, aut ad hunc propinquo inteſtino, verum ſanguinis coagulum, facileque diſtinguendum, paullatim vero in ilēo, craſſoque inteſtino nigrum factum, atque cum aliis mixtum, nec ita, ſicut ante diſcernendum, in demortuorum infantum corporibus vidimus; ut niſi ſuperiora loca comparaſſemus, facile admixtam atram bilem, in primo & ſecundo ætatis anno, colorem ita mutaſſe, opinari potuiſſemus. Sed, præter colorem, quem aut ſanguis, aut bilis, & forte plura, quæ diuturniorem moram in canale alimentorum agunt, ferre contentis ſolent, etiam alii addubitabunt, an ægrorum, ſicut *Lycini* apud *Hippocratem l. 6. de morb. vulgar. ſect.* 6. §. 3. & aliorum ſplen niger, aut etiam durior fuerit? præſertim, quod ita hæc lienis vitia, in morbis acutis, ſicut *Hippocrates* collegit, vix judicari obſervaverint, ſed cuncta potius chronicos parere morbos, ſectis demortuorum cadaveribus cognoverint. Itaque illi, inter alia, quæ atræ bili vulgo adſcribuntur, hanc non credent metu moveri, ſicut de atramento, quod mittit loligo, *Ariſtoteles Hiſt. anim. l.* 4. *cap.* 2. & *Plinius Nat. Hiſt. l.* 9. *cap.* 45. retulerunt; ſed, neque tanti atrum ſuccum ipſi æſtimabunt, qui in renibus ſuccenturiatis eſt, ut ab eodem, quod in melancholicis fit, cum *Fr. de le boe Sylvio* oriri, & deduci velint: tandem, neque hunc ſuccum, ſicut infantum meconium, & atra plura, quæ ſubinde in adultorum quoque inteſtinis ſunt, aut inde excernuntur, per ſe acida eſſe, & cum alcali affuſo conflictari experientur; quamvis facile, quæ in ſtomacho continentur, acorem ſibi contrahant & jungant. Erat ante hæc quatuor luſtra homo triginta annos natus, cujus temperamentum alii ſanguineo-cholericum, alii cholerico-ſanguineum nuncupabant, qui cum jejunus eſſet, quoties vellet, & digito intra fauces miſſo gulam irritaret, ſinceram bilem vomitu rejiciebat. Inter hæc exercitia, nec ſibi admodum moleſta, is, de reliquo ſanus viſus, atra ſubinde excuſſit. Hæc neque acido, neque alcali adjecto colorem mutaſſe experti ſumus, & a melancholiæ morbo is longe aberat: tamen poſt plures annos in febrim lentam cachecticam incidit, qua etiam obiit.

Hæc, etſi contra veterum de atra bile doctrinam pugnare videantur: tamen

tamen cum clariſſimis viris eandem in mortalibus ſubinde fieri, & plura, quæ objiciuntur, ita conciliari poſſe opinamur. Præmittimus, & largimur: non omnem obſcuriore colore tinctum ſanguinem, nec omne atrum, quod vomitu, vel per alvum ejicitur, τὸ μελαγχολικὸν veterum dici debere, & cruoris e vena ſecta miſſi colorem ſenſum viſus pluribus modis fallere. Sed poſtulamus, ut in re, quod veri ſimillimum eſt, e numero, magnitudine, & nexu ſymptomatum decernatur, & illud ſignum, quod e colore petitur, demum adjiciatur. Quodſi jam ex illis, quæ ante diximus, conſtat: ſanguinem, in inteſtino extra vaſa fuſum, imo bilem, ſi hæreant, vel tardo motu progrediantur, nigreſcere, & pigmenti ſpeciem ferre, id modo addamus, quod e comparatis inter ſe arterioſis, venoſiſque vaſis ſequitur: ſcilicet, majorem molem venoſi ſanguinis, motu, quem arteriæ cœliacæ, & utriuſque meſeraicæ rami afferunt, verſus cavæ truncum propelli, quam alio corporis loco æque magnas quidem arterias tantam copiam non promovere experimur. Igitur plurium imi ventris viſcerum, vaſorumque bonitati tribuatur, ſi, qua colorem, & alia, portæ venæ ſanguis ab illo in vena cava haud differat; licet etiam in ipſorum viſcerum languore, & morbo, major omnino retardatio ſanguinis in venæ portæ trunco, ramiſque inde habeatur. Quare de hypochondriaco morbo nunc diſpicitur, quod ad hunc atræ bilis morbus propius accedere ſoleat. Atque in eo ſanguis partibus lentis & viſcoſis nutritur, pluribuſque de cauſſis eodem venæ portæ rami onuſti ſunt, & inde cuncta fiunt, quæ hypochondriacos premunt, & vulgo innotuerunt. Sed quæritur, cur non illi omnes febri, alioque morbo laborent, cujus cauſſam medici quoque in viſcido ponunt? &, in hoc objectionum genere, merito ad particulare robur recurritur, quod alteris viſceribus, præ alteris, in eodem ſæpe homine, aut ab utero conceditur, aut poſtea ætate, vitæque genere, & uſu acquiritur, ut unus mortalium ad hujus, alter vero ad alterius ſedis morbos, data quidem occaſione propenſior ſit. Nam, accidere ſolet, ut major vis cordis & arteriarum diutius in altero ſubigat, & corrigat, vel ſecerni faciat, quod in altero ad latera canalium minus ſuccedit, &, vel particulares morbos, vel univerſales, ipſamque febrem parit; &, ut hoc ipſum nunc in omnibus corporis venis, nunc præcipue in venæ portæ ramis pro modo ſuo colligatur, & coëat, neque gravitate ſua, aliterque, in debiliore nunc hepate, nunc ſplene, aut alio viſcere, cujus venæ cum magna portæ vena communicant, magis nocere deſinat. Hic cordis, & arteriarum, deinde pulmonum motus, ſicut partium ſanguinis ſolutionem, aliarumque miſturam, quæ fieri poteſt, in ſanis apprime juvat, ita in ſanguine, qui ex hepate, in hypochondriaco morbo affectis ad cor refertur, & per ſe bile, atque pituita magis prægnans eſt, cum tempore & fortiore tritu, exſuccum, terreſtre, & minus ſolvendum, nihiloque magis pertinax, morboſumque, veluti, ſingulare elementum facit; & hoc cum terra ſicciore, quæ, quod igneum in bile eſt, abſcondit, ite-

rumque ſuo tempore mittit, comparatur. Igitur in bilis aſſatæ, & retorridæ appellatione, quam veteres habent, nihil abſoni, aut a motu interno, & diverſo ejus effectu alieni invenio, niſi etiam inflammationis vocabulum abrogare velimus.

Verum, ut conſtet: ſanguinem interdum ita ad ſummum quoque vitiari, ſine eo, ut bilis, quæ in folliculo fellis & hepatico ductu eſt, nigra ſit, aut homo deliret, opportunum nunc referre erit, quod, ante hos quindecim circiter menſes, obſervavimus. Vir ſeptem triginta annos natus, armoſus & pinguis, pallidioris capilli & vultus, a pluribus anni præcedentis menſibus de aſthmate per vices conqueritur, ut ſæpe in via anxius pedem figeret, magis expalleſceret, & altius ſpiritum duceret, atque colligeret. Aſcenſionem & itionem, gravioreſque corporis motus hic ſine incommodo tulit & præſtitit: quoties vero angeretur, ructus, neque acidus, neque bilioſus, aut alio ſapore notus erupit, & levamen ſibi attulit. Inter hæc is appetit, alvum quotidie deponit, lotium ſano ſimile reddit, pulſum naturali ſubinde celeriorem habet. Acceſſiones breves, & plures uno alteroque die affligebant, deinde morbus eum relinquebat, & longioribus temporis intervallis, ſe liberum a morbo dicebat, quin multo breviſſimi paroxyſmi eum invadebant, cum aut ſanguis miſſus eſſet, aut acidularum aquarum potu, una cum molliore & humectante victu is uteretur. Aliis rememediis, quæ adhibebantur, potius aſperabatur, quam leniebatur morbus, ut neque pediluvia, neque clyſmata deſideratam opem, auxiliumque ferrent. Tribus circiter ante obitum ſeptimanis malum ille haud ſenſit. At, derepente atrociſſimo cordis dolore, ſummaque anxietate prehenditur, miſerrimeque nunc affligitur, ac perpetuos & immanes clamores, corpore prono, flexoque edit, ſive jaceret, ſive ſtaret, aut ambularet. Sex & triginta horis, pulſu quidem ſanguinis inæquali facto, paullatim minuto, ſudoreque calido in frigidum mutato, cor penitus elangueſcit, & emoritur. Sectione cadaveris viſcera illæſa, in thorace uncias aquæ circiter octo, in pericardio uncias fere duas, ſed arterias omnes, præcipueque venas, ſanguine nigerrimo, & ſpiſſæ gelatinæ in modum coagulato plenas, denique in corde, ſub venæ cavæ oſtio quinque vel ſex polypoſas pelliculas, quæ in ſulcis cordis adhærebant, de reliquo fluctuabant, neque tamen fluxum ſanguinis prorſus impediebant, offendimus. Utraque bilis naturali quodammodo ſpiſſior, ſed colore vix diſpar, atque ſigillatim hepar a notabili vitio immune erat. Subitaneam mortem ſanguinis coagulum attulit, præſertim venis impactum, ut eo propenſius cruor tot moriendi conatus effeciſſe videretur, quot aſthmatis paroxyſmi hominem afflixerunt. Tanta ad ſtaſin proclivitas ſanguinis ipſis polypis, quippe minoribus & levioribus eſſe antiquior judicabatur; etſi hi quoque ad illam mortis cauſſam accederent, & eam augerent. Nam, etiam ab aqua in pectore & pericardio, pro ea, quam diximus, copia, quæ forte inter anxietates demum effuſa erat, cor hominis per ſe robuſtum & magnum, atque pulmones premi, non vero

op-

opprimi poterant. Toto morbi tempore erat homini mens integra, in corpore, ad moriendum ita nihilo minus præparato. An acidum, terreum, atrabilarium, ſine hepatis & aliorum viſcerum morbo, ſine ſignis melancholiæ, vel cachexiæ morbo ita fieri, & in vaſis, ſenſui obviis, mortiferum coagulum efficere, aliquis facile crederet? In peſte nigerrimum, & ita quoque ſpiſſum ſæpe inventum eſſe ſanguinis coagulum, obſervationes docuerunt; an igitur pro acutiſſimo, pariter, & chronico, ſed utroque exitioſo hoc ſanguinis morbo proferendo, volatiles, & fixæ aliæ fiunt morboſæ partes?

Cum autem rariora ſint in corporibus hominum, qui cachexia non obierunt, ſed ante obitum melancholiæ morbo preſſi fuerunt, veræ atræ bilis inventæ exempla, ideo nos addimus, quod ſequitur. Vir quinquaginta circiter annorum apud chalcographum Anderſon ante hæc tria luſtra hoſpitatur, incertumque erat, unde adveniſſet; & quanquam melancholiæ ſigna domeſtici cognoviſſent: tamen ſubitanea, nec violenta morte extinguitur, & ejus cadaver, indultu ampliſſimi Senatus, in theatrum anatomicum fertur. Nos, aperto corpore, aortam, poſtquam iliaca vaſa ligaſſemus, rubra cera implevimus, ut hanc exiliſſimæ arteriæ caperent. In imo ventre nigricantem ſtomachum, inteſtina & hepar, ſed magis nigrum fellis folliculum, denique nigerrimum, & ita mollem ſplenem deprehendimus, ut etiam tactui ſicut butyrum cederet: omnia vero minimum fœterent. Ligatur porro ſplenica vena, deinde viſcera eximuntur, quæ cum vena portæ communicant, &, poſtquam cuncta in tertium diem aqua macerata eſſent, neque colorem mutaſſent, viridis cera mittitur ſiphone in hæmorrhoidalem venam, ut truncus portæ venæ & minores rami, præter minimos eſſent pleni. Præterea inciditur in fundi loco cyſtis fellea, colligitur bilis nigerrima, juſto haud fluidior, aut ſpiſſior, quæ neque liquore, ſaleque alcalico admixtis efferveſcit, quin vix mutatur, ſive ſal acidum, ſive alcali adderetur. Cuncta denuo tribus aliis diebus merguntur aqua, & viſcerum habitus, quoad colorem, manet idem, & ſplen nigerrimum pigmentum fundit. Acrimoniæ, ſicut coloris proprium genus erat, ut digiti, & alia, quæ bile & ſplenis pigmento inquinabantur, ægerrime purgari poſſent: ceterum venæ cavæ ſanguis fluxit, nec ſpiſſum coagulum exhibuit, quanquam præ naturali magis niger eſſet, ut neque alter, qui in pulmonali arteria erat, cum bono compararetur. Quoties ſtomachum, & fellis folliculum cum cyſtico & cholidocho ductu, quæ ſicca ſervamus, hodie intuemur, veræ atræ bilis olim viſæ exempli, & majoris notæ effectuum memores ſumus, quales neque antea, neque poſtea vidimus, quanquam haud exiguus ſit a nobis ſectorum numerus cadaverum, quæ alii reliquerunt, quos pro melancholicis habuimus, cum in vivis eſſent. Erant autem in cerebro venæ ſanguine haud diſtentæ, vel impactæ, neque in ventriculis ſerum, aut in ejus parte omni alius morbus reperiebatur. Cauſſa repentinæ mortis, ſine dubio, ſui generis ſphacelus ſplenis erat; ſed cum

diſtantis a corde viſceris, ſicut minoris ſæpe partis inflammatio, & gangræna, vel ſphacelus, cordis motum ita ſubito ſufflaminare poſſit, etiamſi ſanguinis coagulum in venis non adſit, nec cor inde opprimatur, de hoc alii diſputent, diſpiciantque.

FINIS.

ANDREÆ

C V.

ANDREÆ PETERMANN

E T

J. GUNTHERI ALBRECHT,

SCRUTINIUM ICTERI EX CALCULIS VESICULÆ FELLIS OCCASIONE CASUS CUJUSDAM SINGULARIS.

Lipſiæ 22 Sept. 1696.

PRÆFAMEN.

Homo, divinum illud opificium, totius univerſi in ſe ferme reconditos gerens theſauros, cunctiſque, quæ ſuo mundus ambitu continet, animantibus præſtantia ac nobilitate antecellens, quantiſcunque etiam à Sapientiſſimo Creatore exornatus fuerit beneficiis, tantis tamen poſt perniciosum & toti generi humano gemendum lapſum ſubjectus eſt ærumnis, ut non immerito infelicis omnium miſeriarum epitomes nomen ſuſtinere queat. Haud equidem illi, qui primis potiſſimum vixerunt ſeculis, adeo numeroſam morborum ſtragem experti ſunt: Aſt depravata poſtmodum victus ratione, ex hac tanquam ex Pandoræ pyxide tot prorepſere νοσήματα καὶ παθήματα, *ut, utrum remediorum in ægrotantium ſolamen ab induſtriis rerum naturalium ſcrutatoribus oppido inventorum, an vero morborum alia atque alia facie mortalium corpora haud raro miſere exagitantium numerus prævaleat, ambigere quis merito poſſit. Miſſis jam vulgaribus illis, qui frequentius fragilitati humanæ inſidiari obſervantur, rariorem magis morborum ſpeciem, icterum videlicet ex calculis veſicæ felleæ oriundum, morbum ſane aſpectu fœdum, violentia atrocem, exitu dubium, in ſcenam producendi, ejuſque naturam occaſione ſingularis cujuſdam caſus à dilectiſſimo Parente mihi communicati è ſolenni cathedra ventilandi animus eſt. Utut enim illum tanquam morbum plane novum L. B. obtrudere non auſim, cum ſat multæ Autorum obſervationes, quarum aliquot ipſa ſuppeditabit diſputatio, contrarium teſtentur, hincque juxta Dn. Volckamerum Societat. Cæſ. Leopold. Præſidem olim perilluſtrem, vid. Miſc. A. N. C. Decur. 1. Ann. 6. Obſ. 71. hic icterus non amplius pro miraculo, ſed pro morbo ſit habendus: firmiter tamen mihi perſuadeo, hujus inter rariores merito reponendi affectus Scrutinium L. B. haud adeo ingratum futurum, meque paulo penitius naturam ejus contemplando oleum & operam neutiquam perditurum eſſe. Quo vero in hac enodatione iter ſuſceptum felicius emetiri liceat, Cæleſtis Archiater mentem caligine obductam ſerenet, cœptiſque clementer annuat. Tu vero, Candide Lector, ſi forſitan in materia hac, ex profeſſo à nemine, quantum mihi quidem conſtat, hactenus enucleata, Tuæ expectationi ex aſſe non ſatisfecerim, volenti veniam non denegabis.*

HISTORIA MORBI.

Vir 54. annorum, cholericæ nec adeo macilentæ complexionis, cujus ex parte majores ac progenitores renum & veſicæ calculo obnoxii fuere, vitæ ſedentariæ admodum deditus, victui craſſiori, præſertim vero caſeorum duriuſculorum eſui ſupra modum indulgens, a pluribus annis copioſas cum lotio reddidit arenulas, vix tamen eas, quæ alias nephriticis adeſſe ſolent, ſentiens

tiens moleſtias. Quoties olim ad iram, ad quam valde proclivis eſt, concitatus fuit, toties acutiſſimi eum abdominis dolores, præcipue vero in hypochondrio dextro vexarunt, quos aliquando ira excandeſcens tam acerbos ſenſit, ut intercepto etiam exinde ad tempus reſpirationis negotio, ipſam minitarentur ſuffocationem. Alvi præterea eſt adſtrictioris, vix quarto quolibet die ſui depoſitionem urgentis. Anno, qui præteriit ictero flavo corripiebatur, cum acerrimis circa regionem hepatis doloribus, qui, tamen excreto per alvum lapillo, baccæ lauri quoad colorem & formam haud adeo abſimili, ſubito ceſſarunt, ipſa cute priſtinum nitorem ſimul recuperante. Vixit ab illo tempore ſanus uſque ad currentis anni menſem Martium, quo morbus arcuatus moleſtiſſimis vomendi conatibus, præcipue vero intolerabilibus ferme hypochondrii dextri cruciatibus ſtipatus denuo ipſum invaſit. Parem igitur ſe tantis tormentis ferendis vix ſentienti, ac propterea dilecti Parentis auxilium imploranti initio decoctum aperit. ex rad. gram. enulæ campan. cichor. tarax. &c. poſtea eſſent. ♂al. Croc. Pulveres ex lumbr. terreſtr. Ebor. ſ. △ Oſſ. ſep. Lap. carpion. præparat. Millep. præp. & aliis antiictericis lithontripticis maritatis præſcripta ſunt, quorum uſu vix ad unum alterumve diem continuato, cum ad alvum exonerandam incitaretur, cum excrementis plurimos rejecit calculos, quos per famulum collectos ac ab omni immunditie ſedulo purgatos, ad Parentem venerandum tranſmiſit, ſignificans, ſe poſt illorum excretionem à cutis flava defœdatione acerbiſque doloribus factum fuiſſe immunem, à quibus etiam in hoc uſque tempus liber permanſit, optima fruens ſanitate. Calculorum dictorum plures quam 72. numerati ſunt, magnitudine partim phaſeolorum & piſorum, partim lentium: Rotundi alii & læves, alii anguloſi & aſperi videbantur. Plures eorum lapideam duritiem præ ſe ferebant, nonnulli tamen, quanquam pauciores, mollioris compagis erant, qui nihilominus, poſteaquam aëri fuere expoſiti, magis ad duriorum calculorum ſoliditatem acceſſere. Ex felleo cunctorum colore conjectare facile erat, eos folliculum fellis occupaſſe, neque dolorum atrociorum forſan alia fuit cauſa, quam calculorum ibi latitantium ad inteſtina tranſeundi conatus, quorum ſane duriuſculi & anguloſi per membranoſum illum ductum abſque ejus punctione & aliquali læſione vix propelli potuerunt. Aquæ tam calidæ, quam frigidæ omnes ſupernatarunt, non tamen in calida (de quo alias cantrarium Autores teſtantur) eorum ſolutio obtineri potuit, quæ itidem cum decocto rad. gram. infuſo calido herb. Thee, imo cum ipſo ~⌽ & ⊖lis fruſtra tentata fuit, quorum quidem ~uum admixtione exterior calculorum quaſi cortex flavus nigerrimum induens colorem, friabilior redditus eſt, interiore interim compage albiſſima apparente, duritieque cum ſilicibus certante, imo ipſum aquæ, cui antea innataverat, fundum jam petente. ~tuum alcalinorum, e. g. ⊖✱ci, terebinth. C. C. &c. nulla in dictos calculos deprehenſa eſt efficacia, quibus injecti vix notabilem ſubiere mutationem, niſi quod exterius ſaturata magis flavedine exinde imbuti ſint. Igni denique admoti non quidem ad totalem ſubſtantiæ conſumptionem combuſti ſunt, facile tamen flammam conceperunt.

RESO-

RESOLUTIO.

CAPUT I. PHYSIOLOGICUM.

Conſiderans ea quæ ex ſtatu naturali circa morbum attendenda veniunt.

§. I

ANalyſin præſentis caſus dum aggredior, inſtituti ratio jubet occaſione ægri quædam phyſiologica præmittere, atque temperamentum ejus una cum bilis ac hepatis ſtatu naturali pauliſper ſcrutari, quo deinceps felicius progredi, &, cum rectum curvi cynoſura ſit, hoc ex illo antea bene perluſtrato facilius cognoſci valeat.

§. II.

Quantum itaque ad primum, gaudet æger complexione ſive temperamento cholerico, quod nihil aliud mihi denotat, niſi ejuſmodi ſanguinis & cæterorum humorum κρᾶσιν, qua quidem particulæ humores corporis conſtituentes ita inter ſe ſunt diſpoſitæ ac mixtæ, ut bilis alcali adſit aliquanto copioſius, actiones tamen naturales ſenſibiliter non lædantur.

§. III.

Ex quo ipſo facile innoteſcit, me minime adſtipulari veterum ſententiæ, eorumque humorum συζυγίας admittere; ſiquidem hæ non difficulter repriauntur, repreſſo partim humorum, partim primarum qualitatum quaternione, quo ceu ſundamentis unice nitebantur.

§. IV.

Quod enim humores, ſanguinem nimirum in ſpecie ſic dictum, pituitam, melancholiam & bilem concernit, hi nunquam ſufficienter demonſtrari poterunt argumento primario ob organis differentibus petito. Etenim quando ſanguis quoad ſuam geneſin partim cordi, & quidem ab Hippocr. & Ariſtot. partim hepati a Galeno &c. acceptus fertur, committitur aliquid tum chyli, tum ſanguinis, circulationi contrarium; quippe quæ nec cordi nec hepati hæmatoſeos officium competere luculenter docet. Prout hoc jamjam eleganter ſatis oſtenderunt Mœb. *in fundam-*

phyſiol. Gliſſon *in anatom. hepat.* atque Thom. Bartholin. *tract. hepatis ſlatus exauctorat.* it tumul. hepat. &c. Pituita quoad geneſin a veteribus quidem eſt aſſignata partim ventriculo, quæ & a me minime vocatur in dubium, partim capiti, *vid. Hipp. text.* 2. *lib.* 4. *de morb.* Dum vero antiqui ſibi perſuaſerunt, hanc pituitam, tanquam ſuperfluam, abſorberi a glandulis, iterum conſtat, eos aliquid humani paſſos eſſe, cum accuratior anatomia ad oculum demonſtret, glandulas eſſe primarium organum, cujus beneficio lympha ex M. S. ſequeſtretur, ut deinceps tanquam humor aliquis ſpecificus & a M. S. ſeparatus appareat. Melancholiæ ortus lieni imputatus itidem ſuas patitur difficultates. Quod enim lien non ſit viſcus aliquod primarium ſuccumque adeo nobilem & eſſentialem, qualem melancholiam ſuam finxere veteres, ſecernat, confirmant & canes aſplenii, valetudine ſæpe eos ſuperantes, qui prædicto viſcere non ſunt privati, & homines liene deſtituti, quales vid. apud Salmuth. *cent.* 1. *obſ.* 21. cl. Bonett. *med. ſept. coll. p.* 677. Barth. *obſ.* 51. *cent.* 4. & Kerckring. *obſ.* 11. *ſpicil. anat.*. Taceo neminem anatomicorum etiam oculatiſſimorum hucuſque aciditatem in liene advertere potuiſſe. Quidquid etiam in contrarium afferat Diemerbrock. *p.* 112. *lib.* 1. *anat.* Succus denique bilioſus eſt equidem corpori noſtro naturaliſſimus, non tamen ſequeſtratur ex M. S. tanquam humor aliquis vitioſus, ut inde mereatur nomen excrementi laudabilis, prout ex inſigni ejus uſu in ſqq. §§. exponendo ulterius apparebit, & mox inde innoteſcit, quod veſicula fellis cum ſuo ſucco bilioſo appareat in tenellis corporis humani primordiis.

§. V.

De qualitatibus primis, quibus ceu alteri fulcro hæc hypotheſis ſuperſternitur, (ut pauca ſaltem de his moneam) notum eſt, Hippocratem, Ariſtot. & Galenum, (quamvis prioris mentem longe ſaniorem fuiſſe textus 30. *lib. de medicin. priſc.* ſuadere videatur,) quatuor ſtatuiſſe qualitates primas, duas nempe activas ſibique contrarias, calorem & frigus, duas vero paſſivas humiditatem & ſiccitatem ſibi itidem adverſas. Quod ſi jam has qualitates accuratius examinare animus eſt, deprehendimus eas revera non eſſe primas, ſed ſemper alias præſupponere. Etenim aſſumentes calcem vivam, & ♁lum probe ad rubedinem calcinatum, item ⊙ & △giam, poſtmodumque prioribus ſuperfundentes aquam frigidam, poſteriora vero invicem combinantes, excitamus calorem intenſiſſimum, imo talem, qui in calce viva veram producit flammam, materia inflammabili ei prius commiſta. Quia ergo frigus impoſſibiliter per ſe, & abſque præcedanea qualitate alia calorem producere poteſt, neceſſario hic prior quædam præerequitur.

§. VI.

§. VI.

Hinc corruit tota veterum hypotheſis, quæ tamen ut facili negotio refutari potuit; ita quoque non adeo difficulter, ſi harmoniæ medicæ ſtudere placet, conciliari rurſus poterit. Videlicet ſi per ſanguinem partem M. S. coccineam, per pituitam lympham, per melancholiam fermentum ventriculi, per bilem ſuccum bilioſum, per temperamentum vero ſanguineum ſtatum M. S. naturalem ſalſo dulcem, per pituitoſum aliqualem lymphæ abundantiam, per melancholicum quadantenus excedentem liquoris gaſtrici aciditatem, per bilioſum denique juſto copioſius bilis alcali intelligere animus ſit, lis intra contradicentes erit compoſita.

§. VII.

Et quamvis Fernel. *medic. univerſ. phyſiol. lib.* 3. *cap.* 11. *p.* 78. eos inexplicabilibus ſeſe credat involvere laqueis, qui hunc bilioſi, illum ſanguinei &c. temperamenti eſſe pronuntiant; nemo tamen inficiabitur, multos tali ſanguinis craſi præditos nihilominus per longum vitæ tempus ſatis firma gaudere valetudine.

§. VIII.

Certus itaque de temperamento ægri, nunc ad alterum devehor, ad viſcera nimirum, quæ in illo potiſſimum deprehenduntur, vitiata. Primo vero occurrit hepar, cujus ſtructuram nemo amplius æſtimabit parenchymaticam, cum non tantum, ſanguine per elutriationem evocato, glandularum in eo conglomerationes ad oculum demonſtrari queant, verum & præterea unico ſpecifico excretorio polleat vaſe, (inſoliti enim fuerunt ductus, quorum unus præter ordinarium in duodenum, alter vero in alio cadavere in inteſtinum colon fuit extenſus apud Diemerbr. l. c.) & ſingulariſſimum ſeparet ſuccum in cavitatem inteſtinorum, quemadmodum egregie hac de re diſſerit inſignis iſte ſeculi noſtri anatomicus Marcell. Malpigh. *tr. de ſtructura viſc. cap. de hepate.* Qualem vero glandulæ iſtæ figuram præciſe præ ſe ferant, microſcopiis, quorum copia mihi hucuſque eſt facta, agnoſcere nondum licuit. Situm, figuram, ligamenta & lymphaticos hepatis ductus, cum ad inſtitutum meum parum faciant, mitto, de ſolis vaſis venoſis & arterioſis hoc annectens, arteriam nimirum hepar nanciſci unicam dictam hepaticam, ab arteria cœliaca, cujus dexter ramus eſt, oriundam. Quæ juxta opinionem cl. Gliſſonii *anat. hep. cap.* 29. in ſolas capſulæ communis partes & vaſa minime deſinit, verum præterea ipſam hepatis ſubſtan-

tiam intimam penetrat, prout in aliquot cadaveribus in theatro anatomico Lipſienſi a domino Præſide diſſectis obſervare contigit. Venæ vero in hepate duæ conſpiciuntur, cava una, altera portæ. Prior hepar caudicetenus ſaltem ſtringit in homine aliquot nihilominus ramos grandes, quorum utplurimum quinque deprehenduntur, ex ſubſtantia ejus accipiens. Poſterior autem tota tota, quanta quanta, ipſum hepar ingrediens in eo deſinit, de qua inſuper notandum, quod quodammodo arterias imitetur, quatenus ſanguinem ex ventriculo, liene, pancreate, & meſenterio reducem excipit & ad hepar defert, nullatenus tamen vero pulſu gaudeat. Is enim ſi ſentitur, oritur ex ſubjacente arteria. De uſu hujus viſceris autores in varias diſcedunt ſententias. Et quamvis illa de uſu hepatis ſanguificatorio hypotheſis ferme exploſa ſit, Sylvii vero opinio autopſiæ repugnet; hæc tamen ſententia ſuos adhuc invenit patronos, qua ſecundum Malpigh. Bartholin. Maurit. Hoffmannum, &c. ſtatuitur, uſum hepatis palmarium abſolvi in ſequeſtratione bilis ex M. S. per modum quendam colatorium.

§. X.

Quam ſententiam non adeo firmo niti talo, multa evincunt. Sufficiat nunc unicum argumentum. Scilicet certum eſt, quæcunque per colatorium debent ſeparari, ea antea ſibi fuiſſe commixta. Jam utrumque hepatis ſanguinem, arterioſum nempe & venoſum venæ portæ examinantes in nullo bilem actualem offendimus; utpote cujus tanta eſt efficacia, ut ne quidem aliquot guttulæ ob inſignem amaritiem, teſte experientia, in liquore celari queant. Bilis igitur ſi formaliter, & qua talis, hepati ac M. S. inexiſteret, hoc æque atque illa procul dubio amareſceret, quemadmodum id experimur in piſcibus, quorum veſiculæ fellis ex coquorum incuria in exenteratione vulnerantur: ſiquidem omnis poſtmodum caro elixa amaricat.

§. XI.

Veri itaque videtur ſimilius, hepar eatenus bili generandæ inſervire, quatenus per glandulas minimas ſive acinos ſequeſtratur lympha quædam ex M. S., cujus fluidior pars derivatur ad receptaculum commune per lymphatica, viſcidior vero ſenſim atque ſenſim penetrat partim in fundum veſiculæ fellis, partim vero in ductum hepaticum, eo vero delata demum amareſcit & in bilem tranſmutatur inſtar aceti, cujus ſi dolio vini cantharus affunditur, in eandem cum illo naturam abit, in quod etiam aquam fontanam & ſimplicem ope ſingularis cujuſdam fermenti convertere poſſe virum quendam curioſum, Dn. Morhof *in epiſt. ad Langelott. conſignata teſtatur.*

§. XII.

§. XII.

De hoc bilis receptaculo ſive folliculo fellis adhuc notandum, eum concavæ hepatis parti adhærentem fundo ſuo atque cervice gaudere, figuramque pyri repræſentare, cujus pediculum meatus cyſticus exprimit. Hæc ipſa veſicula præterea vaſa & quidem venoſa duo a portæ trunco, totidemque arterias a cœliaca oriundas, quæ cyſticæ gemellæ appellantur, nanciſcitur, nervoque ex hepatico & ductibus aquoſis eam firmiſſime tangentibus donata eſt. Subſtantia ejus ex triplici conſtat membrana, quarum primam ſeu extimam a peritonæo mutatur: media carnoſa ex duplici fibrarum ſerie ſe invicem decuſſante eſt conflata; tertia atque intima nervea vel potius tendinea eſt, cui mucus quidam ſuperſternitur, quem Blanckard. *in anat. reformat.* pro tunica glanduloſa, & forſitan non injuria, agnoſcit. Ductus inſuper obſervari merentur, quorum primus eſt cyſticus, qui a cavitate veſiculæ fellis progreditur, eoque in loco, ubi illi conjungitur, ſubſtantia carnoſiore, quæ annuli fibroſi nomine venit apud anatomicos, inveſtita eſt, ductumque anguſtiorem reddit. Amplitudo ejus pennæ gallinaceæ æqualis videtur, deſinit vero ubi poro bilario ductuique communi jungitur. Alter meatus audit hepaticus ſive porus bilarius & ex ipſo hepate provenit quidem unus, ſecus quam in canibus, nihilominus in hepate mox diſpeſcitur in ramos grandes, qui ultimato deſinunt in ramulos capillares uſque in extimam hepatis peripheriam protenſos, procedens autem ex hepate concurrit cum ductu cyſtico, ut denique ductus ex ambobus quaſi enatus communis vel choledochus ſalutetur, rectuſque deorſum tendens ſeſe in duodeni finem inſinuet. Inſeritur vero in poſticam inteſtini partem, indeque ad angulum obliquum tunicas illius penetrat, ne quid ſcilicet ab inteſtino in ductum hunc illabatur, neve regurgitet: quem in finem etiam fibræ annulares, quæ & orificium & totum ejus tractum cingunt, formatæ videntur. Ductum autem cyſthepaticum non arbitror ſpecificum, ſed ramum ipſius hepatici, prout in hepatibus bubulis grandioribus aliquoties ſat luculenter animadvertimus. Uſum quod ſpectat, autopſia ſufficienter comprobat, eum bili in inteſtinorum arundinem evacuandæ unice inſervire.

§. XIII.

Et hæc quidem bilis, cujus hoſpitium hactenus fuit expoſitum, naturaliter ita eſto conſtituta, ut ſal in ſe contineat alcalicum, cujus in illa exiſtentiam confirmat primo inſignis ejus amarities, deinde bilis, poſt inſtillata acida ſubſequens præcipitatio, & denique ſal comm. alcali fixum arte chymica exinde elaboratum; utpote quod ex alia parte ani-

mali in ſatis ſenſibili copia ſub proportione vix naneiſcemur. Nolo tamen hic tanquam pro aris & focis pugnare, hoc ⊖ in ſtatu naturali vel vivo homine eſſe naturæ tam fixæ, prout poſt vehementiſſimam combuſtionem apparet. Aciditas interim omnis ei propterea non eſt deneganda, ſed ita concedenda, ut alcali ſemper abundet, quemadmodum id quoque experimur in ♃re magna ex parte acido, mediantibus oleis & alcalibus cocto, quod non tantum inſigniter amareſcit, verum manifeſto etiam impraegnatum eſt alcali per præcipitationem ab acidis inſtitutam hinc rurſus ſeparabili. Præterea neceſſe eſt in bile naturali ut adſit temperata fluiditas, ſeu aliqualis viſciditas. Quare nec iis dicam ſum ſcripturus, qui ſalia hæc in fluido viſcido exiſtentia cum ♃re comparare malunt. Bilem tamen cum ſolo ♃re abſque novo combinato alcali conferri poſſe, penitus nego: ſiquidem nec ejus inflammabilitas poſt evaporationem apparens hoc aſſertum evincit, cum & reliquæ corporis partes in tantum deſtillatæ flammam concipiant tamdiu, donec oleum penitus fuerit abactum. Nam haud ita pridem videntes ſecundinas putridas deſtillatas rati eas ſumus bitumen quoddam ob ſummam inflammabilitatem.

§. XIV.

Ratio tandem temperaturæ hujus eſt in propatulo. Requiritur nempe propterea, quo bilis in inteſtina expreſſa particulis alimentorum acidis & acribus felicius ſeſe jungat, blandam cum iis fermentationem (quæ per totam inteſtinorum arundinem continuatur) ineat, eas magis diluat, ſalſedinem temperet, ſicque digeſtionem promoveat, & ſuccum ſalſo dulcem, chylum puta, efficiat. Atque hæc ex phyſiologicis occaſione ægri adduxiſſe ſufficiat. Sequitur nunc.

CAPUT II. PATHOLOGICUM

Exponens

Morbum ejuſque Accidentia.

§. I.

Antequam ad partem affectam, cauſas cæteraque pathologiæ attributa me accingam, attingere prius lubet nonnullas Autorum obſervationes cum præſenti quadantenus convenientes, ex quibus deinceps firmius de reliquis ferri poterit judicium. Perpeſſus vero eſt æger, prout ex hiſtoria morbi ſuperius recenſita conſtat, accutiſſimos abdominis dolores,

lores, præcipue vero hypochondrii dextri. Anno præterlapſo ictero correptus, & iiſdem rurſus doloribus afflictus eſt, qui tamen una cum morbo arcuato poſt evacuationem lapilli baccæ lauri admodum ſimilis ceſſavit. Hoc ipſo anno denuo hoſpes hic ingratus eum invaſit. Exhibitis ergo remediis convenientibus, rejecti ſunt per alvum plus quam 72. calculi flaveſcentes, quorum alii rotundi & læves, alii anguloſi & aſperi, alii denique molliores, alii duriores fuere, magnitudine partim phaſeolorum & piſorum, partim quoque lentium. His excretis, à morbo auriginoſo liberatus eſt. Calculi molliores aëri expoſiti, duriorum ſoliditatem acquiſiverunt, aquæ tam calidæ quam frigidæ ſupernatarunt, nec in ea ſolvi potuerunt, quemadmodum & hæc ſolutio fruſtra cum decocto rad. gram. herb. Thee. Item cum Spirit. ⊖ & ⦶tri tentata fuit. Spiritibus urinoſis injecti intenſiori magis flavedine imbuti ſunt, & igni admoti flammam conceperunt.

§. II.

Jam ſi Autorum obſervationes evolvere placet, inveniuntur ſane non paucæ, quæ ſi non ex toto, maxima tamen parte cum præſenti coincidunt. Agmen ducat Cl. D. Sorbait, qui *Oper. Med. Tract. 6. Cap. 5. pag.* 739. eadem ferme de ictero ejuſmodi cum calculorum per alvum excretione annotavit. Mulier quippe Burgunda ætatis ſuæ 36. annorum, temperamenti ſanguineo bilioſi cum venis turgidis & habitu corporis gracili, poſt multoties commiſſos in diæta errores derepente incidit in colorem intenſe flavum totius corporis, cum oris amaritie, membrorum laſſitudine, nauſea, ſiti, appetitus dejectione, capitis dolore, ⊡na cereviſiæ brunaceæ ſimili, &c. Color vero flaveſcens quandoque ex toto ferme remiſit, excretis aliquot per anum calculis pondere leviſſimis, adeo ut aquæ injecti huic ſupernatarint. Simile quid obſervavit Nicol. Guil Becker. Medic. Viennenſ. *in Miſc. A. N. C. Anno* 1670. *Obſ.* 41. in Dn. Rumoldo van der Borcht, Leopoldi, Imperatoris Invictiſſimi, Protomedici, qui poſtquam annis quamplurimis atrociſſimo iſchiadico dolore, aſthmate ac orthopnœa defatigatus fuit, auriginoſo tandem correptus eſt morbo, ex quo etiam fatis ceſſit. Cadavere exenterato, præter bina in pulmonibus tubercula 72. lapilli coloris flavo-ſubnigri, fabarum minorum ac piſorum magnitudinem adæquantes in veſicula fellea & ductu choledocho reperti ſunt. Bononiæ profeſſor quidam nomine Beatus matrem habuit ſexagenariam, in cujus mortuæ veſicula fellis, cum diutiſſime regio morbo, & continuo ciborum vomitu laboraſſet, tandem multi ſunt reperti calculi, referente hoc Bonett. *Anat. Pract. Lib.* 3. *Sect.* 18. Uxor alia nulla remediorum ope adjuta icteritia interiit, quæ in veſicula fellis continuit lapides coeruleos, ſplendidos plurimos anguloſos, quique ſuperficietenus ita inter ſe cohæſere, ut unicus lapis pri-

mum

mum viſentibus judicatus fuerit, annotante eod. Bonett. *l. c.* In illuſtris Baronis de Bielcken poſt diuturnos dolores arthriticos primo in icteritiam incurabilem, tandem vero aſcitem lethalem, incidentis veſica bilaria invenit Tim. *von Güldenklee, vid. lib.* 3. *caſ.* 28. calculum tantæ molis, ut totam ferme cyſtin repleret. Mulieris denique ictericæ, pluribus per alvum excretis lapidibus, morbo regio liberatæ hiſtoriam exhibet Dn. *Schmidlin in Diſſert. Anno* 1685. *ſub Præſidio D. Metzgeri Tubingæ habita.*

§. III.

Ratione coloris multa itidem curioſa apud Autores proſtant. Quemadmodum enim præſentes calculi ſub flaveſcente apparuerunt colore; ſic gypſeos tales & candicantes quandoque fuiſſe, teſtantur *Miſc. A. N. Cur. Decur.* 2. *An.* 5. *Obſ.* 77. Quod a nimia lympha viſcida dependiſſe, admodum videtur probabile. In cyſti fellea chirurgi cujuſdam 9. calculos ex viridi nigricantes leviſſimi ponderis, ſaporis amaricantis, magnitudine nucis moſchatæ minoris vidit B. D. Hagendorn, uti teſtatur *in Hiſtor. Medic. Phyſ. Cent.* 11. *hiſt.* 8. Dn. Georg. Scarpius, in Academia Monſpelienſi Profeſſor Regius, narravit aliquando, ſe in diſſecti lictoris veſicula bilaria 30. lapillos carbunculi inſtar pellucidos inveniſſe. In Theologi Poſnanienſis folliculo fellis repertus eſt orbicularis calculus, ex novem aliis figuræ triangularis ſibi invicem incumbentibus lapillis conſtans ſubnigricantis, ſubviridis & ſplendentis coloris. Vid. de his Bonnet. *Medic. Septentr. Lib.* 3. *Sect.* 19. *Cap.* 27. *&* 28. Hepatis venas & ipſum ductum choledochum obſtructas fuiſſe lapillis foris nigris, intus vero flaveſcentibus, lege apud eund. Bonett. *Anat. Pract. l. c. Obſerv.* 8. §. 12. *Sect.* 18. Diverſi vero iſtius coloris ætiologiam unice bili aſſignandam eſſe arbitror, prout nimirum in ſtatu p. n. diverſimode vitiata diverſos quoque colores adſciſcit.

§. IV.

Magnitudo denique, numerus & figura iſtiuſmodi lapillorum non minus variat. Præſentes qua ratione conſtituti fuerint, conſtat ex ſuperioribus. Alii interim obſervarunt alia. Alexand. Deodat. in veſicula fellis matronæ cujuſdam deprehendit tres lapides caſtaneam æquantes triquetra figura, nigros & gagatem referentes. In Nobili Conrado à Steinberg lapidem ad nucis juglandis magnitudinem anterius atrum, poſterius croceum invenit Fabric. Hildan. *Cent.* 1. *Obſerv.* 60. De ſene quodam memorat. Fernel. eum in iram mire propenſum poſt deceſſum ſine felle ac cyſti repertum eſſe, de qua tamen hiſtoria Exc. Schröck. *in Schol. ad Bonet. Cap.* 27. *Lib.* 3. *Sect.* 9. *in Med. Septentr.* monet, forte membranaceum

naceum folliculum à calculo extenſum huic firmiter adhæſiſſe, adeoque obſervatoribus, ac ſi abeſſet, impoſuiſſe, vel eum cum bilioſo liquore in ſubſtantiam lapideam coaluiſſe. In Nobilis folliculo 99. lapides piſorum magnitudine reperti ſunt, aſſerente Andr. Cnœfel. *Miſc. A. N. C. Anno* 1673. De Dn. Paulo Tarczali tandem narrat Bonnett. *Med. Septentr.* eum cyſtim felleam adeo calculis obſervaſſe refertam, ut ne guttula bilioſi humoris in ea reperta ſit, calculorum vero exemptorum ſupra 150. eſſe numeratos, quorum maximus nuclei caſtanei majoris magnitudinem æquarit. Calculorum adhuc ſaburram 500. continuiſſe lapillos, non numeratis iis, qui in inteſtinis putridis hinc inde diſperſi perditique fuerint, ita ut in univerſum plures quam 700. calculos veſicula iſta fellis concluſerit. Quæ obſervatio utrum fidem mereatur, in medio relinquo. Quod vero veſicula in corpus grande excreſcere valeat, probavit nuperius hæc in cane ictérico ad minimum decies naturali major. Vid. quoque Ruyſch *Dilucid. valv. Obſ. Anat.* 17. Plura hanc in rem qui deſiderat, conſulat Bonett. *Anat. Pract. nec non Medic. Septentrional. l. c. Miſc. A. N. C. Decur.* 2. *An.* 3. *Obſ.* 152. *Decur.* 2. *An.* 5. *Obſerv.* 77. *Dec.* 2. *An.* 7. *Obſ.* 244. *Dec.* 3. *An.* 2. *Obſ.* 149. Schenck *Obſ. Med. Lib.* 3. *pag.* 422. Helwig. *Obſerv. Medico-Phyſ.* 81. *cum Scholio Excell. Dn. Luc. Schröck.* Blanckard. *Anat. Pract. Cent.* 1. *Obſ.* 47. & *Cent.* 2. *Obſ.* 24. *nec non Obſ.* 34. Thom. Barthol. *Cent.* 1. *epiſt.* 62. & *Cent.* 3. *epiſt.* 85. Fabric. Hildan. *Cent.* 4. *obſ.* 44. Joh. Tackii *Chryſogon. pag.* 362. Greulich. *Tr. de bile* Mœb. *Fundam. Phyſiol. Cap.* 14. Plat. *Lib.* 3. *Obſ. pag.* 840. & 841. & alios plures, quorum aliquot in ſeqq. fiet mentio.

§. V.

In facili etiam erit inflammabilitatis rationem reddere, ſi in memoriam ex capite Phyſiologico revocavero bilis viſciditatem; utpote ob quam vel ſaltim inſpiſſata flammam concipit. Nec deerit levitatis cauſa, qua aquæ innataverunt. Nam eo ipſo dum particulæ ab acido peregrino coagulantur, hæc coagulatio non contingit abſque molimine aëris in viſciditate hoſpitantis & abituri, ob quem interceptum in calculo poroſitas levitatem inducens exurgit.

§. VI.

Viſis his, nunc ad partem affectam progredior, quam primario hepar & veſiculam fellis tam ratione calculorum, quam ratione icteri ex his oriundi, conſtituere exiſtimo, ita tamen, ut reſpectu morbi regii deinceps huc inteſtina, quatenus in iis fæcum alvinarum contingit ſecretio, vaſa lactea, ductus thoracicus, venæ & arteriæ, quatenus per hæc bilis vitioſa movetur, & demum totus corporis habitus, quatenus

particulæ bilioſæ præcipitatæ univerſum corpus præternaturali flavedine inficiunt, trahuntur. Flavet namque cutis per totam corporis ſuperficiem, inprimis ungues atque tunica oculorum adnata. In ipſa quoque urina hæc flavedo obſervatur, & quidem adeo ut linteola immerſa croceo colore imbuantur. Imo nec internæ corporis partes à tinctura hac icterica immunes ſunt, quin potius omnes arteriæ atque venæ, nec non oſſa & cartilagines interdum ea imbuuntur, quemadmodum hoc in cane icterico à Dn. *Præſide* diſſecto ante aliquot ſeptimanas obſervare licuit, & Kerckring. *Obſ.* 57. *Spicil. Anat.* eximie annotavit in embryone à matre icterica excluſo. Quibus ex partibus fluidis annumerari merentur ſerum atque ſanguis, prout hoc partim ſanguis per venam ſectam dimiſſus, partim flaveſcens ictericorum pus, (vide Hœchſtetterum *Dec.* 8. *Caſ.* 3. *p. mi.* 199.) ſudor, nec non ſputum, quod flaveſcens hæc calamo conſignans vidi in puero 13. annorum, qui ultra anni quadrantem ictero laboravit, & aliquot abhinc diebus in noſocomium receptus nunc reconvaleſcit, evincunt: cui non minoris momenti argumentum præbet curatio illa, cujus mentionem facit Lucas Tozzi *Med. Pract. part.* 2. *p.* 203. ruſticis familiariſſima; utpote qui uſu cucumeris ſylveſtris naribus admoti, ingentem lymphæ copiam luteo colore ſaturam eliciunt, ſicque ictero medentur.

§. VII.

Partem affectam excipit cauſarum ſcrutinium, quo loco primo calculorum veſicæ felleæ generatio, deinceps vero icteri ex iiſdem productio examinanda erit.

§. VIII.

De calculorum geneſi contentionis ſerram ſtrenue inter ſe Autores reciprocant: Paracelſus per tartrum rem exponere ſatagit, aſſerendo ineſſe humoribus noſtris particulas, quæ in cavitatibus inſtar calculi ſolidi concreſcant in lapillos, quos barbara voce vocavit Ludos. Huic ſententiæ acriter ſeſe oppoſuit Helm. *Tr. de Lithiaſi Cap.* 3. *n.* 9. contendens, plane non dari tartarum talem vel in ſtatu naturali, vel p. n. Hinc Spiritum quendam in ſinu acidum occultum foventem ſubſtituit, qui p. n. abundans ⊖ ⊡næ volatile coagulet. Quæ geneſis cum ab ea, quæ in macrocoſmo contingit, differat, calculo humano proprium aliquod nomen tribuere non dubitat, quem proinde voce itidem inuſitata Dulech appellat. Tackenius denique totus eo allaborat, ut calculi originem ex acido quod. ⊡ſum in terram coagulante deducat. Id quod tam ex reſolutione, quam nova hujus productione eleganter demonſtrat *in Hippocrat. Chym. Cap.* 14.

§. IX.

§. IX.

Si mentem horum Autorum paulo accuratius perpendere placuerit, ſane apparebit, eos non multum à ſe invicem diſſentire, utut in terminis plane non conveniant. Nam quemadmodum Helm. ambabus largior, in M. S. non exiſtere tartrum qua talem, bene tamen ſub forma liquaminis ſuſtinentis acidum aliquod cum admixtis particulis alcalinis terreſtribus; ita nihil quoque obſtat, quominus acidum illud vinoſum, quod Helmont. urget, cum Paracelſo, exponatur per tartarum, inprimis cum Spirit. Vin. haud adeo facile acidi accuſari poſſit, (rem interim penitus non nego) cum Chymia nos doceat, ſpirit. [illegible]næ equidem à Spirit. Vin. coagulari in offam, neutiquam tamen in corpus adeo ſolidum.

§. X.

Igitur magis ſtabo à partibus Tackenii, qui longe dilucidius hæc explicat, dum aſſerit, acidum aliquod p. n. coagulare in certis locis particulas humorum alcalinas, quando nimirum particulæ iſtæ adhuc ſunt unitæ multis moleculis terreſtribus ſolutis & alcalinis intertextis, prout hac ratione corpus compactum generari videmus, ſi ſolutioni ſilicum cum ſale tartari factæ inſtillamus Spiritum ſalis, &c. Unde quoque diſpaleſcit, cur in iis locis, in quibus alcalia abundant, frequentius calculi progignantur, v. gr. in renibus, veſica urinaria, cyſti fellea, &c. Hæc theoria applicata bili, quatenus nimirum hæc nimium alcalica & particulis terreſtribus inquinata coagulatur ab acido quodam peregrino, cujus frequentem præſentiam non una teſtatur experientia, nobis ſatis ſenſibilem generandorum calculorum conceptum ſiſtit. Imo adhuc clarius, ſi huc adſciſcimus experimenta Nuck. *p.* 78. *Adenographiæ* allegata. Etenim dum ex prima coagulatione grana ſaltim ſunt enata, hæc poſtmodum magis atque magis incruſtantur. Neque ea propter neceſſe eſt novam hic effingere geneſin, & vel ex ſolo calore exſiccante & frigore conſtringente: *vid. Miſc. A. N. C. Decur.* 2. *An.* 5. *Obſerv.* 126. *in Schol.*, vel ex diutius coërcita nec tempeſtive evacuata bile juxta Charleton. *Exerc. Pathol.* 9. §. 8. vel denique à Spiritus Urinæ deviatione & in cruorem fellis vicinum exoneratione, juxta Oſwald. Grembs. *in Arbor. Hom. Lib.* 1. *Cap.* 7. *Sect.* 3. §. 9. calculorum productionem deducere: Siquidem hæc omnia obſcuris terminis involuta nullum clarum & diſtinctum gignunt conceptum. Objiciunt equidem, hac ratione haud accurate ſatis explicari poſſe, cur icterus flavus & non potius niger generetur, cujus tamen poſterioris natura in aciditate nimia cum bile permixta conſiſtat. Aſt liceat regerere, ad icteritiam nigram requiri acidum maxime potens, cum

ad calculos coagulandos mitius quoque ſufficiat, modo bilis tanquam alterum requiſitum, ratione ſupra expoſita, ſit vitiata.

§. XI.

Hæc interim cauſa proxima efficiens cum pabulum quaſi & materiam præſupponat, illam tanquam cauſas remotiores paucis indagare oportet. Ex R. N. ergo huc primario facit temperamentum cholericum & melancholicum, ſive quando humores acidis atque terreſtribus turgent particulis, & bilis quoque abundat alkali, it. diſpoſitio hæreditaria. Ex N. N. rerum claſſe huc pertinet aër heterogeneis effluviis inquinatus, nec non alimenta, præ ceteris vero lacticinia & caſeoſa, quatenus ex acido in primis viis contento facile in acida vertuntur, & cum terreo ſuo alcali calculorum fundamenta ponunt. Piſces quoque non excluduntur, & præcipue quidem anguillæ. Inter carnes vero præ reliquis atro carbone notatur ſuilla, it. ſalitæ, fumo non bene induratæ, & aceto maceratæ, quas ultimas Dn. *Præſes* hypochondriacorum venenum apellare conſuevit. Ex potulentis vinum huc recenſeri meretur, ſi ſcilicet tartro impuro turgidum, ex acido auſtero refertum ſit. Inter animi pathemata excellunt ſubitanea excandeſcentia & mœror, de quo vid. Sylv. Ex R. P. N. tandem hic ſymbolum ſuum addunt ſcorbutus, malum hypochondriacum, imo omnes omnino morbi ab acido oriundi.

§. XII.

Quando nunc quæritur, quomodo ex calculis hiſce veſiculam fellis occupantibus icterus productus ſit? Reſpondeo, illud hoc pacto commode ſatis contingere potuiſſe: Poſtquam nimirum bilis in lapillos fuit coagulata, lympha illa, quæ per hepar ſequeſtrata fieri debet incrementum bilis, ob prædictos calculos, qui fel vitiatum præſupponunt, in veram bilem tranſmutari haud potuit, hinc ea leviter ſaltem tincta in inteſtina perrexit, & cum chylo rite ſeſe unire nequivit, deficiente nimirum debita conſiſtentia, minus alterata vaſa lactea atque M. S. penetravit, demumque totum corporis habitum croceo ſuo colore defœdavit.

§. XIII.

Cur vero obſtructionem ductus choledochi tanquam cauſam proximam hic non accuſem, in cauſa eſt (1) Helmontius, qui ſententiæ hujus infirmitatem *Tract. Schol. Humoriſt. paſſiv. decept. Cap.* 5. eleganter demonſtrat, dum in aliquot ictericorum diſſectione ductum felleum ab omni obſtructione liberum apparuiſſe teſtatur, de cineritio vero excrementorum colore, palmario alias adverſariorum argumento, monet, illum fre-

frequenter hodie adeſſe, cras iterum abeſſe, quod tamen in obſtructione veſiculæ fellis ſic alternatim poſſe contingere, vix arbitratur. (2) Sylvius qui §. 7. *cap.* 46. *lib.* 1. *id. med. pract.* diſertis verbis aſſerit, in diſſectione ictericorum non ſemper obſtructum eſſe ductum aut inteſtinalem, aut cyſticum. Similia exempla vid. apud *River. Cent. II. obſ.* 9. Hoechſt. *Dec. VIII. caſ.* 4. Plat. *lib.* 2. *pag.* 329.

§. XIV.

Tunc tamen Helmontio adſtipulari non audeo, quando icteri ex bile generationem plane negat aſſerens, meſenterii venas infra jecur fluore flavo atque ſtercoreo imbui, niſi forte per ſtercus illud liquidum meſenterium ingrediens intellectam velit bilem iſtam vitioſam atque inertem. Utut enim l. c. amaritiem in ſanguine & urina ictericorum nullatenus concedat, experientiæ tamen quotidianæ hoc in paſſu audacter contradicit.

§. XV.

Ex cauſis hujus icteri procatarcticis huc concurrunt alimenta & potulenta craſſiora atque viſcida, v. g. fructus horæi, piſces, carnes pinguiores, panis non bene fermentatus, cereviſia minus defœcata &c. quatenus nempe in primis viis partim ob p. n. effervеſcentiam, partim ob viſciditatem ſuam digeſtionem impediunt, chylumque vitioſum producunt, ex quo reliqui humores omnes neceſſario vitium contrahere tenentur. Deinde vero huc ſpectant animi pathemata, inprimis ira & excandeſcentia; quippe in qua omnes totius corporis membranæ ſubito comprimuntur, unde humores in motu ſuo retardantur, atque ad motum inteſtinum ſuſcipiendum magis irritantur. Id quod in ſaliva maxime evadit conſpicuum; utpote quæ in iracundia non deglutitur, ſed in ore retenta ſpumeſcit, & ſaporem à naturali plane alienum ſuſcipit. Excreta & retenta, ſi a ſtatu ſuo ordinario recedunt, idem valent, cum non raro menſtrua ſuppreſſa icterus ſequatur. Neque etiam immoderatum ſpirit. vini uſum hic prætermittendum eſſe, confirmat Cl. Sylv. dum *Prax. medic. lib.* 1. *pag.* 302. teſtatur, ſe ex hujus aliorumque potuum generoſiorum abuſu aliquoties icterum & huic ſuccedentem aſcitem utplurimum lethalem obſervaſſe. Imo aquam hanc vitæ dictam non vero paucis lethi factam, bilem ad concretionem calculorum diſponere, conjicere licet ex cadavere hominis huic vitio dediti a Clariſſ. Domino Hoffmanno diſſecto, cujus hepar ſcirrhoſum multiſque calculis & tophis ſubinde refertum fuit: vid. D. Wolff. *Diſſ. de ictero.* Miaſmata denique ex uno corpore in aliud tranſlata hiſce annumerari merentur, prout hoc ſuadet obſerv. Cl. Anhorn. qui in *Miſc. A. N. C. Decur. III. Ann.* 1. *obſ.* 87. Icteri ex ca-

daveris attactu exemplum exhibet. Ex R. P. N. morbum auriginoſum præ reliquis excitant omnes morbi chronici & cachexiæ, nec non animalium venenatorum morſus, quatenus inſtar aliorum venenorum cachexiam non parum promovent. Quidquid enim icterum producit, illud in vehementiori gradu quoque poteſt cauſari calculos in bile.

§. XVI.

Hæc de cauſis ſufficiant. Antequam vero parti Pathologicæ colophonem imponam, paucis adhuc monendum, non raro evenire, ut lapilli quidem adſint, abſque ullo tamen icteri veſtigio. Ita in conſtantia Acciarola & Eliſabetha Capponia 18. calculi nucis ponticæ magnitudine reperti ſunt, quorum neutram morbus arcuatus infecerat, quemadmodum ex obſerv. Nereti Neretii refert Bonett. *Anat. Pract. l. c.* A quo non abludit, quod idem author annotavit in uxore aurifabri ex peripneumonia denata, cujus veſicula fellis 44. lapillis fuit referta, quorum maximus fabam æquavit, reliqui vero piſi & lentis fuere magnitudinis: vultus nihilominus ictero nequaquam fuit defœdatus. Pari ratione Clar. Ettmüll. *Part. II. pag.* 54. confirmat, diſſectam fuiſſe mulierem, ex cujus folliculo fellis plures lapides, majores minoreſque fuerint collecti, quæ tamen ab ictero libera permanſerit. Cui illud adhuc jungo, quod Dn. *Præſes* in vetula Torgenſi obſervavit, in qua præter 17. lapillos nihil ferme ſucci bilioſi fuit deprehenſum, cum tamen icteri penitus expers fuerit. Hujus phænomeni rationem quod concernit, firmiter mihi perſuadeo, eam à priori vix digne ſatis explicari poſſe, cum præcipitatio iſta bilis diverſis modis contingat, & quamvis ſemper acidum prærequiratur, bilis nihilominus in ſtatu p. n. diverſis quoque gaudet particulis, quarum figuram ultimam accurate determinare non audeo. Satius proinde duco de his tacere, quam multa, quæ tamen nihil niſi vanam & inanem ſpeculationem olent, in medium proferre. Licet veri fiat ſimillimum, calculos, quo plus bilis prima vice in ſe recipiant, eo minus poſſe dein ictero anſam præbere. Potius,

CAPUT III. THERAPEUTICUM

Exponens

Signa morbi Diagnoſtica, Prognoſtica & Medelam.

§. I.

ABſolutis jam iis, quæ ad eſſentiæ cauſarumque affectus hujus cognitionem præfari oportuit, ad ipſam ejus curationem, ordine ſic jubente, pedem promoveo. Cum autem curationis initium ſit morbi agnitio & theoriæ generalis ad præſentem caſum applicatio, in ſigna diagnoſtica prius ut inquiram, neceſſitas exigit. Hæc vero duplici reſpectu hic conſideranda veniunt, nimirum tam ratione morbi arcuati, quam ratione calculorum, qui quod icterum produxerint, ex ſuperioribus innoteſcit. Deſumitur itaque icteri diagnoſis ex oculari potiſſimum inſpectione. Cutis namque ægrotantis flaveſcit, inprimis ungues, tunica oculorum adnata atque cornea, urina apparet valde ſpumoſa & craſſa ex atra utplurimum rubedine in tantum flaveſcens, linteolaque injecta croceo colore tingens. Conqueruntur præterea ægri de inſigni faucium amaritie, imo aliquando & in ipſo ſanguine per V. S. evocato ſerum flavum aliaque corpora ſic tingens reperitur. Signa vero hæc icterum jam jam factum indicant, quem imminentem produnt illa omnia copulative ſumpta, in gradu tamen remiſſiore, vexantur inſuper ægri dolore exquiſito tenſivo & gravativo in præcordiis, quem concomitatur anxietas & ſumma inquietudo; adeſt denique ſpontanea laſſitudo cum appetitu proſtrato, & ſi malum altas jam jam egerit radices ac inveteratum ſit, ſubſequitur plerumque coryza & affectus colicus.

§. II.

Calculorum ex adverſo licet ſignum pathognomonicum infallibile vix detur, non vanam tamen horum ſuſpicionem præbent partim continua & intolerabilia fere hypochondrii dextri tormina circa eam præcipue regionem, qua ductus choledochus inteſtino duodeno inſeritur, vomitus, nauſea, durities alvi, calculorum color bilioſus totam ſubſtantiam penetrans &c. partim vero & inprimis icterus gravis ac diuturnus, medicamentis etiam efficaciſſimis adhibitis non auſcultans, quemadmodum, his præſentibus ſemper, fere calculos tales deprehenſos fuiſſe autores teſtantur. Qua in re pollicem nobis premit Cl. Hoffm. *Diſſert. de ictero cap.* 5. Si, inquiens, icterus longius duret, dejectiones conſtanter ſint albæ, uri-

urina crocea & medicamenta efficaciora, licet prudenter ſatis exhibita, parum proficiant, de calculis cogitandum eſt, id quod *obſ.* 244. quam *Miſc. A. N. C. Decur. II. An. VII.* inſeruit, comprobat, ubi de matrona refert, eam plures calculos per alvum excreviſſe, ante eorum excluſionem vero de dolore tenſivo & vellicante ſub hypochondrio dextro anteriora verſus moleſtiſſimo conqueſtam fuiſſe. Quo cum convenit, quod *Miſc. A. N. C. Decur. II. An. VI. obſ.* 194. de milite communicant, in cujus veſicula fellis calculus ℥ß ponderans repertus eſt, quique itidem, pendente morbo dolorem adeo gravem ac lancinantem in regione hepatis expertus eſt, ut nec erectus ſtare, nec ambulare, ſed ad finem uſque vitæ in lecto incurvus ſedere coactus ſit. Quam calculorum præſentiam in præſenti caſu adhuc magis reddunt probabilem dolorum atque icteri poſt bina vice excretos calculos ſubitanea ceſſatio.

§. III.

Prognoſin, quæ medicum reddit admirabilem, quod concernit, notandum, icterum vulgarem in juvenibus conſtantiſque ætatis hominibus facile curationem admittere, niſi forte febrem ſupervenerit, quo in caſu Hipp. *Aph.* 62. *Sect.* 4. obtinet: *quibus in febribus morbus regius fit, ante ſeptimum diem malum.* In ſenibus itidem multum faceſſit negotii, & diuturnior utplurimum inducit maraſmum. Ille vero qui à lapillis ortum ſuum trahit, ſi non incurabilis, curatu tamen exiſtit difficillimus juxta ſententiam Dn. Ottonis *diſſert. de ictero*; cui adſtipulatur Cl. Heinlinus *diſſ. de calcul. human.* ubi aſſerit, icterum ex calculis oriundum, his non remotis, omniaque remedia reſpuentibus, non raro mortem inferre. Quæ nihilominus omnia pro diverſa lapillorum mole & figura diverſimode quoque variant.

§. IV.

Perluſtratis ſignis, reſtat, ut ad ea me convertam, quæ curationem ſive θεραπείαν præſentis affectus reſpiciunt. Nititur vero illa ſequentibus potiſſimum indicationibus:

1. *Bilis vitioſa corrigatur.*
2. *Bilis nimium copioſa evacuetur.*
3. *Calculi folliculum fellis occupantes eliminentur.*
4. *Dolor mitigetur.*

§. V.

In prima indicatione conveniunt partim ea, quæ bilem vitioſam attenuant,

nuant, partim vero, quæ aciditatem fel in lapillos coagulantem obtundunt atque enervant. Priori fini conſequendo inſerviunt varia, & quidem ex R. V. Semina multa acria καθ' ἐξοχὴν ſic dicta antiſcorbutica: v. g. cochlear. naſturt. ſinapi &c. it. herbæ ſale commun. acri turgidæ & amaricantes, qualia ſunt abrotanum, abſinth. centaur. minus, flores hyper. acac. &c. quæ tamen præter acaciam ingratiſſimi ſunt ſaporis. Radices variæ hic quoque laudem ſuam merentur; e. g. rad. enul. campan. cichor. pimpinell. curcum. & chelidonii majoris, cujus quidem poſterioris virtutem ſignaturæ nonnulli imputant, quæ tamen ſali volatili admodum penetranti rectius adſcribitur. Semen cannabis in lacte bubulo ad crepaturam circiter coctum & colatum, atque bis de die ad ℥v. vel vj propinatum tanquam ſpecificum laudat Sylvius. Ex R. M. ♂lia cum ſalinis miſta utramque abſolvunt paginam, quo ſpectant crocus ♂tis cum ſalibus, Tinctur. ♂tis aperit. Zwelfer. ♁ diaph. cum ♂te non in totum edulcoratum, tartrum ⊖latum, &c. Ex R. A. conveniunt ⊶ urinoſi dulcificati, ſalia volatilia, partes animalium duræ, &c. Ex compoſitis vero in acie ſtat Tinctur. corall. cum ⊶ cord. cerv. Poſteriori ſcopo ſatisfaciunt præ reliquis jamjam laudata ♂lia, unde maxime hic proſunt acidulæ, gaudent enim præter vim præcipitandi inſigni virtute cathartica. Ex ♂te componuntur vina, item pulveres cachectici, quibus deſperatos aliquando curatos fuiſſe ictericos, Autores teſtantur.

§. VI.

Secunda indicatio obtinetur partim per vomitoria, ſi malum fuerit recentius, partim vero per purgantia, nec non diaphoretica ac diuretica. Inter vomitoria excellit Scylla atque tartr. emet. Mynſicht. Ex purgantibus vero prævalent ſennata, quibus tamen, ut & emeticis ſemper attenuantia ſunt combinanda, unde & Excell. Dominus *Præſes* teſtatur, ſe ſæpius cum euphoria uſurpaſſe decoctum ſennatum cum radice pimpinell. curcum. cichor. & chelidon. majoris. Nec Rhabarbarum tam verum, quam monachorum laude ſua eſt defraudandum, quamvis per ſe aſſumptum urinam flavedine tingat. Ex quo apparet, nullum hinc de evacuatione bilis per urinam inferri poſſe teſtimonium. Circumſpecte interim & in cauta doſi medicamenta hæc ſunt exhibenda, alias namque magnum quandoque damnum inferre valent, præcipue ſi dejectiones frequentes jamjam adſint, quo in caſu rectius hæc plane intermitti, demonſtrat River. *Centur.* 3. *Obſerv.* 73. hiſtoria Jeſuitæ, ictero cum vomitu bilioſo afflicti, qui, relictis omnibus purgantibus, reſtitutus fuit. Vid. etiam *Centur.* 2. *Obſerv.* 9. Ex diaphoreticis, quorum uſum præmiſſo vomitorio admodum effert Cl. Etmullerus, huc accenſeri merentur ſal volatile C C. fulig. lumbric. terreſtr. Ex compoſitis vero ⊶ tartri urinoſus, Spirit. carminat. de tribus, &c. Diuretica, quæ bilem inter-

interdum cum urina a ſanguine ſegregant, non minoris deprehenduntur uſus, primatum tamen inter ea obtinent lumbrici terreſtres, quos pulveriſatos cum gum. ✻co ſæpius profuiſſe, Clar. Maur. Hoffm aliquoties obſervavit.

§. VII.

Tertiam indicationem aſſequimur, quatenus vel calculos, prout exiſtunt, beneficio purgantis ſeu vomitorii evacuamus, vel quatenus eos inſenſibiliter conamur diſſolvere. Cui poſteriori ſatisfit partim per medicamenta ſuperius laudata aliave diuretica & incidentia, partim per ſpecifica, quibus Medici Excellentiſſimi hoc in affectu felici cum ſucceſſu uſi ſunt. Ita Sylv. *in Prax. Med. Lib.* 1. *Cap.* 45. inter medicamenta calculos birioſos diſſolventia refert decoctum radic. graminis, imo ipſam herbam, hac potiſſimum adductus ratione, quod boves atque oves Menſe Majo, quo gramine veſcuntur viridi, ſenſim liberentur à calculoſa cruſta, quæ tempore hyemali, ubi fœno nutriuntur, in eorum folliculo fellis concreſcere conſuevit. Cui tamen obſervationi hæc cautela ſuperaddenda videtur, quod non in omnibus calculis felix medicamenti hujus operatio ſperanda ſit, cum nec lapilli, de quibus hoc loco ſermo eſt, in decocto modo laudato diſſolvi potuerint. Spirit. Nitri dulcem egregium hic idem Autor deprædicat, quamvis itidem non parum dubitandum ſit, utrum ille per tot meandros circulatus virtutem ſuam retineat. Radicem curcumæ admodum extollit Clar. Frideric. Hoffman. *Clav. Pharm. Lib.* 4. *Sect.* 1. §. 129. ejuſque efficaciam experientia eleganti confirmat. De lapidibus in boum veſicula fellis, nec non in porcorum felle & ventriculo hyſtricum in India repertis præſenti contra hunc affectum remedio legi meretur *Obſerv.* 283. *Miſc. A. N. C. Decur.* 1. *Ann.* 3. Cui jungatur *Decur.* 2. *Ann.* 10. *Appendix pag.* 151. ubi de virtute horum antiicterica & ſternutatoria multa curioſa occurrunt. Totam denique affectus ejuſmodi curationem à D. Herdoto adornatam evolvere licet in *Miſc. Acad. N. C. Decur.* 1. *An.* 4. *Obſerv.* 99.

§. VIII.

Quartæ demum atque ultimæ indicationi ſatisfaciunt oleum amygd., quod cum ſyrup. de althea, oculis ♋ & Nitro præparato felici cum ſucceſſu exhibuit Lentilius, prout refert in *Miſc. A. N. C. Decur.* 2. *An.* 7. *Obſerv.* 136. atque eſſentia anodyna juxta mentem Langelotti elaborata. Ad topica vero referuntur cataplaſmata ex carminativis atque anodynis conflata. Formularum farraginem brevitatis gratia apponere non placuit, cum pro unius cujuſque arbitrio facile ex memoratis remediis conſtrui queant.

§. IX.

§. IX.

Supereſt diæta, cujus omnino quoque ratio eſt habenda. Victus proinde ſit εὔχυμος & εὔπεπτος. Fugiantur cibi nimium acidi, item ſaliti & fumo indurati. Potulenta bene ſint defæcata, nec acido, nec tartaro fœcunda calculorum matre turgida. Eligatur potius cereviſia medicata juxta conſilium Cl. Junckens, cui infundi poſſunt bacc. juniper. & radic. chelidon. majoris. Vel quando ſitis nimium urget, juxta eundem Autorem fiat Decoct. ex herb. & radic. fragar. cum paſſulis, imo ſolum infuſum Thee poterit ſufficere. Animi pathemata cane & angue pejus vitentur, inprimis ſubitanea incandeſcentia. Quibus omnibus rite obſervatis, accedenteque divino auxilio, non dubitamus, quin graviſſimis adverſarii hujus inſultibus obicem ponere licitum fuerit.

§. X.

Et hæc ſunt, quæ de ictero ex calculis veſicæ felleæ pronato in medium proferre placuit. Plura qui deſiderat, Practicorum libros, in quibus obſervationes hanc in rem quam plurimas, & uberiorem quoque curandi rationem inveniet, conſulat. Mihi theſes, non tractatum conſcribere animus fuit, alioquin ſingulæ circumſtantiæ ſingularem prolixamque operam poſtulaſſent, quæ tamen paucis pagellis comprehendi haud potuit. Tu interea, L. B., quod iterum iterumque rogo, æquus conatuum meorum cenſor eris, & ea, quæ minus forte ob ingenii juventutem accurate dicta ſunt, humanitate Tua excipies. Manum ſic tabulæ ſubduco, atque *Deo* Triſmegiſto pro conceſſis viribus gratias perſolvo humillimas.

FINIS.

J. GEORG.

CVI.

J. GEORGII BEZOLD

DISSERTATIO.

DE

CHOLELITHO.

Argent, 24. May 1725.

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

HOminem, quem microcoſmum, imprimis ob abſolutam perfectionem, ex qua ſummi artificis ſapientia atque potentia æque ac ex macrocoſmo elucet, appellitant, analogiam tamen cum macrocoſmo habere nemo dubitare poteſt, licet non opus ſit, cum poeta tot tantaſque fingere Zonas aut circulos in corpore rationali, nec unice ratio denominationis in illa ſententia quærenda ſit, quæ profertur in E. N. C. D. annot. 2. obſ. 55. ubi de generationis humanæ modo differens author ſequentia allegat: Quod ſi microſcopio humanum ſemen contemplemur animalium myriades in eo repunt ac ſeſe motitant, ita ut & hujus reſpectu homo recte dicatur microcoſmus: *interim tamen in eodem adeſſe non minus ac in macrocoſmo quoſdam quaſi planetas, alveos, flumina, officinas Aeolias & plura alia negari omnino non poterit. Quid dicam de illa corporis humani* Lapidicina, *dum non ſolum in quibuſdam partibus inſenſiſſimus quandoque corporis humani deſtructor* Calculus & Lapis *generatur, ſed & in omnibus ferme corporis partibus, quocunque etiam nomine inſigniantur, eos reperire licet. Sunt quidem qui calculoſam non modo materiam ſed & calculum ipſum ordinaria naturæ lege in corpore humano exiſtere putant, cui tamen ſententiæ ſubſcribere nollem, niſi per illam materiam terreſtrium particularum cum cibo & potu aſſumtarum & per varias tranſcolationes & depurationes tandem rurſus cum reliquis corpori noſtro noxiis humoribus excretarum intelligerent, quæ calculoſa ſcilicet materia dum motus humorum ſegnior fit ſtatum morboſum induit, hinc inde ſtagnat & varia tandem producit ſymptomata. Supra memoratum jam eſt, omnis corporis noſtri partes calculo obnoxias eſſe, id quod exemplis magis illuſtrari poteſt, ſic rara & notatu digniſſima proſtat hiſtoria apud* Horſtium in epiſt. med. lib. 2. ſect. 5. pag. m. 461. de *Calculo* nucis caſtaneæ minoris magnitudine poſt continuum *capitis* dolorem e naribus per palatum rejecto. *Calculum linguæ vidit Timæus a Guldenklee* lib. 1. caſ. 35. *Schulzius E. N. C. D.* 1. ann. 3. obſ. 1. *Garmannus* ibidem obſ. 43. *Ledelius* in iiſdem ephemeridibus d. 1. ann. 9. obſ. 144. *Hagendornius* in obſ. med. pract. cent. 1. hiſt. 71. aliique *Clauderus* in ephem. cit. dec. 2. ann. 3. obſ. 79. de *calculo in naſo genito refert caſum, qui ſiliceæ duritiei erat, magnitudine nucis avellanæ.* Calculos aſperæ arteriæ, *tanquam moleſtæ tuſſis cauſam producit* Schmidius *in dictis eph. dec.* 1. *ann.* 9. & 10 *obſ.* 55. *De* pulmonum calculis & *lapidibus innumera fere proſtant exempla in ſæpius jam laudatis* ephem. *neque* cor *ipſum a duro hoc hoſpite* im-

immune eſt, uti videre quoque licet apud jam laudatum Horſtium *loc. cit. pag.* 455. *qui* calculum *totam* cordis cavitatem adimplentem vidit, *itemque pag.* 457. de calculo valvulis cordis *adnato hiſtoriam ſubjungit.* Calculos ventriculi variorum ſymptomatum cauſam rurſus ephem. allegant. d. 1. ann. 1. obſ. 65. item de arenulis cum ſanguine exeuntibus & e *vena* ſecta proſilientibus d. 2. ann. 5. obſ. 86. *Quamvis autem hactenus recenſitæ & allegatæ hiſtoriæ deprehendantur raræ, omnium tamen rariſſimam allegat* Riverius in obſ. communicatis pag. m. 338. de calculis in omnibus & quibuſvis corporis partibus procreatis, *ita ut tactu illos per omnia corporis membra percipere licuerit, non ſolum autem tactu ſed & viſu ſeſe manifeſtabant. Prorſus autem ſtupenda eſt relatio* embryonis petrificati *quam exhibet* Bartholinus in hiſt. anat. cent. 2. hiſt. 100. & ſub titulo homines petrificati deſcripta eſt. *Qualem ante aliquot annos tradidit quoque Dominus Ort in diſſertatione inaugurali Tübingæ habita. Familiarius autem, imo ſæpiſſime corpus humanum infeſtant calculi renum & veſicæ cæterorumque ductuum urinariorum, id quod præter obſerv. ſcriptores experientia teſtatur quotidiana. Hiſce annumerari poſſunt illi qui in hepate & veſicula fellea ſæpe ſæpius generantur & Græco nomine* Cholelithi *appellari poſſunt a Græcis vocabulis* χόλος *vel* χολὴ *Bilis &* λίθος *lapis, quorum aliqualem analyſin pro* ſpecimine inaugurali *in me ſuſcipere tento, imprimis cum fortuna fautrice mihi bigam obſervationum anatomicarum haud adeo frequentium videre contigerit. Primam* Lynceus anatomicus Vir excellentiſſimus atque experientiſſimus anat. atque chir. in acad. hac Argentoratenſi profeſſor & med. D. celeberrimus Dominus Patronus Fautor atque Præceptor ad aras uſque colendus *Dominus Johannes Salzmannus ſuppeditavit. Alteram* Vir itidem excellentiſſimus atque experientiſſimus Dominus *Johannes Bœcklerus* med. D. chymiæ atque botanicæ profeſſor celeberrimus Patronus atque Præceptor venerandus *quam* ipſius beatæ memoriæ *Dominus Parens* Vir excellentiſſimus atque experientiſſimus *Dominus Johannes Bœcklerus*, med. D. & prof. ſacri palat. comes Reipubl. Argent. phyſicus Provincialis, *eo tempore allegatæ fœminæ medicus reliquit, communicavit. Benevolum Lectorem rogito tenues meos labores æque bonique conſulat, Deum autem T. O. M. ſupplex veneror conatibus meis benignam adſpiret auram.*

CA-

CASUS PRIMUS.

Obſervatus in theatro anatomico Argentoratenſi die 15. Martii anno 1725. in proſtibulo in via publico reperto & juſſu inclyti Magiſtratus cultro anatomico ſubmiſſo.

I.

VEſicula fellea pluribus calculis ita infarcta, atque indurata, ùt lapidea prima fronte viſa fuerit, in medio maxime turgebat, inferius aliquatenus extenuata, tunicæ veſiculæ ſolito craſſiores erant atque duriores & ad cartilagineam fere duritiem accedebant, non niſi paucas bilis guttulas continebat, neque mirum, cum calculi ejus cavitatem ita occuparint, ut nullus bilioſo humori locus concederetur. Calculorum errat no. 45.

II.

Diverſæ magnitudinis atque figuræ erant, coloris ex luteo albicantis ille no. 1. collo veſiculæ impactus figuram fere glandis penis virilis minoris referebat, magnitudine ſatis inſignis, quem vero mole excedebat alter no. 2. priori proxime adſtans, & ſex circiter latera habens oſſi cubiformi, quod ex oſſibus tarſi unum eſt, non multum abſimilis; Tertius no. 3. magnitudinis inter 2. priores mediæ, major erat primo, & paulo minor ſecundo, magis tamen ad magnitudinem ſecundi quam primi accedebat, cordiformis, e baſi latiore, & mucrone acutiore conſtans, hic quamprimum aperiebatur veſicula omnium maximus prima fronte eſſe videbatur, quia magis, quam reliqui intuenti oculo ſeſe ſtatim offerebat. Quartus minor tribus prioribus rotundus fere erat in circumferentia ſuperius atque inferius paululum depreſſus & cochlitem minorem figura referebat; reliqui fere omnes unam eandemque figuram ferme habebant nempe triangularem quatuor lateribus conſtantem, inferiore latiore baſi & tribus ſuperioribus ferme æqualibus quæ tribus lineis aſcendentibus & in medio velut in centro concurrentibus formabantur, lapidique carpionis non multum abſimiles erant, qualem figura 7. refert. Plerique minores in fundo veſiculæ hoſpitabantur, majoribus in collo exiſtentibus.

III.

Omnes materia quadam glutinoſa obducti erant, item ſubſtantia veluti gypſea, ſub qua ſubſtantia gypſea mollis immediate latebat, veluti cruſta aliquantulum duriore obducta, utraque tenuior erat e duabus vel tribus lamellis compoſita, maximam vero calculi partem conſtituebat materia paulo durior, præterea non parum materiæ viſcidæ tenacis & veluti limoſæ in veſiculæ fundo continebatur; ejuſdem coloris quo calculi erant nempe luteo albicantis, magis tamen lutei coloris, quam illi calculorum quæ exſiccati pallidiores facti ſunt ea parte, qua ſe invicem tangebant, in veſicula ſuperficies nigricabat.

IV.

Porus hepaticus plus duplo capacior erat quam ordinarie, non ſolum circa locum coaleſcentiæ cum cyſtico ſed etiam toto ſui tractu quam diu extra hepar conſpiciebatur.

V.

Ductus cyſticus inſolitæ magnitudinis ordinario octuplo major, ut pollicis craſſitiem adæquaret, in cujus tractu medio calculus notabilis magnitudinis no. 10. impactus erat, qui numerum 46. implevit, exacte triangularis.

VI.

Quantum poſt mortem obſervare licuit, nullo colore icterico, quod mirum, cutis ſuperficies imbuta erat.

VII.

In pectore materia purulenta, craſſa & viſcida erat copioſa, major in cavitate dextra quam in ſiniſtra puri cocto ſimilis, flaveſcens atque conſiſtentia gluten veluti referebat, non ſolum in pectoris cavitate ſed & pericardii; pulmones quoque ex parte corrupti, maxime lobus dexter, hepar ſatis naturaliter conſtitutum.

CASUS II.

Mulier 52. annorum, conſtitutionis cholericæ per ſex & ultra annos doloribus hypochondrii dextri mirum quantum defatigata, va-

riis incaſſum adhibitis remediis tandem anno 1699. menſe Octobri per anum excluſit non abſque torminibus maſſam lapideam cuneiformem, uti videre eſt in fig. 2. Hujus lapidis, qui adhuc ad manus eſt, duos cum dimidio circiter pollicis longi circumferentia in ſummo tres cum dimidio, in medio quatuor in apice vero unum cum dimidio pollices adæquat. Superficies ejus non adeo æqualis, in una parte eminentiis quibuſdam donata exiſtit, colore gaudet ex cæruleo albicante cum intermixtis maculis ex flavo fuſcis. Pendebat exacte ſtatim poſt excluſionem unciam unam drachmas duas & ſcrupulum ſemis. Diſſectus ſecundum longitudinem lapis ſatis friabilis & molliuſculus, colore luteo ochram æmulante reſplendebat & pluribus circulis ellipticis quaſi diſtinctus comparebat. In medio fere circulorum nucleus dimidiam plus minus unciam longus & latus, quaſi cryſtallinus albicans cum interſperſa hinc inde aliquali flavedine ſe conſpiciendum exhibuit. Quam primum autem ſuperius dicta mulier hunc lapidem excreverat omnibus ſuis cruciatibus libera vixit.

---

§. I.

ANtequam ad caſuum propoſitorum analyſin accedam, breviter de ſtructura *hepatis* & *cyſtidis felleæ* ut & de natura *bilis* aliquid diſſerere haud abs re. erit. *Eſt autem* Hepar *viſcus infimi ventris totum quantum glandulosum & vaſculoſum ſub diaphragmate, figuræ admodum irregularis, ordinarie in dextro hypochondrio ſitum, colore naturali pallido (rubicundus enim a ſanguine a cujus magna ſat quantitate repletur, provenit) variis protuberantiis notatum, quibuſdam membranis involutum variiſque vaſis donatum, ad Bilis præcipue ſecretionem deſtinatum.* Annectitur variis vicinis partibus, ubi imprimis notanda venit illa connexio qua mediante ligamento ſat valido & lato, quod ab officio ſuſpenſorium dicitur parti diaphragmatis carnoſæ ſeu muſculoſæ & cartilagini enſiformi adhæret, parte ſua inferiore autem annectitur hepar umbilico, mediante vena umbilicali, quæ pauco poſt partum tempore in ligamentum abit, ut alia minoris momenti ligamenta taceam, quæ ſub filamentorum nerveorum facie ſeſe produnt & quibus mediantibus quamplurimis aliis partibus vicinis alligatur, qua de connexione quaſdam collegit obſervationes *Petrus Pawius in obſ. an. obſ.* 16. *p. m.* 28. ut mittam illud peculiare ligamentum jecinorum cujus mentionem facit *J. Rhodius in mant. an. obſ.* 20. *p. m.* 14. Quod ſi igitur uti dictum hepar bilis ſecretioni ſit deſtinatum, opus quoque erit ut ejus vaſa ſecretoria cum receptaculo paulo accuratius examinentur. Habet autem hepar vaſa ſua advehentia ſeu adducentia ſanguinem pro hoc opere, quæ

 ſunt

ſunt venæ, arteriarum vices obeuntes, quamvis nec arteriis careat, quæ tamen non communi ſed privato uſui opitulantur, quæ vaſa venæ portæ propagines dicuntur, venæ portæ autem ſanguinem venoſum, ex omento, ventriculo, pancreate, liene, meſenterio atque inteſtinis recurrentem, tanquam aptiſſimum recipit. Sanguinem enim adhuc arterioſum & lympha turgidum minus pro bilioſa materia ſecernenda aptum eſſe cum *Bergero in tr. de nat. hum.* p. 213. ſtatuo, cujus rei rationem ex ipſo authore huc tranſcribere placet ubi dicit. *Hic enim* (ſanguinem arterioſum intelligit) *cum lympha turgeat totus, & totus plus illius contineat, quam venoſus, ac præcipiti valde motu feratur, interjectam illius gelatinæ, arctiuſque cohærentem, falſo ſulphuream materiam longe dimittit quam ſanguis venoſus.* Modus ſecretionis autem in hoc viſcere æque ac in aliis peragitur. Rami enim hujus venæ in minores atque tandem minutiſſimas ramificationes, vaſcula capillaria dicta, abeuntes bilem ſecernendam glandulis præbent, hincque per ductus hepaticos ſenſim ſenſimque creſcentes, qui cum ramulis venæ portæ pari paſſu incedunt, partim veſicæ felleæ partim autem ductui communi infundunt. Unde & notabilis quoque bilis eſt differentia, quando diſtingunt inter illam quæ per ductum ſeu porum, uti loquuntur, biliarium, quæ colore magis flava & mobilis creditur, & illam quæ ex cyſtide fellea, quamvis in eundem ductum cholidochum nominatum, eructatur & inteſtino duodeno infunditur.

§. II.

Eſt autem *cyſtis* ſeu *veſicula fellea ſacculus ſeu folliculus membranaceus, pyriformis concavæ & fermæ mediæ hepatis parti adhærens, vaſis tam deferentibus quam auferentibus gaudens, ita ut fundus ejus quoad maximam partem promineat, pro recipienda & opportuno tempore emittenda bile deſtinatus.* Quamvis autem *Ol. Borrich in act. Haffn. vol. 2. obſ.* 53. quatuor adeſſe tunicas ſtatuat, ego ejus ſententiam tamen non amplector, niſi illam cruſtam villoſam, reliquis in corpore humano membranoſis cavitatibus communem etiam admittat, quæ in hac parte ſumme neceſſariam eſſe cenſeo, ne a materia acri bilioſa tunica nervea lædatur, terminatur autem hæc cyſtis fellea in ductum quendam cyſticum dictum, qui tandem cum biliario in unum coit hincque communis ſive cholidochus dicitur, cujus os, uti ſupra jam monui, inteſtino duodeno, & quod maxime notandum, una cum ductu pancreatico in homine eodem oſtio inſeritur. Sanguis autem a ſecretione reſiduus a ſenſim ſenſimque creſcentibus venulis receptus & ad majores ſemper delatus tandem venæ cavæ infunditur, ubi, ſcilicet cum reliquo, cordi offertur.

§. III.

§. III.

Dicitur nunc hic ſecretus in hepate liquor *bilis*, *& eſt humor utilis quidem, attamen quoad partem etiam excrementitius, particulis ſalinis, volatilibus æque ac fixis, ſulphureis ac oleoſis ut & copioſis aquoſis mixtus*, qui in inteſtinum duodenum effuſus varios quoque uſus habet. Plures ſunt qui bilem excrementum eſſe omni conatu negant, illamque magnum in corpore noſtro, præprimis circa chylificationis opus, uſum habere, contendunt, imo balſami naturalis nomen eidem aſſignare non verentur. Alii e contrario illam totam quantam excrementum eſſe pronunciant. Aſt ſicuti minime negarem bilem eum in finem ad inteſtina quoque devehi, ut inteſtina ſuo tempore ſtimulet atque irritet, quo corpus a fecibus liberetur, quam ob rationem etiam a quibuſdam clyſter naturalis ſalutatur, ita manibus pedibuſque concedendum eſſe, adeo ut recte pronunciet *Mœbius in fundamentis medicinæ phyſiologicis cap.* 14. *p.* 338. dicens. *Si bilis tanquam retrimentum antea fuiſſet elaborata in corde, ſeparandum in jecore, natura non debebat iſtis uti ambagibus & prius mittere ſanguinem ad hypochondria, lienem ac renes & demum motu retrogrado ad hepar. Uti ſtatim e corde ſanguis abit ad renes, ut ſerum ibi ſeparetur, ita ſtatim e corde copioſior ſanguinis pars debebat ad jecur migrare, ut a ſpurcitie bilioſa liberaretur.* Poſſem jam diffuſius in uſus bilis inquirere, & imprimis, quid in chylo perficiendo intimius miſcendis particulis oleoſis cum aquoſis, & charactere quaſi ſanguinis imprimendo præſtet enarrare; verum quoniam illa non adeo ad propoſitum meum neceſſaria videntur, ideo prolixiori ſuperſedeo expoſitioni luſtraturus adhuc brevibus *particulas* bilis *conſtitutivas*, de quibus mentio quoque aliqualis in definitione ſuperius tradita fit. Quod ſi igitur *bilem* tum *hepaticam* dilutiorem pellucidiorem blandioremque, tum *cyſticam* ſpiſſiorem profundius flavam & amariorem conſideres, *oleo*, *ſale*, *ſpiritibus aqua dilutis*, ut cum illuſtri *Boerhaave* loquar, eandem *concretam* eſſe deprehendes. Nec excluderem omnimodo particulas *terreſtres*. Ex quarum particularum commixtione non tantum virtus ſaponacea & abſtergens deducenda eſt, ſed & exinde patet iſta bilis vis qua olea aqua miſcibilia reddit, (*verba ſunt modo allegati authoris*,) reſinas, gummi, tenacia quæque reſolvit, attenuat, homogeneaſque facit. Partes ſulphureas in flavo & amaro hoc humore adeſſe nemo negare poterit, qui vel ſemel inſpiſſatam bilem flammam concipere perſpexit. Peculiari autem ratione a junctis præſertim ſalinis particulis modificatas eſſe, vel illud docet quod modo dicta inſpiſſata bilis æque promte in aqua ac ſpiritu vini ſolvatur. Quod partium ſalinarum concernit naturam non æque in ea determinanda unanimes ſunt authores: concedo utique celeberrimo *Friderico Hoffmanno Hallenſis Heliconis Syderi* bilem igne trac-

tatam & crematam præter *oleum*, *ſal volatile urinoſum* præbere, *ſale alcalino* pauco in *cineribus* relicto, interim non omnimodo ſummis laudibus digniſſimo *Bergero aliqualem* etiam *partem acidi adeſſe* ſtatuenti vellem eſſe contrarius. Illius tandem etiam phænomeni mentio injicienda, quod bilis hepatica jugi fluore in inteſtina ſtillet, cyſtis autem in ſuo folliculo per tempus remoram trahat nec aſſiduo effluat. Et hæc de bile quoque fugitivo calamo exarata ſufficiant.

§. IV.

Accingo jam me ad Cholelithorum ſupra deſcriptorum explanationem. Ante omnia autem de materiæ excrementitiæ duræ, magis minuſve lapidum ad inſtar concretæ & condenſatæ ſive de calculorum in humano corpore procreatorum ortu in genere pauca verba faciam, præſertim cum adeo inter ſe diſcrepantes reperiantur doctores. Hi nunc calorem nimium nunc frigus accuſant, illi ad *Galeni* ejuſque aſſeclarum pituitam confugiunt. Alii Paracelſi Tartarum omnibus corporis noſtri partibus liquidis inexiſtentem, & in ludos ſe convertentem in ſcenam producunt, alii vero neſcio quem ſpiritum Gorgonium ſibi effingunt, alii ad aliud principium lapidificum recurrunt. Quidam acidum coagulans unice reſpiciunt, quidam vero ſpiritum urinæ hinc inde in corpore diſcurrentem petrificantemque allegant. Omnes aliquid dicere videntur, ſed an bene & clare rem exponant valde dubito. Mihi cauſam calculorum tum a vitio partium ſolidarum tum ab humoribus peccantibus accerſendam eſſe comparet. In liquoribus materiam calculorum latitare illuſtrari poteſt, vel aquis in lapideam ſubſtantiam quaſi in momento converſis, vel tophis in fontibus thermarum & acidularum reperiundis, vel etiam tartaro vini in doliis concreſcente. Imprimis autem vitia humorum confirmat rariſſima illa calculi extemporanei hiſtoria, quæ legitur in *act. Haffn. vol.* 3. *p.* 115. Ubi refertur quod *Nicopiæ in Falſtria civis & coriarii filiola bimula, cum aliquot diebus peſſime ſe habuiſſet doloremque ejulando prodidiſſet, cum urina eminxerit materiam albam mucilaginoſam, quæ ſtatim ab aere externo in ſubflavum oblongum riguit calculum, duritie quemvis alium æquantem.* Solidas partes vel nimia conſtrictione vel nimia laxitate aut etiam aliter affectas ad calculorum geneſin contribuere probabile exiſtit, quatenus hoc modo humores contenti debito tempore & quantitate non excernuntur, quo fit, ut diutius ſubſiſtentes, ut cum *Bergero rurſus loquar*, & ſtagnantes facile ex quiete contactuque immediato ſuarum partium cohæreant atque in calculos concreſcant. Hæc autem concretio utique per particularum agglutinationem ab extus factam ſive per extus appoſitionem & quidem tunc eo facilius, quando nucleo cui partes lapideſcentes adhæreſcere poſſunt occurrit, contingit. Hinc lamellatim ſibi incumbentes cernere datur lapides

pides naturales, hinc etiam talem per lamellas nucleo circumdatas condenſationem vel ex ſolis lapidibus Bezoar demonſtrare poſſumus.

§. V.

Paucis hiſce de ortu lapidum in corporibus animantium præmiſſis, Cholelithi ipſi prodeant in humano æque ac animantium aliorum imprimis boum corporibus reperibiles. Figuram regularem haud obtinent, nunc rotundos nunc quadrangulares nunc triangulares nunc aliter in ſuperficie effigiatos cernes. *Horſtius in epiſt. med. l. 2. p.* 455. plus quam ducentos lapillos in veſica fellea fere ſaltem quadrangulos vidit. In veſicula fellea cum pauca bile forma partim triangulari partim quinquangulari præditi lapilli 67. fuere reperti juxta 81. *obſerv. Helwig. a Scröckio editarum.* Haud raro autem apud obſervationum ſcriptores figura annotatur triangularis. Ita notabilem hujus rei caſum exhibent *acta medica Berolinenſia vol.* 5. *no.* 3. Triginta nempe & ſeptem omnes æqualem triangularem figuram obtinentes, in magnitudine paululum ab invicem diſcrepantes in tabula exſculpti ibidem exhibentur. Sic quod ad calculos in obſervatione prima annotatos attinet neque ii æqualem obtinebant ſuperficiem uti ex ipſa quoque tabula eorum diverſitas patet. Quando autem de quibuſdam ibidem narratur, quod obtinuerint figuram triangularem quatuor lateribus conſtantem, non credendum eſt me hic σιδηρόξυλον velle aſſerere, dum non triangulum exacte mathematicum, ſed talem ſolummodo quæ ad triangularem accedit intelligo formam. Quod ſi jam ſermo ſit de cauſa diverſitatis ſuperficiei horum lapillorum, forſan non plane inepta erit conjectura eorum, qui ad parietum particulas calculorum adhuc molliores modificantium compreſſionem differentem reſpiciunt; cui accedit quod lapilli prius geniti libere fere atque ſine impedimento quaſi fluctuantes longe aliam poſſint nanciſci figuram, quam poſtea demum producti, quippe qui ſeſe loci accommodare capacitati coguntur. Præter figuram notandus quoque venit eorumdem color, qui varius quoque tum in externa tum in interna deprehenditur ſubſtantia. Opaci plerumque ſunt, pellucidos tamen etiam obſervari teſtimonium *Dn. Georgii Scharpii profeſſoris Monſpelienſis* confirmare poteſt, qui diſſecto corpore lictoris cujuſdam in cyſtide fellea triginta lapillos carbunculi inſtar pellucidos ſe inveniſſe profeſſus eſt. Sic *D. Tamponet chirurgus regius* in folliculo biliario lapidem ovi columbini magnitudine gummi inſtar concreti lucidum & mollem animadvertit, & D. Manche in diſſectione cadaveris muliebris annos viginti quinque natæ, quam pluribus annis ante obitum icterus fœdaverat, cum tenſione ventris extraordinaria, in veſicula fellea lapidem pellucidum utcunque friabilem avellanæ magnitudinem æquantem obvium habuit, citante utrumque exemplum *D. Nicolao de Blegny in Zodiaco med. Gall. ann.* 1.

epiſt.

epiſt. 4. *obſ.* 7. *&* *epiſt.* 5. *obſ.* 8. His utique accenſeri poteſt, quem fig. 4. expreſſum cernis, calculus cryſtalliformis plane pellucidus in veſicula fellea celſiſſimæ cujuſdam matronæ ab amico meo honoratiſſimo *Dn. Henrico Alberto Nicolai Argentinenſi* inventus. In iis lapillis, qui opaci exiſtunt color occurrit mox pallidus & cinereus, mox flaveſcens, croceus, rubicundus, mox virideſcens atque nigricans; prout enim (*verba ſunt illuſtris Schröckii in ſcholio ad obſervationem ſuperius allegatam*) bilis hac in parte ſe habet, quæ præternaturali in ſtatu varios induere ſolet colores, ſic & calculi ex eadem producti varie eodem imbuuntur, ſæpiſſime tamen ad flavedinem inclinant, quam a bile lapideſcente oriri extra dubium eſſe videtur. Sunt quidam qui hos calculos in corporibus junioribus remiſſioris id eſt pallidioris, in ætate media flaveſcentis, in provectiore autem obſcurioris imo nigricantis coloris eſſe aſſerunt. Lapides a me allegati cruſta gypſea albicante reſplendebant, ſub qua latitabat nucleus coloris ex luteo albicantis, qui color quoque ſed magis flavus in confractorum & diſciſſorum ſuperficie ad marginem præſertim relucebat, medium occupante colore profundius flavo & quaſi fulvo, quæ colorum varietates, a partibus cum ſaliva vel aqua mixtis chartæ quoque imprimebantur. Magnitudinem cholelithorum quod attinet, & ea quam maxime diſcrepat, majores nunc, nunc minores reperiuntur. Cicera, Fabas, Avellanam, Nucem moſchatam adæquantes viderunt multi, alii juglandis magnitudine repererunt lapillos nonnulli majores ſe conſpexiſſe contendunt. Singularis magnitudinis exiſtit quem notat *Fernelius lib. 6. pathol. c. 5. inquiens. Decrepitus quidam ſenex in iram mire propenſus poſt deceſſum ſine felle ac ſine cyſti inventus eſt, in cujus ſede calculus ingens concreverat.* Admirandum hoc vocat Marc. Donat. l. 4. de hiſt. med. mirabil. c. 30. & quod omnem propemodum fidem ſuperat: ad quem locum ſupra laudatus *Schrœckius loco citato* ita commentatur. *Forte membraneus ille folliculus a calculo ingenti extenſus admodum attenuatus eique agglutinatus. minus curioſis obſervatoribus, ac ſi abeſſet, impoſuerat, vel una cum liquore ſuo bilioſo in calculoſam duritiem concreverat.* Quod ſi de animalium calculis ſermo eſſet plura miræ magnitudinis exempla proferre poſſem, aſt cum de illis agere nolim, unicam ſolummodo producam hiſtoriam quam *in ephem. nat. cur. dec.* I. *ann.* I. *obſerv.* 44. *&* *quidem in ſcholio* obſervaſſe fertur *Dn. Henricus Vollgnadius. Ipſemet* (ſuti loquens introducitur) *Wratislaviæ ante biennium diverſis temporibus binos a Lanionibus noſtris accepi lapides e veſicula fellea e duobus bobus exſciſſos, quorum major colore & figura pomum aurantium ordinariæ magnitudinis æmulatur & pondere unc. ij. drachm. ij. excedit licet jam optime ſit ſiccatus; alter minor drachm. vj. qui ex parte fractus varios exhibet cortices &. in meditullio rotundum quaſi nucleum incluſum pruni magnitudine ex flavo rubeſcente colore.* Ratione porro numeri inſigne quoque in his lapillis occurrit diſcrimen. Modo unus mo-

do

do plures & quidem utplurimum comparent. In caſu a me allegato reperti fuere 46. In cujuſdam archiatri folliculo & porro cholidocho 72. lapilli coloris flavo ſubnigri fabarum minorum ac piſorum magnitudinem adæquantes reperti fuere, juxta obſervationem *Dn. Nicolai Beckers* quæ habetur *in ephem. nat. cur. loco modo citato.* Ubi etiam *Fabricium Bartoletum* 300. Lapides magnitudine ciceris in cyſtide reperiſſe, & *Olaum Borrichium an.* 1661. Leidæ in Noſocomio *ſecante Dn. Sylvio* mulierculam in veſicula fellea plus quam 90. calculos magnitudine fabarum, anguloſos ſed figurarum inæqualium, & tactu molles habentem vidiſſe recenſetur. Nec ſilentio prætereunda obſervatio *Felicis Plateri*, *qui in comitiſſæ demortuæ & a fratre ſuo diſſectæ veſicula fellea quæ tota ampla ſed nigra erat loco bilis qua deſtituebatur, calculos innumeros incluſos coloris cinerei & ſubviridis conſpexit, e quibus ſex magnitudinem nucis moſchatæ adæquabant, minores vero circiter trecenti alii piſi, alii ſeminis coriandri alii ſeminis raparum magnitudine gaudebant, uti legere eſt in ejuſdem obſervat. lib.* 3. *pag.* 840. *& ſeq.* Tactu ſi examines calculos bilarios molliores & humidiores, quandoque vero friabiles, duriores imo duriſſimos advenies, qualem duriſſimum ad nucis juglandis magnitudinem accedentem refert *Fabricius Hildanus cent.* 1. *obſervat. chirurg.* 60. Pondus ſi explores id ipſum quoque imprimis pro diſcrepante magnitudine diverſum deprehendes. Id autem curioſum eſt, quod vix non omnes ejuſmodi calculi in aquam projecti minime fundum petant ſed ſupernatent; cujus phœnomeni rationem in bilis particulis oleoſis concretis non adeo male quis reponeret: conjeceram & ipſe in aquam quoſdam in caſu allegatorum calculorum ſed veritatem rei facile perſpexi. A modo dictis particulis oleoſis jure meritoque etiam deduces Cholelithorum plurimorum inflammabilitatem quam ipſam quoque deprehendi. Dum enim ad carbones & candelam accenſam examen inſtitui, inveni quidem ſubſtantiam gypſeam nulla parte nuclei fœtam flammam tum ad ignem carbonum tum etiam candelæ non concipere, ſed in maſſam ex albicante aliquatenus flaveſcentem pellucidam liqueſcere, aſt interior ſubſtantia promte non ſolum ad candelam ſed & carbonibus inſperſa cum multo fumo, neſcio quid urinoſi & fœtidi de ſe ſpargente, tandem deflagravit, cinere multo non relicto. Liquefeci porro in cocleari ferreo fruſtum calculi ejuſmodi, quod in liquorem luteum faceſſere & admota flamma mox liquorem accendi & quoad magnam partem conſumi expertus ſum. Qui tandem ſaporem Cholelithorum indagarunt, illos ſapore non adeo amaro, ſed potius terreo & margaceo, molliuſculo & quaſi butyroſo præditos eſſe, perſuadere volunt. Dum ſuperius dixi, quod alii ſint duri alii molliores Cholelithi non poſſum non ſub finem hujus theſeos memorare, quod *Thomas Bartholinus epiſt. medic. cent.* 3. *epiſt.* 85. ſcribit de calculis in fellis veſicula mulierculæ cujuſdam pluſquam nonaginta tactu molliuſculis & in aqua calida pene totis colliqueſ-

centibus. Tentavi quidem & ipſe ſimilem calculorum biliariorum liquefactionem, ſed incaſſum: fruſtula enim in aquam calidam, vinum, acetum, vini ſpiritum ſimplicem, rectificatum & rectificatiſſimum conjecta ibidemque per tempus relicta quadantenus in uno aut altero liquore plus minus molliora & tractabiliora reddita ſunt, ſed neque colorem in liquorem diffudere, neque diſſoluta plane per ſe fuere; id quod tamen non obſtat, quin pulvere horum caculorum alcoholiſato cum aqua commixto tanquam pigmento uti queamus, uti ſupra jam innui.

§. VI.

Ut propius jam ad ipſam cholelithorum ſubſtantiam accedam, ante omnia noto quod ſint, qui omnes ferme ſimili materia conſtare aſſerant. Ego quoſdam lapillorum in fruſta redegi & in liquores tum acidos tum alcalinos fixos & volatiles immiſi, ſed ecce neque cum ſpiritu ſalis, vitrioli, nitri, aqua forti, neque cum oleo tartari per deliquium & ſpiritu ſalis armoniaci, ullam ebullitionem multo minus diſſolutionem obſervare poteram. Unde forſan haud immerito conjicere quis poſſet, corpus horum calculorum mediæ inter alcali & acidum naturæ, & partes etiam terreſtres cum ſalinis intimius conjunctas oleoſiſque ita involutas eſſe, ut prædicti liquores ob peculiarem hanc molecularum combinationem nullum plane effectum edere potuerint. Quod ſi jam particulas bilem conſtituentes in memoriam revocemus, inſuperque non tantummodo ſpiſſitudinem bilis naturalem, ſed & ejus vitia ex quantitate & qualitate depravata oriunda contemplemur, facile ni fallor quis comprehendet, illam partim ſtagnantem, partim debita aquoſarum partium copia privatam, partim moleculis heterogeneis terreſtribus ſalinis acidis & alcalinis aliiſque coagulantibus infarctam levi negotio indureſcere & in lapideam ſubſtantiam commutari poſſe, præſertim quando vel nimia conſtrictione affectum veſicæ felleæ oſculum bili exitum præcludit, vel nimia relaxatione laborantes tunicæ imprimis muſcularis fibræ debito tempore humorem ſuum non excludunt. Hoc enim modo dum vel minutiſſima, ut ita loquar, arenula in veſicula ſemel concrevit, huic ſtatim aliæ ſeſe aſſociant, & ſic ſucceſſive in majorem abeunt molem, lamellatim circa nucleum quaſi quendam utplurimum ſe circumvolvendo. Qua ratione totam bilem in lapidem converſam eſſe ſupra ex Fernelio retulimus, a quo caſu non multum diſſimilem refert *Timæus a Guldenklee*, veſicam felleam totam quantam lapidea ſubſtantia *l.* 3. *caſ.* 28. præditam recenſens. Quod autem numero plures ſæpiſſime occurrant calculi, tum exinde quod alius poſt alium generetur, tum ex interfluente humido a parietibus cyſtidis varie commoto ſicque concretionem impediente, deduci poſſe probabile videtur. Id circa calculos in caſu recenſitos adhuc notari meretur, quod iis cyſtis adeo infarcta fuerit, ut eam totam in calculum converſam

ſam primo intuitu, ut ita dicam, credidiſſes, hinc non mirum veſiculam quoque liquore ſuo bilioſo totam quantam vacuam fuiſſe exceptis paucis guttulis, quale fere exemplum ſcripto etiam reliquit *Hagendornius in hiſtor. med. phyſ. c.* 1. *obſ.* 8. ubi ne quidem guttulam bilis invenit, ſed ejus loco novem calculos magnitudine nucis moſchatæ minoris. Ut autem ſitus Cholelithorum in veſicula fellea eo melius concipi poſſit, cyſtim æri inſculpendam in gratiam curioſorum curavi, addendo imam vel concavam hepatis partem eam ob cauſam quoniam præternaturale quoque aliquid fovet. Literæ *a. a.* partem dextram & ſiniſtram jecinoris oſtendunt *b.* Folliculum felleum lapidibus turgidum & apertum monſtrat, *c.* ejuſdem collum, & ductum cyſticum mire diſtentum & lapillis quoque repletum exprimit *d.* ductum hepaticum ordinarium deſignat *e.* Ductum Cholidochum communem indigitat: litera *f.* ductus plane ſingularis ſupernumerarius e ſiniſtro hepatis lobo incurvato paululum decurſu verſus cholidochum communem properans depingitur *g.* Arteriam hepaticam notat *h.* ſinum venæ portæ exhibet *i i.* Capſulam Gliſſonii apertam ſiſtit *k k k.* Tria orificia venæ cavæ indicat. Ligamentum umbilicale ad literam *l.* occurrit, ſub litera vero *m.* exſculptus eſt lobus quidam exiguus ordinario occurrens. Lapides in ſitu lit. *n n n.* comparent. Veſiculæ felleæ interiorem faciem craſſiorem juſto ad lit. *o.* cernere eſt. Literis denique *p p p.* connexio veſiculæ felleæ cum hepate per quædam ligamenta, an forſan ductus, manifeſtatur. Notatu jam in hoc hepate dignum præprimis occurrit ductus cyſticus inſolitæ magnitudinis & ordinario octuplo major. Hunc jam a lapide ibidem hærente actu dilatatum fuiſſe nullum videtur eſſe dubium. Sed forſitan ante huncce calculum alii jam tranſiere, qui ſucceſſive talem tum hujus tum etiam pori hepatici duplo capacioris diſtenſionem produxere, ſicut tale quid ſæpius in ejuſmodi ductibus atque canalibus membranoſis obſervatur. Sic exempli gratia ureteribus familiare eſt, ut a calculis tranſeuntibus ſenſim ſenſimque adeo dilatentur, ut inſignis magnitudinis calculi renales ad veſicam urinariam per eos poſtmodum prolabantur, cujus rei confirmandæ cauſa iſtam enormem ureteris dilatationem, ita ut veſicam hominis non adulti magis, quam ureterem dixiſſes, quam *Lentilius in Jatromnem part.* 2. *c.* 1. *p.* 358. deſcribit allegaſſe ſufficiat. Quod autem dictum eſt de tranſitu calculorum præcedaneorum illud forſan probabile reddi poteſt per *Olaum Borrichium in actis Haſſnienſibus vol.* 5. *obſ.* 65. de excretione calculorum hæcce verba referentem. *Sæpius id apud nos contingit, ſed nunquam conſpectius quam in fœmina ſexagenaria, quæ ante retroque durum illud genus effudit;* tandem pergit Borrichius. *Ita mecum: fortaſſis calculo veſicæ felleæ ſimul tentata eſt; quo, ſine querimonia per poſticum excluſo non amplius cruciatur. Jubeo igitur familiarem ſellam inſpici & affuſa aqua fæces liquidioris elui ut ſi quid in fundo deliteſceret, coram deprehenderetur. Quo facto calculi novem anguloſi, flavi*

nec oppido duri reperiuntur, quos e veſica fellea prodiiſſe nullum dubium eſt, teſtante colore, mollitie & cæteris indiciis de eorumdem natalibus. Præ reliquis autem memorabilis eſt canalis iſte plane ſingularis ſub litera *F.* conſignatus, qui tranſitum bili concedens in cauſa eſſe potuit, quo minus corpus icteritio inficeretur colore. Extraordinariorum ejuſmodi ductuum mentionem quoque injicit *Isbrandus de Diemerbrœck anat. l.* 1. *c.* 14. Ubi ita loquitur: *Præter communem ductum cholidochum jam commemoratum anno* 1655. *menſe Aprili, alium quendam inſolitum ductum in theatro anatomico publice demonſtravi, altero ordinario (qui tamen ſolito modo aderat) tenuiorem & flava bile repletum, cui nulla cum poro bilario aut jam dicto communi ductu communio erat, ſed ſeorſim oriebatur, paulo ſupra cervicem veſiculæ fellis, qua parte folliculus in cervicem incipit contrahi ſeu anguſtari & ſeorſim quoque ferebatur ad inteſtinum duodenum, cui circa finem inſerebatur circiter latitudine digiti ab inſertione alterius ductus communis. Sequenti anno in alio ſubjecto aliud quid rari vidimus, nempe præter ductum cholidochum ordinarium adhuc alium inſolitum ex medio fellis folliculo recta in coli inteſtini partem ei accumbentem extenſum. Sic etiam nonnunquam ductum aliquem ex veſicula in pilorum interdum in ventriculi fundum produci obſervatum eſt. Sed hi ſunt rariſſimi naturæ luſus.* Sed & abſque ejuſmodi ductibus præter naturalibus Cholelitho laborantes abſque ictero vivere poſſe, fidem facit *Andreas a Lacuna* apud *Joh. Riolanum anthropograph. l* 2. *p.* 22. qui in methodo anatomica notat, *ſe interfuiſſe cum Tagaultio medico Pariſienſi apertioni duorum cadaverum, in quibus veſica tota lapillis occupata & repleta erat, nec tamen morbo regio dum viverent afficiebantur.* Dum tunicas duriores craſſioreſque & quaſi cartilagineas eſſe dixi, non omnino a vero aberrabo, ſi illas haud abſimili licet adhuc molliori materia gypſea qualis calculos ipſos ambiit, farctas eſſe mihi perſuadeam. Quod autem attinet ad iſtam materiam albicantem ex bile talem provenire poſſe vel illa veſicula fellis *in ephem. nat. cur. dec.* 2. *anno.* 5. *obſ.* 77. *ab Hartmanno annotata* probabile reddit. Verba hæc ſunt. *Veſicula fellis ovi magnitudine diſtenta ex albo marmorea denſa tunica, inciſa puram nulla flavedine tinctam lympham quin potius lacteſcentem magna copia effundebat; ex illa verſus cyſticum ductum digitum extendenti obvia durities lapidea, atque præciſo ductu calculus incurvus cervicem arcte occludens aſper ægre eductus integer candicans, gypſeus præter caput, quo rubebat.* Poſſem tandem etiam de cauſis procatarcticis quæ hiſce calculis anſam præbuere ſermonem inſtituere, verum quoniam de hujus proſtibuli infelici morte enecti inque via publica reperti, vel temperameno vel vitæ ratione, quæ tamen in hoc genere meretricum utplurimum ſolet eſſe quam maxime depravata, nihil mihi innotuerit, ideoque cauſarum harum expoſitioni ſuperſedere cogor.

§. VII.

§. VII.

Confero me jam ad Cholelithum ſecundi caſus. Hunc ſatis ni fallor ſupra jam deſcriptum, eodem modo ac reliquos examinavi, ſed & eundem in ſuperius recenſitis liquoribus neque diſſolvi neque cum iiſdem efferveſcere deprehendi, unde iiſdem quoque particulis conſtitutivis gaudere conjeci. Sicuti autem de ejus ſubſtantia facile judicare potui, ita quam maxime dubius hæreo; de prænunciando loco in quo lapidea hæc ſubſtantia concreverit, & ex quo prodierit. Plura apud authores lapillorum per anum excretorum allegantur exempla, interim tamen non omnimodo conveniunt unde provenerint. Longum nimis foret omnes aut plurimos enarrare hiſtorias, principaliorum ſaltem quarumdam meminiſſe juvabit. *Lazarus Riverius in obſervation. comm. ab Henrico Rufo obſerv.* 4. recenſet virum nobilem quoties alvum exonerat calculos inæquales, faſtigiatos, cineritios, mole & ſcabritie podicem tranſeundo infeſtantes cum excrementis dejicientem jam a pluribus annis non diſſimiles in colore & ſubſtantia illis, qui per ureterem a renibus decidunt. *Horſtius in epiſt. medic. l.* 2. *c.* 5. calculorum ducentorum triginta trium, e quibus unus nucis juglandis, reliqui fabæ, piſi majoris minorisve magnitudine erant, a viro per anum rejectorum, & ultra centum & quinquaginta a muliere excretorum meminit, quam excretionem utriuſque ſubjecti ſanitas ab omnibus graviſſimis ſymptomatibus quæ antea affligebant libera inſecuta fuit. *In obſervat. Helw.* 91. quidam introducitur ructibus ventriculi, ciborum faſtidio, doloribus hypochondriacis flatulentis itemque ventris conſtipatione ad multos dies ſæpius infeſtatus, inordinata diæta utplurimum vivens ac caſei veterati & ſemiputridi valde avidus qui demum ex uſu lenientium & emollientium globulos tophaceos & caſeum olentes perplures alvo dejecit & melius ſe habuit. Non poſſum non *Scholzii* adhuc obſervationem, quæ habetur in Eph. N. C. anno. 2. obſ. 136. adducere, ubi ſequentia leguntur verba. *His pro fundamento præmiſſis, ſuperſtruimus bina exempla veriſſima duarum perſonarum in hac urbe adhuc viventium, qui ſæpiſſime cum excrementis inteſtinorum calculos excernunt. Unum exemplum exhibet vir quidam magni nominis quadraginta novem annorum alias ſanus & qui munia ſua ſine impedimento exequitur, debilioris tamen ventriculi, nonnunquam etiam arenulas cum minutiſſimis calculis inter mingendum percipiens: hic quotidie & fere cum ſingulis dejectionibus alvinis calculos nonnunquam friabiles, nonnunquam duriuſculos parvos tamen ſæpeque plurimos ſine dolore & moleſtia (quod etiam Fernelius obſervavit) per multos annos excernere conſuevit. Alterum exemplum eſt matronæ cujuſdam honeſtæ fere quinquagenariæ ſatis adhuc vegetæ, cui idem per aliquot annos, verum non tam frequenter obtigit. Sed hæc articulari morbo, nephriticoque dolore per certa intervalla infeſtatur. Utrinque id be-*

neſcio naturæ valentis fieri reor (*pergit ibidem Scholzius*) *ſuperfluum tartarum poſt ſanguificationem congeſtum opportune ſequeſtrantis & expellentis, qui ſi in renibus vel veſica urinaria ita abundanter congereretur quanta incommoda corporibus illis inferret?* Sed ſicuti facile largior memoratos in antecedentibus obſervationibus lapillos in inteſtinis nidulantes ibidem etiam ſecretos & efformatos fuiſſe, ita qui experientiæ fide dignorum virorum refragari non recuſant, ii non inficias ibunt calculos ejuſmodi per anum excluſos in folliculo quoque bilis ortum non tantummodo ſumere ſed & ibidem augeri, per tempus ibidem aſſervari & demum exinde excerni poſſe teſtantibus id inſuper tum ſymptomatibus hos Cholelithos comitantibus, tum etiam fidem faciente ipſorum ſubſtantia. Audiamus *Thomam Bartholinum* qui *Hiſtoriarum anatomicarum cent.* 4. *hiſt.* 49. ita diſſerit. *Mulier ſeptuagenaria Regiomonti* 1656. *tres per ſeceſſum excrevit mole avellanæ calculos quales obſervantur in veſicula bilaria leviores forma triangulari, obſervante Dn. Chriſtophoro Tinctorio medico profeſſore erudito, qui recte ſuſpicatur per ductum cholidochum ad inteſtina veniſſe facta eroſione, nam mulier multum conqueſta fuit de dextri lateris dolore protento ad inteſtina eroſionis, vero id indicium habet, quod cum calculis excreverit materiam cruentam & purulentam, quanquam & ſola ductus Cholidochi dilatatione, quod alias vidi, protrudi poſſint.* Ratiocinium certe hoc & experientiam Bartholinianam ego non plane ſpernerem, præſertim cum pluribus aliis exemplis ſuffulciatur. *Wolffſriegel in ephem. nat. cur. dec.* 1. *anno.* 2, *obſerv.* 89. *mulieris* meminit 40. *annos natæ, temperamenti melancholico bilioſi, habitus ſubfuſci, ſæpius doloribus colico-nephriticos æmulantibus infeſtatæ, quæ inter ejulatus & clamores de dolore lumborum & lancinatione circa hypochondrium dextrum ubi locus inſertionis cholidochi ductus in inteſtinum eſt, cum pulſu celeri, urina ſatura flavedine tincta & totius corporis colore in flavum mutato, lapillos coloris ex flavo fuſci, nigris maculis inſignitos grana circiter 6. ponderantes poſt applicitum enema emolliens & per os hauſtum remedium leniens per anum aliquoties emiſit. Sub finem obſervationis ſuum judicium de affectu hoc colico bilioſo petroſo annectit ſequentibus verbis: ob victus rationem inordinatam & iram, qua ſæpius excandeſcit patiens fermentum ſtomachi vitiatum, inde fixiores alimentorum portiones ſalinæ relinquuntur, quæ ut vitia primæ concoctionis in ſecunda non corriguntur, & anſam coagulationi lapillorum in veſicula fellis præbent, aſſiſtente non parum ſucco pancreatico in hac patiente accidiore unde & ſymptomatibus hypochondriacis, flatibus &c. obnoxia eſt, qui non tantum per ductum cholidochum ſed & in ipſa maſſa ſanguinea exiſtens volatiles bilis partes coagulare potens eſt. Præſupponit porro in hac ægrotante veſiculæ fellis cervicem natura laxiorem eſſe, ut lapilli inſinuare ſeſe poſſint uſque dum tandem ad duodenum propellantur, quod abſque dolore & diſtenſione ductus arctioris contingere nequit.*

Ad-

Addam adhuc celeberrimi *Lentilii*, quæ *in ephem. nat. N. C. dec.* 2. *anno.* 7. obſerv. 136. recenſetur, experientiam. Verba ita ſe habent. *Negotiator Nürtingenſis febre maligna laborat, qua ſoluta denique hecti-cam ſibi contraxit, vel ex diæta neglecta, vel cura non ſufficienter protra-cta, adeſt æſtus, ſitis, ſudor, phlogoſes, horror, inappetentia, preſſio circa præcordia, aſthma, ſed cumprimis circa regionem hepatis dolor ſum-mus cum tumore, de quo tamen dolore jam per decennium conqueſtus fue-rat. Adhibita aperientia, lenientia, abſtergentia, diaphoretica, laxantia, enemata, topica, cataplaſmata lateri dolenti applicata: intus pro demul-cendo dolore, ol. Amygd. dulcium cum ſyrup. de alth. & 2. rad. add. ocul. conc. præp. & nitro præparato, quo ſumto hauſtu æger libenter equi-dem ſcirem inquit, quid per ſeceſſum excluderetur a me durum ſcindens anum & lacerans? Uxor pelvim e ſella promens invenit miſtos cum excre-mentes rubentes lapillos quam plurimos, lateres contuſos dixiſſes: horum exſiccavit manipulum integrum, tres & amplius, ubi viſum fuiſſet, collec-tura. Id generis lapillos per dies aliquot exiiſſe ſenſit, quorum aliqui pi-ſum magnitudine ſuperarent, partim rotundi, partim cuſpidati. Subſedit autem tunc iſtud hepatis farcimen; mitigatus dolor, appetitus rediit. Abo-lita ſitis, reſpiratio libera. Quin hi lapilli* (opinio eſt ipſius Lentilii) *pro-dierint ex cyſtide bilaria, nil ego quidquam dubito.* Hæ jam obſervatio-nes ni fallor ſatis evincunt, nihil obſtare quo minus affirmetur calcu-los utique in cyſtide bilaria progenitos per ductum cholidochum ad in-teſtina deferri & per anum excerni poſſe. Equidem quis hic pronun-ciare poſſet, concedendum eſſe Cholelithos excludi ſed minores, aſt enormis ejuſmodi magnitudinis lapidem qualis allegatus exiſtit, ex veſicula fellea deſcendere illud impoſſibile eſſe. Sed nec hoc me moratur, quin prædic-tum calculum in ipſo folliculo exortum fuiſſe conjiciam. Quod ſi certe temperamentum ægrotæ cholericum contemplor, dolores hypochondrii dextri conſidero, tempus ſex annorum, per quod torminibus maxime defatigata fuit, intueor, ſubſtantiam lapidis reliquis Cholelithis haud ab-ſimilem expendo, figuram ejuſdem a cyſti non adeo diverſam ſpecto, canalium membranoſorum in corpore ad ſtuporem uſque factam ſucceſ-ſive expanſionem & imprimis etiam ductus cyſtici in priori caſu recen-ſiti dilatationem pollicaremque craſſitiem a calculo inhærente reliquiſ-que calculis obicem ponente productam reputo, aliaſque inſuper cau-ſas ruminor, non video, cur non ſtatui poſſit & huncce Cholelithum in veſicula fellea ipſa & quidem ex bile procreatum, fuiſſe, ſenſim ſenſimque augmentum cepiſſe, donec tandem robore naturæ per ductum pedetentim forſan a calculis etiam præcedaneis ad miraculum fere ex-tenſum ad inteſtina maximo conatu protruſus & tandem cum fæcibus excretus fuerit. Hoc utique mirum eſt quod tam violenta expanſio do-loreſque immanes per tam longum temporis ſpatium perdurantes majo-

ra

ra mala poſt ſe non traxerint. Quod autem & hocce in ſubjecto affectio icterica non acceſſerit, ex eo, quod vel liberius per porum bilarium bilis effluxerit, vel quod forſan peculiaris aliquis, ut in præcedenti caſu adfuerit ductus, cujus præſentiam denegata in vivente inſpectio ocularis confirmare non potuit, deducendum probabile eſt. Non autem adeo mordicus prolatæ inhæreo ſententiæ, ut ejuſmodi lapidem, in ipſis etiam inteſtinis elaborari poſſe plane negem, ſed quid impedit, quo minus & in veſicula fellea æque ac in aliis corporis humani locis phænomena plane extraordinaria & vix non incomprehenſibilia eveniant. Tantæ autem magnitudinis lapidem excludi poſſe confirmat laudatiſſimi *Lucæ Schrœckii Patris* obſervatio, quæ recenſetur in *ephem. nat. cur. dec.* I. *ann.* 9. *obſ.* 90. ſequentibus verbis. *Hiſce adjungere obſervationibus recentem notatu digniſſimum caſum allubeſcit, de muliere quadam quindecim luſtra ſupergreſſa. Cui præter ventris tormina ac flatus aliaque ab hypochondriaca diſpoſitione provenientia ſymptomata, deſtillationes, per aliquot annos proxime elapſos erant frequentes, liberiori reſpirationi ad ſuffocationis metum uſque viam pene intercludentes, ſubſequentibus tam vehementibus animi deliquiis, ut de vita ejus actum eſſe adſtantes ſæpius judicarint. Huic* 16. *April.* 1678. *oborti ſubito fuere dolores in colo inteſtino primo obtuſi, ſenſim tamen adeo increſcentes ac inteſtinum rectum lancinantes, ut præ atrocitate doloris diſrupturum anum pertimeſceret, donec tandem calculum valido conatu divaricatis cruribus ſtando deponeret ponderantem unciam unam & drachmas duas; quod tamen pondus tractu temporis paulatim fuit imminutum, ita ut ultra dimidiam drachmam levior nunc exiſtat. Ipſa totius calculi exterior facies conum in mucronem turbinatum repræſentat coloris ex cinere & flaveſcente variegati, cæterum ex lamellis aliorum calculorum more, qui ſenſim concreſcunt, conſtat, id quod tam externa ejus forma, lamellæ extimæ fractura, hic illic exhibens, quam rutilans interna ſubſtantia meros oſtendens circulos ſtriis interſectos & ſic fæces non eſſe inteſtinales induratas una indicans edocet.* Simili modo conflatum eſſe calculum de quo ſermo eſt figura 3. duplex commonſtrat. Quod tandem nucleum iſtum quo Cholelithus fœtus erat cryſtallinum atque albicantem & forſan ex ſalinis partibus magis conſtantem concernit, ille tum lapide pellucido allegato tum obſervatione *Brechtfeldiana* quæ legitur *in actis med. Haſn. vol.* I. *obſ.* 100. illuſtrari poteſt. Ita autem ibidem loquitur author. Perilluſtris & generoſiſſima matrona Hildeſiæ vivens a pridie aſſumtis ex meo præſcripto pilulis altero mane cum excrementis lapidem exturbat ovi columbini formam referentem in exteriori ſuperficie ſubcinereum & dum a me clavo ferreo in duas partes diffringitur interius inſtar cryſtalli albicantem & rutilantem, ita ut qui olim ex Ennii ſtercore aurum, hic colligere potuiſſet gemmas. Quam primum autem mulier ægra caſus ſecun-

cundi ſuo onere per excretionem liberata fuit, eo ipſo quoque momento, cruciatuum quibus divexabatur lerna illam dereliquit. An autem poſtmodum nullos amplius minores excreverit Cholelithos de eo ſilet hiſtoria æque ac de illa quæſtione an lapides aliqui præceſſerint nec ne. Habes jam L. B. aliqualem Cholelithorum in caſibus enarratorum expoſitionem quam utique pluribus in locis mancam eſſe agnoſco, aſt Tyroni temporis anguſtia preſſo facile ſpero condonabis, quod intimiorem analyſin chymicam & magis abſolutam phænomenorum dilucidationem non produxerim.

§. VIII.

Reſtat adhuc ut de curandis quoque atque expellendis e corpore his lapillis pauciſſima moneam. Neceſſum autem eſt, ut priuſquam de cura dicam, indigitem quomodo præſentia ejuſmodi corporum præternaturalium detegi poſſit. Sicuti autem cura difficilis ita quoque eorumdem in aprico minime poſita notio. Agnoverunt hoc ipſum jam diu artis cultores & ex iis etiam proceres, præſertim celeberrimus *Sennertus*, quando *l.* 3. *pr. med. p.* 6. *c.* 1. ita loquitur. Cognoſcuntur autem non facile calculi in veſicula fellea & nihilominus varia ſæpe & gravia inducunt ſymptomata, ita ut etiam peritiſſimi medici ſæpe dubitent, unde ea proveniant. Adſunt ſæpe dolores dextri hypochondrii, nauſea, vomitus, alvi adſtrictio, icterus &c. *Horſtius in epiſt. med. l.* 2. *ſ.* 5. continuum gravativum dolorem circa jecoris regionem a calculis in veſica fellea collectis autopſia edoctus allegat. Dolores in genere hypochondrii dextri, ſub diaphragmate, imprimis eo in loco ubi ductus cholidochus inteſtino duodeno inſeritur, nunc majores, nunc minores, nunc gravativi, nunc lancinantes, partim periodici, partim & utplurimum continui per longum ſatis tempus durantes, haud raro vix tolerabiles, inter ſigna calculorum felleorum diagnoſtica ultimo haud ſunt ponenda loco. Nauſeam atque vomitum a conſenſu partium per nervos præprimis oriri probabile eſt. Alvi adſtrictionem ob deficientem bilem & impeditam in effluxu ſuo a calculis inter ſigna ſuſpicionem moventia recenſere utique licebit. Imprimis autem multi quoque provocant ad icterum gravem ac diuturnum nulliſque medicamentis cedentem, ſed ſicuti *Sennerto l. c. ſ.* 2. *c.* 7. afferenti, quod ſi icterus diuturnus ſit, ac medicamenta ſatis efficacia & recte exhibita nihil proficiant, a calculo anguſtiam veſiculæ fellis provenire argumento ſit, ita Cholelithos adeſſe poſſe, abſque ut corpus colore defœdetur flavo, vel ſuperius allegata exempla docent: ſimili modo ac experientia quoque conſtat, multos morbo correptos regio gravi & ſatis longo, ab eodem fuiſſe liberatos, interim neque per totum vitæ decurſum lapillos ejeciſſe, neque in diſſectionibus partium poſt mortem inſtitutis oſtendiſſe: ut alia nunc ſigna prætercam. Pro-


gnoſin quod ſpectat ex dictis patere poteſt, icterum pertinaciſſimum ſæpe hos calculos inſequi, inſuper variorum aliorum malorum feracem exiſtere matrem. Quis enim ex ſuppreſſa per calculos bile læſam chylificationem, ſanguificationemque, cachexiam, febres lentas, hydropes &c. oriri ſolere inficias ire poterit, modo reſpiciat ad ipſam experientiam a tot tantiſque viris obſervationibus confirmatam. Cum jam cognitu adeo difficiles ſint Cholelithi, quid mirum, quod & in eorumdem cura hallucinentur practici, alias neque inexercitati, neque inerudititi. Metus ſi adeſt vel præſentium, vel futurorum calculorum, ad cauſas occaſionales ex ſex rebus non naturalibus deſumptas provenientes omnimodo reſpiciendum eſſe nemo negabit, quique præterea ad viſciditatem & glutinoſitatem bilis reſpiciunt ii incidentia, attenuantia, evacuantia non negligent. Quibus hæreditaria quaſi curanda obvenit diſpoſitio, eorum in medendo diligentiam vix non ſemper eludet immedicabile malum. Non poſſum non meminiſſe illius controverſiæ, quæ inter quoſdam de uſu vomitoriorum in obſtructo a materia calculoſa vel ipſis calculis, orificio folliculi fellei, ductus hepatici, cyſtici atque cholidochi, intercedit. Putant enim multi per talem vehementem commotionem ſæpe pertinaciſſimas ſublatas fuiſſe obſtructiones, aliis reclamantibus & obſtructionum augmentum allegantibus. Talia ratiocinia de purgantibus fortioribus hic quoque vel hic, vel ille fert, quandoque & hic valet ea quæ in proverbiis quaſi dicuntur communiter, audaces fortuna juvat, timidoſque repellit, & extremis morbis tum lentis tum acutis extrema adhibenda eſſe remedia. Hoc interim tamen verum, eo omnem admovendam operam ut hic hoſtis, ſi de ejus præſentia conſtat, e corpore eliminetur. Sunt qui ad huncce ſcopum attingendum, ut in calculis renum & veſicæ atterendis ita & ad Cholelithos comminuendos ad ſic dicta lithontriptica confugiunt, præſertim cum præ reliquis lapillis in corpore humano genitis molliores friabilioreſque exiſtant, fundantes ſeſe in remediorum dictorum calculum renalem confringentium propugnatoris *Waldſchmidii in diſſert. de calculo renum pronuntiatio.* Laudant propterea nunc fragariæ decoctum, nunc inter calculos biliosos diſſolventia medicamenta cum *Sylvio* referunt graminis radices ac herbam vel deſtillatam, vel quod ipſe *Sylvius* præfert decoctam contuſamve, ſuccumque ex ipſa expreſſum addito ſaccharo vel melle ad gratiam; *poſtquam* (verba ſunt authoris) *notum eſt multiplici experientia boves & oves quibus hyeme alimentum eſt fœnum, atque concreſcit in ductu Bilario lapidea vel calculoſa cruſta, ubi Majo menſe iterum gramine utuntur viridi, ſenſim ab illo liberari affectu; certo argumento ineſſe viridi ac recenti gramini calculos diſſolvendi vim, quæ perit, quando idem in fœnum exſiccatur.* Nunc in ſcenam producunt ſpiritum nitri præſertim dulcificatum, ut mentionem jam non faciam ſalium volatilium aliorumque plu-

xi-



Tab. XV.

Fig. 1.



N.° 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10



Fig. 2.




Fig. 3.



Fig. 3.



Fig. 4.



Disp. Medico-Pract. Tom. III. J. G. BEZOLD DE CHOLELITHO. pag. 627.

rimorum. Quid autem de ipſo Cholelitho, ut in ictero profligando ita & in calculis bilariis diſſolvendis decantato, aliis itidem lapillis in animalibus reperiundis, imprimis lapide porcino dicam. Mihi *Galeni*, ſententia nondum plane exoluiſſe videtur, ſtatuentis *nullum remedium ſuo tempore inventum præſidii calculum veſicæ (addo & etiam veſicæ felleæ) frangentis.* Cum autem experientia quod maximam partem veritatem approbante res ita ſeſe habeat, ideoque non opus erit, ut ipſe nondum in praxi exercitatus plura proferam. Adeoque opellæ meæ qualicunque ob rationes prægnantes feſtinante ſtudio in lucem productæ impono finem; L. B. rurſus rogitans fœtum ingenii immaturum præcipitanterque nimis productum ne plane rejiciat; Deo autem T. O. M. ut pro omnibus beneficiis ita pro conceſſis in hoc labore viribus æternam laudem honorem atque gloriam cano.

FINIS.

J. ANDREÆ

CVII.

J. ANDREÆ WISLICEN,

LAPIDES BILIOSO-LYMPHATICI

PER

METASTASIN FEBRIS CATARRHALIS EXORTI, AC PER ABDOMEN EXULCERATUM EXCLUSI.

Lipſiæ 1742.

FEbris catarrhalis, præ aliis morbis ob frequentiorem aëris mutationem homines frequentius vexans, in omnium fere ore fertur, nec tamen uno eodemque ſenſu ab omnibus accipitur. Sic multæ ſenſationes, quæ modo in hac, modo illa corporis parte ſe exſerunt, quales ſunt arthritis vaga, & rheumatiſmi, hoc nomine accuſantur, & confunduntur cum catarrhis. Quam incertitudinem & confuſionem nemo miratur, qui hujus febris principium, augmentum, ſtatum, ac declinationem, nec non alia plurima, quæ circumſtant, noſcit ac obſervat. Plurimis enim cum morbis multa habet communia, cum plurimis ſe combinat, plurimorumque morborum larvam, imprimis ab initio, induit, nec minus largo ſymptomatum proventu corpus invadit, pro cujuſcunque ſubjecti vitiata humorum conſtitutione. Et ſicut plurimis ſignis dijudicari poteſt; ita diverſis criſibus ſe ſolvit, & in nonnullis quidem per diureſin, in aliis per diaphoreſin, & modo per tardas, & parcas, modo vero per largas, & crebras alvi dejectiones optatum acquirit exitum. Quæ omnia, cum medicis practicis ſatis ſint nota, & ab autoribus annotata, mittimus, & caſum nuper oblatum, eumque notatu digniſſimum, publico judicio exponimus.

Vir civis & ſutor mediæ ſtaturæ, ac corporis habitus inter gracilem & pinguem fere medii, fruitur natura boni roboris, ob temperamentum cholerico-ſanguineum, quo regitur, ſæpius iracundia irritatur ab artis ſervis æque ac malitioſis deceptoribus, ceterum, laboris ad tolerandam vitam, pertinaciſſimus. Victus, pro ſtatus conditione, illi eſt ordinatus, & ſufficiens, pro opificii vero conditione modo lautus & eupeptus, modo dyſpeptus & inordinatus. Præ aliis tamen caſeum, imprimis probe exſiccatum, atque acrem amat, ac ſæpiſſime appetit. Potus, motus ac quies, ſomnus ac vigiliæ pro circumſtantiarum varietate variant, uſu tamen ordinario temperantur. Nunquam ipſe de ſe vel excretionibus præternaturalibus conqueſtus, aut morbis vexatus fuit, niſi quod anno 1731. febri bilioſo-ardenti corriperetur: qua tamen ſeptimo die, criſi perfecta ac plenaria per diaphoreſin ac diureſin facta, liberabatur, priſtinaque ſanitate fruebatur uſque ad finem anni 1734. cujus menſe Decembri febri catarrhali implicabatur, quam haud fortaſſe inepte bilioſam cognominamus, ob conjunctum ſaporem amarum, calorem ardentem, urinam inflammatam ac flaveſcentem, & per metaſtaſin lapides bilioſos gignentem.

Inchoabatur ille morbus die 9, 10, 11 Decembris prædicti anni, cum laſſitudine corporis ac appetitu proſtrato, quibus die 12 ſuperveniebat dolor capitis, ſapor ſumtorum ciborum ac potuum amarus, calor vero & febris circa veſpertinum tempus intenſiores, attamen tolerabiles, evadebant. Hi dolores die 14 Decembris & ſequentibus per diem noctemque uren-

urentes, excedentes, cum præcordiorum anxietatibus & multa inquietudine combinabantur. Urina hactenus rubra primum ſedimentum illo die demittens, flavum colorem præ ſe ferebat, quæ die 17 Dec. clara ac naturalis, attamen ſatis ſaturata emittebatur. Cum prioribus anxietatibus calor ille præternaturalis non ſolum continuabat, ſed tantus etiam erat, ut excederet, alvus tamen, pro more febrium, hactenus tarda fæces ſiccas & induratas die 19 Dec. deponens, remiſſior & dolores ſedatiores obſervabantur.

Succedebat die 22 Dec. incredibilis ſudor, quotidie, imprimis ſub diluculum, continuans. Qui, adhibitis, aut potius continuatis abſorbentibus, nitratis, acidis temperatis refrænabatur ac mitior reddebatur, ægrotum tamen in magnam conjiciebat laſſitudinem.

Die 27 Dec. accedebat dolor inguinis dextri pungens, a naturali ſtatu neque tumore, neque rubore immutati. Aſſociabat ſe alvus tarda, in dies magis magiſque ſiccior ac rebellis evadens, ita ut ægrotus, quo magis a calore, ſudore, laſſitudine aut febri reſtituebatur, eo magis obſtructionem contraheret alvinam.

Dum vero naturale officium ulterius præſtare alvus ſine adhibitis remediis domeſticis ac pharmaceuticis recuſabat, dolori inguinis dextri die 4 Jan. 1735. ſe ſociabat tumor ſine rubore. Alvus tarda æque ac dolor inguinis ab adhibitis laxantibus remittebant, poſt duos tamen vel tres dies priorem tenorem arripiebant.

Laxantibus porro inſiſtere cum minus eſſet conſultum, dum ſudores nimii & urgentes exſuccatum pene reddidiſſent virum, nec vires eum recuperare conceſſiſſent, adhibebantur paregorica reſolventibus intermixta; quæ quoque per aliquot dies levamen, continuato autem uſu, optatum ſucceſſum minime præſtabant, ideoque prioribus ac primariis medicamentis (ſub initio tumoris & doloris in inguine percepti adhibitis, quibus laxantia non niſi urgente neceſſitate erant intermixta) inſiſtebatur, nempe reſolventibus, diſcutientibus, diapnoicis, diureticis in & externis, iiſque ſemper mitioribus, prout vires ægrotantis minus refocillati deſiderare videbantur. Quorum uſu, licet ſæpius neglecto, paulatim vires redibant, tumorque & dolor inguinis circa initium Februarii 1735. augmentum capiebant, ac alvum & ambulationem tardiorem ac difficiliorem efficiebant. Hoc in ſtatu malum per aliquot hebdomadas permanebat, ac medicamentorum utilis ac neceſſaria continuatio recuſabatur.

Die 12 Aprilis pro ordinaria conſuetudine ac rationali neceſſitate vena in brachio aperiebatur, e qua cum ſanguis profluere moraretur, chirurgus tuſſi illum excitare ſuadet; quo facto ſanguis craſſus & nigricans exſilit, & tumor una ex inguine ſurſum in abdomen ſe elevat cum aliqua ſenſatione, (referente ægroto; *es hätte recht geſchnappet*,) ita ut tumor nunc a priori loco per octo digitos tranſverſos ſuperius, & ab umbi-

bilico per quatuor digitos tranſverſos lateraliter diſtaret. Hic tumor nucis juglandis magnitudinem præ ſe ferens, ac pro tempore neque ruborem, neque tumorem conjunctos habens, ſenſim ſenſimque creſcebat, ruborem induebat, ſenſationem dolorificam excitabat, ac, totum abdomen cum occuparet, ambulationem, reſpirationem, aliaſque actiones vitáles ac naturales reddebat difficiles.

Nullis aut perpaucis remediis per id tempus in auxilium vocatis, iterumque intermiſſis, media, malo jam nimis aucto, jam deſiderabantur chirurgica, eaque ex reſolventibus tam mitioribus quam fortioribus deſumta applicabantur, modo in ſacculis ſiccis, modo a vino calido humidis, modo ſub forma unguentorum, modo emplaſtrorum, & id genus aliorum; quæ tamen deſideratum effectum minime adferebant, contra tumorem cum rubore & dolore reddebant auctiorem, pejorem, ac magis magiſque difficiliorem. Tandem difficillimum peſſimumque reddebant remedia emollientia, jam indicata, & per ſequentes octo, & quod excurrit, dies applicata. Nulla ſequebatur apoſtematis apertio, nec locus, quo aliquid deliteſcentis puris, ante emollientium applicationem aliquatenus ſenſati ac dijudicati, indicabatur: contra tumor ac dolor creſcebant, & color abdominis hactenus rutilans abibat in pallido-lividum ex nigricante mixtum. Interne ſuperveniebant calor, inſultus febriles erratici, & anxietates præcordiorum, una cum laſſitudine ingraveſcente.

His mihi relatis, ægrotum & locum morboſum coram oculis uſurpare de neceſſitate eſſe judicavi. Quo facto, emollientia citiſſime removenda ſuaſi, ac cum propinatis internis bezoardico-reſolventibus, ea externe, quæ gangrænæ calidæ ſunt contraria, nervino-reſolventia, inter eaque camphoram applicavi. Tali conſilio mali ſummum periculum minantis remiſſio ſubſequebatur, ita ut timor gangrænæ ſucceſſive evaneſceret. Abdomini interim ex livido in rutilantem colorem reſtituto, cum durum ac doloroſum permaneret, debita remedia, ſcilicet reſolventia cum emollientibus mixta proponebantur, eaque non ſine uſu ac fructu.

Optato deſiderio cum per 14 dies minime reſponderet effectus, emollientia pure talia revocabantur, maxima cum attentione, circumſpectione ac cura in ſubſidium eligebantur, applicabantur, & omnia præſtruebantur, quæ ad præcavenda mala facere videbantur. Quæ quidem licet nulla ſe manifeſtarent, tamen deſideratus ac evidens eventus nondum ſequebatur. Fortiora ideo aggredi remedia, hoſtemque latentem provocare morbi diuturnitas, ſymptomatum gravitas, & ægroti miſeria ſuadebant; cauteria igitur adhibenda tali in caſu videbantur. Horum primum per 12 horas applicatum ſine omni effectu decidebat, magna cum admiratione chirurgi, qui, uſu alias exercitatus, ſimile ſibi unquam accidiſſe aperte negabat. Apponebatur alterum eodem loco, ſed eodem cum exitu, cutem vix ſignatam relinquens. Ideo ſine hæſitatione ſuperimponebatur tertium recens præparatum, (in ſubſidium vocata medicorum ob-

ſervatione : cauſtica tempore remittere , aut vim plane demittere ;) quod effectum licet quoque exiguum , tamen aliqualem , & votis leviter reſpondentem edebat. Quæ via per cauteria, licet leniora, cum inſiſteretur , eaque per adhibitas turundas apertior facta fuiſſet, pus ſubjacens reddebatur manifeſtum , quod denſum ac craſſum erat, non niſi preſſione manus chirurgi erumpens ac effluens.

Poſt aliquot dies pus magis renitens vehementiori digitorum preſſione chirurgus cum expurgare intendit , proſiliunt una corpuſcula denſa ac dura. Chirurgus æque ac ægrotus novo hoc ſpectaculo & admiratione inducti accedunt me , & apportant iſta præternaturalia , quæ ego ob figuram æque ac colorem pro lapidibus bilioſis declarare nullus hæſitavi. Medicamenta hactenus neglecta , aut modice ſaltim uſurpata , ſumme neceſſaria nunc eſſe ægroto creduntur , quæ pro conſilio & deſiderio porriguntur , eaque reſolventia balſamicis intermixta. Cum his priora reſolventia ac emollientia externe continuata abdomen durum reddunt quidem mollius , a colore rubro & dolore remiſſius , aſt quoque ulceroſius. Sequebatur in regione epigaſtrica & umbilicali dextra ulcus poſt alterum , ita ut intra ſpithamæ ſpatium ultra ſeptem cernerentur , omnia pus craſſum promanantia , nonnulla vero lapides modo nominatos & conjunctim & ſucceſſive ejaculantia , quæ tandem inter cutem & peritonæum concurrebant, & ulcus ſinuoſum conſtituebant. Modo memoratis reſolventibus licet & balſamica interne adhiberentur, profluvium tamen puris craſſi per nonnullorum hebdomadum ſpatium continuabat, una cum quotidiana lapidum ejaculatione , qui quaſi in lapidicina creſcere videbantur.

Quæ conjectura non erat vana , ſed ſuffulciebatur experimentis inferius adductis , & eventu feliciter inſecuto. Interne enim adhibitis pure alcalicis, nominatim o°o tartari p. d. cum tinctura rhabarbari, ut & ſpirit ſal. armoniac. cum prioribus reſolventibus mixtis, principium acidum coagulans deſtruebatur, materia lapideſcens, pus nempe, hactenus craſſum, auſterum, male coctum, poſt paucos dies magis magiſque attenuatum apparebat, & ad ſtatum naturalem redibat, lapidum vero proventus omnino remittebat, ac evaneſcebat, poſtque annum dimidium & quod excurrit , ulcus ſinuoſum erat purgatum , carne repletum, ac abdomen in ſtatum naturalem reſtitutum, ut vir nunc ſanus & vegetus omnis incommodi & dolorum expers priora exerceat opera.

Lapides, quorum tres d. 1 Nov. 1735. prima & una vice, ultra quinquaginta vero ſucceſſive provenerant, diverſæ erant magnitudinis, lentis, piſi, fabæ minoris, unicus fabæ majoris, molem repræſentantes. Maximus horum , cujus pondus ſcrupulum exæquabat , ex uno latere immaturus, cruſta non obductus conſpiciendam exhibebat materiam purulentam ulceris, adhuc molliuſculam, paulo poſt ab aëre duriorem redditam.

Figu-

Figuram repræſentabant diverſam, alii angularem triquetram, alii quadrangulam, alii depreſſam, alii rotundam, alii ad rotunditatem inclinantem.

Colorem præ ſe ferebant externe fuſco-flavum, politum, ſplendentem, cruſtæ ſpadiceæ caſtaneorum ſimilem, punctis partim nigricantibus interſperſis. Color interior pure flavo tinctus conſpiciebatur. Habitus interior laxior ac mollior erat exteriori, & involvebatur cruſta modo adducta.

Duritiem nondum contraxerant renitentem; facile enim, imprimis interior materia, in pulverem comminuebantur, & nonnulli lapides ſicco in loco ſervati in fruſtula dilabebantur.

Materiam ipſam conſtituebant partim lympha pinguis, bile remixta, craſſa, ac lenta ſtagnans, per metaſtaſin orta, & a priori morbo remanens, partim lympha adfluens in ulcere ſinuoſo corruptione infecta, ac in pus converſa, quæ præter ſuperius adducta ex ſequentibus tentaminibus magis eluceſcet.

Pulveriſatis lapidibus ſpiritus vini rectificatus ſuperfuſus intactos reliquit, nullam extraxit tincturam, nec colorem, nec miſcelam iniit.

Tales pulveriſati ſpiritu vitrioli adfuſo nullam quoque extractionem, aut colorem, poſt horas tamen viginti quatuor miſcelam aliqualem pultiformem, colorem olivarum repræſentantem, reliquerunt. Hæc miſcela ab aqua adfuſa diſcerpebatur, pingui ſupernatante, craſſa econtra ſeu terreſtri materia fundum petente, quæ neque conquaſſatione, neque digeſtione ad priorem modum combinanda erat.

Alii craſſiuſcule pulveriſati cum oleo tartari per deliquium mixti faciliorem inibant miſcelam, & conciliabant tincturam ex fuſco flavam, rhabarbarinæ ſimilem, cum pingui itidem ſupernatante. Huic materiæ adfuſa aqua præcipitabat multam materiam inſtar flocculorum, & aqua ipſa rhabarbarino quoque imbuebatur colore. Actio hujus olei, ſeu, ut rectius dicam, liquoris alcalici in lapidum reſolvenda materia interna non ſolum evidens erat ac facilis, ſed quoque perfecta, dum materia externa, ſeu cruſtæ lapidum poſt viginti quatuor horas erant emollitæ, ac in pultem reſolutæ.

Ejuſdem farinæ lapides ignitis ſuperimpoſiti carbonibus flammam concipiunt, & fervant, fumumque ſpargunt largum, itidemque ut grana olibani aut maſtichis incenſa, nec minus odorem ſpirant aliqualem, eumque fœtidum. Flamma & fumo corruptis prior ac eadem lapidum remanet figura, pumicis vero aut fungi perforatorum, qui digitis compreſſi fatiſcant in pulverem non cinereum, ſed potius arenoſum, tactu ſenſibilem.

Ex his colligere licebit, in cauſam acidum eſſe vocandum, quod pro activitate ſua concretionem horum lapidum maturavit. Contrario enim

alcali optime ſolvebantur ac deſtruebantur commemorati lapides, eoque interne adhibito cura optime ſuccedebat, ac lapidicina deſtruebatur.

Uſus quoque frequens ac appetitus aſſumtorum ciborum acidorum nullum relinquit dubium, illud communicatum fuiſſe cum maſſa ſanguinea, præprimis lympha. An vero acidum citri, quod in febri præeunte ad ſudorem ſumme colliquativum infringendum, & vires maxime deſtruentem, conſervandas frequenter adhibitum erat, ſuum quoque contribuerit, aliis dijudicandum permitto, licet difficile fuerit, coaleſcentem vim prorſus denegare.

Nec minus ſpiritus ardens, ſeu vini, ſeu frumenti, modo rectificatus & purus, modo impurus, aut aliis involutus, vulgo aqua vitæ vocatus, pro circumſtantiarum occaſione adſumtus cauſam quoque ſubminiſtrare valet. Boerhaave in Elem. Chem. T. II. p. 342. docet, a ſpiritu vini ſumme rectificato, quippe qui acidum volatile continet, gelatinoſos liquores, ſpeciatim albumen ovi, cui lympha ſec. Verheyn. Anat. L. II. Tract. I. c. 21. non abſimile eſt, coagulare. Sic nec medicis, nec exercitatis chirurgis ignotum eſt, ſpiritum vini rectificatum citiſſime ac certiſſime ſiſtere omnes hæmorrhagias, dum humores inſpiſſet, & eſcharam inducat.

Impurus ſpiritus, communis, pro potu vendibilis, & debilis, multa acerba & auſtera vi ignis protruſa continet, quibus maſſam ſanguineam inquinat, vaſa adſtringit, circulationem retardat, ac ſtagnationes gignit. Acerba enim & auſtera pro principio agnoſcunt terram acido ſaturatam, prout Illuſtr. Wedel. in tract. theor. ſapor. med. p. m. 192. adducit, & ad ſenſum idem demonſtrant miſcelæ acidorum cum terreis, imprimis ſpiritus vitrioli cum calce viva, qui auſtero - amarum producit liquorem. Quæ auſteritas, ſpiritui communi propria, faciliime demonſtratur ad ſaporem ſumme nauſeoſum, in cucurbita, ſi purum, ſeu ſpiritus, leniſſimo igne abſtrahatur.

Aquæ vitæ, majori jure, ob anguem in herba latentem, a medicis inſcribuntur aquæ mortis, quia maſſam ſanguineam varie inficere valent, dum ſpiritus rectificatione non purificatus dulcibus modo, aut aromaticis involutus eſt. Frequens uſus caſeorum induratorum, ab ætate vermiculares & acres redditorum, quos præ omnibus cibis noſtras amavit, ſuum quoque addidiſſe lapidem, nemo temere diffitebitur. Licet enim communi opinioni, caſeos gignere lapidem, minime ſubſcribam; negari tamen nequit, eos induratos, acido præcipitatos aut ſaturatos lympham quoque craſſam producere. Etiam attendendum erit, quod tales caſei ob terreſtrem materiam æque ac ob acrimoniam, calci vivæ accedentem, cum gelatinoſis ac lymphaticis humoribus commixti, in lapideam abire duritiem poſſint, prout calx viva cum albumine ovi, aut caſeo mixta, talem acquirit duritiem.

Bilio-

Bilioſos nominavimus illos lapides, licet veſica fellea pro habitaculo minime vindicanda, ſed genuinus locus ac focus in vaſis lymphaticis ſit quærendus, quippe quæ talem vehunt lympham, qualem laudabile, aut minus probatum nutrimentum gignit. Noſtri ægroti alimenta ac potulenta diverſa ac craſſa, inordinate adſumta, talem quoque craſſam, ad ſtagnationem pronam, & ad congelationem aptam produxiſſe lympham, quis eſt qui dubitet?

Bilem quoque ipſam abire in lympham, eamque inficere, & illi immiſceri, venæ ſectio, quæ in hominibus iracundiæ, aut diætæ pingui vel calidæ deditis, adminiſtratur, lympham pure flavam, aut viridiuſculam exhibet. In ſtatu præternaturali talem per totam maſſam ſanguineam, & corporis habitum diſperſam icterus ad omnium oculos oſtendit. In noſtro bilem ſanguini & lymphæ in magna copia ſæpius fuiſſe admixtam conjicere licet ex iterata iracundia, & febribus præeuntibus bilioſis.

Quæ omnia dubium nemini relinquunt, noſtros lapillos ex ipſa bile lymphæ admixta fuiſſe conflatos, quos idcirco, & ob colorem, & figuram, & totum habitum cum iſtis lapidibus in veſica fellea repertis communem, bilioſos, & ob lympham, & vaſa lymphatica, ex quibus prodierunt, lymphaticos, in diſtinctionem eorum, qui in veſica fellea reperiuntur, recte denominari, exiſtimavimus.

TANTUM.

CVIII.

HERMAN FRID. TEICHMEYER

ET AUCTORIS

WILH. HENR. AUG. STROEHLEIN

DISSERTATIO.

DE CALCULIS BILARIIS.

Jenæ 1742. Junii.

PRÆFAMEN.

Curioſa eſt calculorum noſtro in corpore generatio; utilis quoque in eorum naturam ortumque indagatio. Igitur non inconſulto de calculis bilariis diſſerendi conſilium inivimus. Materiam autem nobis præbuit cadaver feminæ cujuſdam decollatæ, in theatro publico, arte manuque illuſtris Domini Præſidis nuperrime diſſecatum. In illo, præter ovaria, tubas atque ligamenta hydatidibus macerata, cyſtis fellea multis referta calculis obſervabatur. Horum calculorum quatuor fabis minoribus, duodecim piſis, ultra quinquaginta autem ſeminibus Cannabis æquales erant. Illuſtris Dominus præſes quoſdam calculos nobis conceſſit, ut eos examinemus. Quæ inſtitnta ſunt, experimenta trademus; naturamque & ortum calculorum explicabimus: id quod Deus T. O. M. felix fauſtumque eſſe jubeat.

§. I.

Calculus bilarius eſt concretum ſolidum, ex ſulphurea bilis parte, cum terra ſaleque unita, præter naturam coagulatum. Ut autem bilis; ita calculus quoque, duplex obſervatur. *Hepaticus* enim calculus ex hepatica bile; *cyſticus* vero ex cyſtica naſcitur. Accidit quoque, ut calculus ejuſve prima ſtamina ad cyſtidem delata, ibi calculi cyſtici naturam induant.

§. II.

Color calculi cyſtici eſt, ceræ inſtar, flavus, ſed multis punctis gryſeis, cinereis, virideſcentibus nigriſque varie intertextus. *Intus* vero color, inſtar radicis curcumæ, multum flavus: in medio autem niger nucleus conſpicitur. *Figura* nunquam perfecte rotunda, ſed inæqualis, anguloſa, variiſque ſinubus excavata eſt. *Superficies* vero glabra, ſplendida & quaſi polita apparet. *Magnitudo* variat. *Illuſtris Dn. Præſes* calculos cyſticos caſtaneis æquales oſtendit. Ut taceamus calculum, qui totam cyſtidem implevit, a *Timæo a Guldenklee* obſervatum.

§. III.

Conſiſtentia eſt ſaxo quidem longe mollior: tamen cum duritie reſinarum convenit. *Gravitas* autem calculi noſtri minima eſt, ſi nimirum cum gravitate calculi urinarii comparatur. Corpus autem, quo levius eſt, eo minorem materiæ quantitatem, ſub data magnitudine, poſſidet.

Unde colligitur, maſſam calculi non ſatis compactam eſſe, ſed magis poroſam. Per poros enim fit, ut corpus minorem maſſam in dato ſpatio contineat atque inde levius reddatur.

§. IV.

Calculus noſter, ſi igni admovetur, liqueſcit, flammam facile concipit & ardet. Flamma lucida atque ex flavo rubicunda eſt, & dum ardet, ſtrepitum edit: id quod a particulis aqueis intermixtis dependet. Flamma vero extincta fumum fœditum, non ſecus, ac ſi crines, aut corium comburatur. Ex quibus conſtat, ſulphur copioſum, ſed aquæ parum calculis ineſſe.

§. V.

Calculos noſtros in ſpiritu nitri ſolvebamus. Fruſtula eorum colorem ſuum ſtatim mutabant in obſcure nigricantem. Deinde, poſtquam mixtura incaluit ſuper carbones, ſolutionem accepimus flaveſcentem. Quæ non ſolvebantur, ea mollia erant atque ex flavo pallida ceræque inſtar poterant malaxari. Solutio filtrata & ab oleo tartari per deliquium turbida deponebat terram gryſeam, ſeu calcariam. Solutio cum ſpiritu vini inſtituta dabat tincturam ſuccineam & guſtu amaricantem, relicta ſimili terra. Calculis ergo, præter ſulphur copioſum, terra quoque inexiſtit, quæ illorum baſis eſt atque fundamentum.

§. VI.

Quinquaginta calculorum grana per ſe & per gradus ignis deſtillavimus. Initio calculi liqueſcebant, deinde pauxillum phlegmatis veniebat, poſtea vero oleum limpidum & flavum, tum obſcure flavum, tandem rubicundum, & ultimo nigricans atque empyreumaticum ſuccedebat. In retorta ab igne colliquata remanebat terra ex atro fuſca, ſtriata, colore ac ſplendore metallico, antimonio aut ſmiridi ſimilis, ſed pondere metallico deſtituta.

§. VII.

Oleum illud calculorum deſtillatum cum oleo tartari fœtido convenit. Odor, qui in utroque unus idemque eſt, manifeſtat ſal volatile quoddam adeſſe. Neque dubium eſt, ſi oleum, aut ipſe pulvis calculorum cum ſale tartari tractetur, ſal volatile obtineri. Idem enim fit, ſi oleum fœtidum tartari, aut cornu cervi cum ſale tartari per artem & ignem conjungitur. Sed num ſal volatile, quod oleo deſtillato calculorum ineſt,

ipſis

ipſis calculis ſub eadem forma & ſpecie ante deſtillationem inextiterit, non decidemus. Certum eſt, varias ſalium ſpecies in igne produci eaque in diverſas formas mutari ſolere.

§. VIII.

Sed hæc de calculo cyſtico. Jam hepatici differentias noſſe juvabit. Igitur calculus hepaticus eſt cyſtico longe mollior. Subſtantia ejus, quaſi butyracea, plerumque obſervatur. Color flavior & ſimilis ei eſt, qui in calculo cyſtico intus apparebat. Neque tam varii colores inter ſe miſcentur. Levitas tanta eſt, ut calculus aquæ innatet. In cyſtico autem hoc non ſemper deprehenſum eſt. Uterque vero calculus in variis hominibus varia gravitate, conſiſtentia, varioque colore præditus reperitur. Ceterum in hac materia lectori ſatisfaciet *celeb. Bianchi in hiſtoria Hepatica.*

§. IX.

Locus calculi hepatici proprius ſunt rami ductus hepatici. Propria vero cyſtici ſedes eſt cyſtis. Commune autem utrique calculo ſubjectum eſt ductus choledochus & cyſticus. Calculus enim ex hepate veniens cum bile per ductum cyſticum deferri poteſt ad veſiculam. Calculus autem ex cyſtide per ſuum ductum ad choledochum pervenit, ſi vis movens accedit, ſi magnitudo calculi, ſi capacitas ductus ejuſque valvulæ id permittunt. Choledochus autem utrumque recipit calculum. Multum vero hic contribuit capacitas, ſtructura, tonus viſque ductuum: quæ omnia in unoquoque hominum diverſa & peculiaria reperiuntur. Illuſtris Dn. Præſes, in noviſſima Anatomia publica, ductus choledochos diverſæ capacitatis, unum vero, qui pollicem recipiebat, auditoribus monſtravit. Inſuper ductum cyſticum tortuoſum, non modo valvula inſigni præditum, ſed valvulis quaſi ſpiralibus ubique munitum oſtendit.

§. X.

Materia calculi ipſa in bile continetur. Bilis eſt liquor oleoſus ſale ſeroque ſolutus. Hepatica bilis dilutior, ſeroſior lixivioque ſimilis exiſtit: cyſtica vero ſpiſſior, gravior, concentratior & ſaponacea natura prædita eſt. Hæc, ſi igne exſiccatur, abit in maſſam pici aut reſinæ ſimillimam: quæ poſtea in igne facile liqueſcit, flammam concipit, ardet, a ſpiritu vini ſolvitur atque ita in tincturam coſmeticam convertitur. Sed maſſa illa minorem terræ copiam poſſidet, quam in calculis reperitur. Inde colligitur, ſulphur bilis reſinoſum eſſe materiam calculi potiorem. Sic ſanguis ipſe remotam calculi materiam continet. Sanguis enim exſiccatus tale exhibet ſulphur reſinoſum.

Mmmm 2 §. XI.

§. XI.

Salia bilis ſunt vel acida vel alcalica. Alcalica omnia ex acido, oleo & terra generantur. Neque dubium eſt, quin motu, quo bilis, quo ſanguis gaudet, ſalia acida, terram ſolutam vehentia, cum oleis intime combinentur atque ſic in ſal alcalicum abeant. Tale ſal alcali oleis reſolvendis, iiſque cum aqueis miſcendis idoneum eſt. Vehiculum autem bilis ſeroſum olea nunquam ſoluta teneret; niſi tali ſale acuatum eſſet. Inde conſtat, olea bilis nunquam ſpiſſa evadere, aut coagulari, ſi ſal alcalicum in bile dominatur, & ſi ſeroſum ejus vehiculum tali ſale decenter imbutum eſt.

§. XII.

Acidum bili ineſſe demonſtrat ſalis alcalici generatio. Acidum quoque præter naturam in ſanguine & bile augeri poſſe, non dubium eſt. Tale autem ſal impedit alcalica, quo minus olea magis, ac decet, reſolvant. Acidum itaque conciliat oleis ſpiſſitudinem. Sed utrumque ſal in bile ab oleis copioſis in actione ſua temperatur. Terræ vero per naturam tanta ſemper adeſt copia, quanta ad generationem ſalium in bile, atque ad oleorum fixitatem requiritur. Si vero terra præter naturam augetur in bile; tum occaſio calculis datur.

§. XIII.

Cauſa calculi *immediata* eſt coagulatio, qua ſulphur bilis ſolutum ex menſtruo ſuo ſecedit atque cum terra unitum ſolideſcit. De cauſa autem hujus coagulationis varia inter artis magiſtros eſt diſſenſio. Sed tutius eſt eam ex ipſa bilis natura derivare.

§. XIV.

Olea bilis ab alcalico ſale ſeroque ſoluta, ſi præcipitantur, confluant, neceſſe eſt. Oritur autem talis præcipitatio, ſi ſerum diſſipatur, ſi ſale ſuo privatur, aut plane inimico ſale deturpatur. Si ſerum deficit; bilis ſpiſſa evadit. Si ſal alcali ejuſque generatio in bile deeſt: menſtruum bilis ſeroſum debilitatur. Olea ergo ſoluta non amplius ſuſtentantur, ſed dimittuntur: quæ poſtea confluunt, & quo magis terra abundat, eo magis dura evadunt.

§. XV.

Acidum vero eſt ſal illud inimicum, quo lixivia, aut menſtrua alcalica coguntur ſua dimittere ſoluta. Acidum ergo terram ſolutam vehens, ſi

ſi ſeroſum oleorum vehiculum adgreditur, terra ex acido menſtruo & olea ex lixivio ſuo ſimul dimittuntur. Olea illa cum terræ plus minuſve ſimul dimiſſa atque unita obdureſcunt. Acidum igitur omnem cauſam, quæ olea fluida conſervat, removet: ut illius vim omnia ſulphura coagulandi ſpecificam taceamus, utpote vel in culinis notiſſimam. Adhæc conſtat reſinas liqueſcere, ſi acidum eorum aufertur, aut per alcali infringitur. Nullum ergo eſt dubium, quin & calculi coagulatio ab acido proficiſcatur.

§ XVI.

Sed non probabile eſt calculum uno momento perfici: ſed exigua primo ejus ſunt ſtamina, per temporis vices perque novas acceſſiones demum augenda. Stamina illa in bile fluctuant, quibus nova præcipitata adhærent atque adglutinantur. Hoc in calculo ipſo videre eſt. Partes enim ejus, una ſuper aliam, ordine diſtincto ſuperſtratæ ſunt. Neque niger nucleus, qui in medio calculi reperitur, aliud eſt, quam baſis, cui nova præcipitata adhæſerunt. Imo majores & jam perfecti calculi inter ſe conglutinari ſolere obſervatum eſt.

§. XVII.

Sed illa præcipitata inter ſe quoque differunt. Oleum bilis cyſticæ eſt inſpiſſatum ac quaſi bituminoſum; ſed hepaticæ oleum ſolutum magis, butyroque ſimile exiſtit. Illa olea, ſi præcipitatio oritur, mox cum majori, mox cum minori terræ copia uniuntur. Non mirum inde videbitur calculum cyſticum tam varie coloratum eſſe, quum ille ex utraque bile ſua ſtamina ſuaque accipiat incrementa. Calculus vero hepaticus non niſi ex bile hepatica nutritur: ideoque tam variis coloribus non inſignitur.

§. XVIII.

Sed partes novæ non certo ordine, neque certis locis, calculo adponuntur. Illæ enim uno loco, præ altero, adhærent libentius. A quo vario incertoque incremento figura calculi inæqualis dependet. Idem quoque fit, ſi calculus varie decreſcit. Bilis enim, ſi non multum vitiata eſt, aut ſuam priſtinam recuperat indolem, ipſa calculum diminuit. Sed, quum partes calculi diverſæ ſint, bilis unam libentius, quam alteram reſolvet. Unde figura iterum inæqualis redditur. Superficies autem calculi glabra ab oleo copioſo, quod calculum, ſeu gluten, obducit, derivanda eſt.

§. XIX.

Neque difficilis ratio, cur major terræ copia noſtro calculo inſit, quam in bile exſiccata reperitur. Bilis enim uno tempore tantam terræ copiam poſſidere nequit, quanta longo temporis tractu atque ſucceſſive ex illa colligitur & cum oleis unita, calculo adponitur. Accedit, quod terra, ut in ſanguine, ita etiam in bile præter naturam facile augeatur. Ceſſat quoque, dum calculi generantur, motus bilis inteſtinus: per quem terræ non modo ſubtiles fiunt, ſed etiam cum ſalibus & oleis intime uniuntur. Unde non mirum eſt, calculi terram adeo leviter cum oleis unitam eſſe, ut facile ab illis ſeparetur per ſolutionem & præcipitationem.

§. XX.

Calculi generatio juvatur, ſi jecur ſiccitate laborat. A defectu enim ſeri ſolventis bilis ſpiſſa evadit. Si obſtructio jecinoris adeſt, partes ſeroſæ & mobiles vaſa facile penetrant, fixiores vero terreo-ſulphureæ relinquuntur. Si vaſa tono ſuo deſtituuntur, tum motus bilis & progreſſivus & inteſtinus concidit. Calculus quoque non commodius creſcit, quam ſi in loco quodam quieto, ut in cyſtide, continetur. Cyſtis propria vi non ſufficit ad bilem ſuam evacuandam, ſed motus viſcerum atque muſculorum abdominis id præſtat. Neque continuo bilis ex cyſtide ad inteſtinum duodenum emittitur. Unde calculus & a bile cyſtica & quiete multum capit incrementum.

§. XXI.

Cauſæ calculorum remotæ exque naturales ſunt primo temperamentum cholericum ob ſulphuris copiam & ſiccitatem: deinde melancholicum, quia in eo partes terreo ſulphureæ acidæque eminent. In ſeroſis vero ſerum facile iners fit atque oleis reſolvendis inidoneum. Maxime autem calculis favet vita ſedentaria. Per eam enim motus humorum in hepate non promovetur, qui jam per ſe omnium tardiſſimus. Illi vero homines calculis maxime corripiuntur, qui labe quadam hepatis atque atonia hæreditaria vexantur.

§. XXII.

Cauſæ non naturales calculis occaſionem dant, aër calidus & ſiccus, dum ſerum nimis diſſipat. Aër frigidus humores condenſat. Cibus ſulphureus ac aromaticus corpus exſiccat atque ſulphur in ſanguine auget. Cibus crudus, durus, ſiccus, viſcidus, copia excedens, nec juſto tempore

pore & mora adſumtus crudas, fixas, terreo-ſulphureas partes in ſanguine accumulant. Abuſus ſpiritus vini ſalia corporis noſtri in ſua actione impedit ſerumque coagulat, quod inde ſolvendi vim amittit. Potus acidus coagulat: & qui iners, neque ulla qualitate ſalina gaudet, menſtruum ſulphuris ſeroſum debilitat. Frigidus vero potus adſumtus ſtaſin in hepate producit. Hæc omnia eo magis materiam calculorum dant, ſi jecur jam labe quadam infectum eſt, ſi organa chylificationis non rite ſe habent atque ideo chylus crudus & intemperatus ad ſanguinem defertur.

§. XXIII.

Calculus aut in fieri eſt aut jam perfecte elaboratus. Calculus in fieri nihil aliud denotat, quam materiam calculi, quæ nondum coagulata eſt, aut nondum in molem acrevit inſignem. Calculus vaſa bilifera obſtruit. Inde ſecretio atque excretio bilis impeditur. Si ſecretio bilis ceſſat, ſanguis a bilioſis partibus deturpatur atque ſecretiones in corpore omnes vitiantur. Varii inde morbi ut icterus, cachexiæ, hydrops, tabes, febres lentæ &c. oriuntur. Maxime autem iis, qui calculis laborant, icterus familiaris eſt. Icterici enim ſæpe per alvum calculos excernere ſolent.

§. XXIV.

Bilis excretio varie impeditur. Aut enim ductus majores, aut pori bilarii calculis obſidentur. Igitur ſi ita excretio bilis impeditur, perit quoque ſecretio. Calculus vero cyſticus, ſi ductum cyſticum obſidet, bilis neque adfluit, neque decenter effluit. Bilis ergo, quæ ex hepate venit atque ad cyſtidem deferri oportet, copioſius ad inteſtina defluit. Si calculus ductum choledochum obſtruit, bilis partim in ductu hepatico remanet, partim ad cyſtidem copioſe defertur. Calculus, qui in cyſtide quieſcit, motui cyſtidis quandam dat eamque moleſtam reſiſtentiam. Per eum tenditur tunica nervea veſiculæ felleæ. Unde dolor oritur, qui ad alias partes nervoſas, cum cyſtide conſenſum habentes, facile propagatur.

§. XXV.

Bilis autem, ex qua calculi naſcuntur, iners oleiſque ſolvendis inidonea exiſtit. Talis bilis toto chylificationis negotio non apta, ſed plane inimica eſt. Ab illa chylus non rite elaboratur, qui ideo meſenterii viſcerumque obſtructiones producit, neque bonum dat corpori nutrimentum. Hæc mala exacerbantur, ſi bilis aut parce, aut non plane, ad inteſtina defluit. Unde corpori cachexia aut plane tabes, hydrops &c. inferuntur. Inteſtina vero atonia, doloribus, variiſque alvi pravis mutationibus vexantur.

§. XXVI.

§. XXVI.

Signa, ex quibus calculos bilarios adeſſe conſtet, pleraque morbis hepaticis familiaria ſunt. Igitur, ſi icterus adeſt, recte calculos ſuſpicamur. Illi, qui calculis laborant, faciem cachecticam, icteritiam fœdoque depravatam colore habent. Corpus plane non, aut male nutritur. Adeſt tenſio ac gravitas dolorifica in dextro hypochondrio. Reſpiratio eſt difficilis. Ventriculus per conſenſum nervorum ſæpe vomitu, nauſea, dolore vexatur. Cibus adſumtus male concoquitur: neque multum ab ægro expetitur. Sitis vero urget nimia. Aliaque ſigna adeſſe ſolent morbis hepaticis familiaria.

§. XXVII.

Calculi mala ſemper dant præſagia. Calculi enim & vermes ſunt res plane præternaturales, ut ſcite noſtri majores loquuntur morbi enim, qui ex calculis naſcuntur, toti corpori perniciem inferunt. Ab illis non modo bilis, ſed ſanguis omneſque in corpore humores varie vitiantur. Spes tamen ſupereſt, ſi bilem non multum de naturali ſua indole deflexiſſe deprehendimus. Minus quoque malum eſt, ſi non perfectus calculus, ſed levia tantum ejus ſtamina vaſa obſtruunt; ſi non omnia, ſed pauca tantum vaſa leviter a calculo obſidentur. Summum autem eſt periculum, ſi bilis plane iners reddita, aut omnino intercepta eſt, ſi denique calculi vaſa omnia ita infarciunt, ut illi neque vi naturæ, neque arte de loco, quem occupant, dimoveri poſſint. Quæ omnia, ex morbis, quos calculi gignunt, eorumque vi & magnitudine colliguntur.

§. XXVIII.

Curatio requirit, ut calculus reſolvatur, atque ex corpore educatur. Calculus veſicæ urinariæ ſaxeus & vere lapideus, ab urina ægri medicata ſive alcalica reddita, penitus diffringitur. Hoc teſtatur eruditus *David Hartley in diſſertatione ſua epiſtolica de lithontriptico a Johanna Stephens noviter invento.* Igitur quum hoc per multiplicem experientiam comprobatum eſt: multo magis calculus bilarius, maximam partem oleoſus, a menſtruis alcalicis, aut ipſa bile per artem alcalica reddita diſſolvetur. Alcalica autem ita in ſanguine ſine damno functionum corporis augeri poſſe demonſtrat ipſa experientia lithontriptici Anglicani.

§. XXIX.

Ut autem bilis calculo reſolvendo idonea ſit: neceſſe eſt, ut illi lixi-

vioſa alcalica indoles concilietur. Hoc vero fit per alcalica. Ergo conveniunt:

1. Lapidoſa alcalina, ut lapides cancrorum, conchæ præparatæ, chelæ ovorum, teſtæ cochlearum calcinatæ.

2. Salia alcalica fixa & volatilia ut, ſal abſynthii, Cardui Benedicti, Centauri minoris, fumariæ. Alcaheſt glauberi, ſal volatile cornu cervi, viperarum, tartari, ſalis ammoniaci, Tinctura tartari, ſpiritus ſalis ammoniaci, tinctura antimonii ſimplex & rhabarbarina.

3. Ex vegetabilibus amara, ut radix curcumæ, contrajervæ, taraxaci, rhabarbarum, abſynthium, Carduus Benedictus, Centaureum minus, fumaria, Tanacetum, Lignum moluccenſe, colubrinum &c. Ex quibus varia nunc decocta, nunc extracta, nunc infuſa parare convenit, quæ non modo reſolvendi vi, ſed etiam diluendi ſe commendant.

§. XXX.

Bilis per naturam lixivioſa ſeu ſaponacea gaudet natura. Unde maxime hic convenient lixivia alcalica, ut ex ſalibus herbarum, aut ex ipſis herbis incineratis confecta. Porro medicamenta ſaponaceæ virtutis: ut ſapo alicanticus, melle & ſupra indicatis permixtus. Tali alcalica lixivioſa, ac ſaponacea natura atque virtute ſe commendat methodus *Johannæ Stephens* in calculo veſicæ urinariæ ab ipſa aliiſque feliciter adplicata. Neque, illam in calculo bilario poſſe maximo cum fructu adhiberi, dubitamus. Nam omnia in ea remedia adſunt, quæ bili alterandæ atque in naturalem ſuam indolem reſtaurandæ ſufficiunt.

§. XXXI.

Methodus vero illa conſiſtit in *pulvere decocto* & *pillulis*. *Pulvis* ex calcinatis chelis ovorum, deinde ex teſtis cochlearum calcinatis conſiſtit. Ubi pulveris ex chelis ovorum calcinatis partes ſex, cum parte una pulveris ex teſtis cochlearum miſcentur.

Decoctum paratur ex ſapone alicantico, melle & pulvere naſturtii verrucoſi ad nigredinem combuſti: quæ primum in paſtam rediguntur, deinde cum vegetabilibus diureticis decoquuntur.

Pillulæ ex naſturtio verrucoſo, ex ſeminibus Dauci Silveſtris, Bardanæ, fraxini atque cynosbati cum capſulis, ſeminibus vel fructibus miſpillorum, ſpinæ albæ tomentoſæ latifoliæ vel cardui tomentoſi, acanthifolio Turnefortii. Hæc vegetabilia ad nigredinem calcinantur; pulvis deinde eorum cum pulvere ex chelis ovorum calcinatis, cum melle & ſapone alicantico miſcetur atque in pillulas redigitur.

§. XXXII.

Remedia ergo, quæ hic adhibentur, ut terræ ſubtiles alcalinæ, ſalia alcalica, ſapo ſive oleum cum ſale alcali fixo unitum, omnia noſtro morbo curando accommodata ſunt. Vegetabilia ideo calcinantur, ut vim alcalicam fortem acquirant magiſque concentratam. Per ignem enim vegetabilia oleoſa indolem alcalicam induunt, &, quæ jam alcalica ſunt, eis major atque fortior per calcinationem virtus conciliatur. Talia autem alcalica remedia acidum necant illudque in medium mutant, atque olea potenter reſolvunt. Inde bilis calculo reſolvendo fit idonea. Nam alcalica & ſaponacea natura illi ita reſtauratur: dum ſulphur aut olea bilis a ſale alcalica reſolvuntur.

§. XXXIII.

Sapo alicanticus ex ſale ſodæ, ſive herbæ kali cum oleo olivarum conficitur. Ea vero eſt ſaponum natura, ut gummata, reſinas, olea & omnia pinguia reſolvant eaque cum aqua reddant miſcibilia. Inde non dubium eſt, quin ſapo magnam reſolvendi vim in corpore noſtro exſerat atque vim alcalicam in vegetabilibus uſtulatis illoque decocto augeat. Mel vero etiam ſaponacea virtute gaudet: & facile ſubit fermentationem. Unde in ſanguine motus inteſtinus ſaliſque alcalici generatio promovetur.

Conſtat igitur omnia illa remedia alcalica, lixivioſa, ſaponacea aut oleoſa eſſe: quæ bili decentem naturam atque ſolvendi vim conciliant.

§. XXXIV.

Quod ſi ea, quæ methodum ſupra deſcriptam ingrediuntur, diſpliceant, alia poſſunt ſubſtitui, ſalva tamen methodo conſervata. Alia eligantur vegetabilia alcalico principio pollentia, aut oleoſa, quibus per ignem alcalica indoles conciliatur. Poſſent quoque ſalia ipſa alcalica fixa in officinis nota adhiberi. Si ſapo Hiſpanicus non ad manus erit, alius ſapo paretur ex lixivio alcalico & oleo: qui eo melior atque ad uſum medicum accomodatior erit, quo purius oleum & ſal alcalicum recipitur. Per talem ſaponem fit, ut ſalia alcalica & acria tuto & ſine magno corporis ejuſque functionum periculo in corpore operentur. Per olea enim ſal alcali obtunditur atque acredo ejus temperatur.

§. XXXV.

Salibus mediis quoque peculiaris quædam virtus ineſt. Illa enim non ſulphureas partes, ſed terram quoque reſolvunt. Talia ſunt arcanum tarta-

tartari, tartarus vitriolatus, reſolubilis, ſal mirabile Glauberi, borax &c. Huc pertinent quoque acido-ſulphurea. Acida enim pura quidem coagulant, ſed ſi cum principio ſulphureo combinantur, aut cum ſalibus alcalicis in mediam naturam abeunt, potentem vim acquirunt concreta ſulphurea reſolvendi. Talia conſurgunt remedia, ſi ſpiritus acidi, ut vitrioli, ſalis, nitri cum ſpiritu vini rite dulcificantur, aut cum ſale tartari in medium ſal convertuntur.

§. XXXVI.

Salia alcalica eo citius in bile reſtaurantur, ſi motus inteſtinus promovetur; per quam ſalia acida cum terra & oleis uniuntur. Talis vero motus excitatur per omnia ſupra recenſita, ſed omnium potentiſſime per olea ætherea deſtillata, ut oleum cinnamomi, caryophillorum, macis, citri &c. Quum vero oleorum illorum doſes non guttulis, ſed guttulæ doſibus menſurari debent, ut acute monet *B. Wedelius:* olea deſtillata non niſi parce atque exigua doſi & ſtimuli ergo, aliis remediis addita convenient. Sapo etiam ex illis oleis cum ſale puro alcalico fixo paratus tali tamque penetrante virtute ſe commendat. Huc quoque referuntur balſama nativa, ut peruvianum, & balſama ex oleis æthereis parata, tandem aromata. Hæc omnia, licet nullam vim atque indolem alcalicam poſſideant, tamen, motum ſanguinis & progreſſivum & inteſtinum augendo, ſalis alcalici generationem excitant promoventque.

§. XXXVII.

Per purgantia adhibita calculos per alvum excretos eſſe ſæpe obſervatum eſt. Per illa enim viſcera abdominis commoventur & vaſa bilifera cyſtiſque fellea ad bilem excernendam calculumque ſede ſua movendum ſtimulantur. Quem in finem fortiora convenient purgantia; quæ calculis loco ſuo dimovendis ſufficiant. Per ea quoque inteſtina a cruditatibus ex chylo non ſatis elaborato ortis expurgantur, atque a variis incommodis præſervantur. Materia calculi ſulphureo-terrea in ſanguine imminuitur, ſic illa in renibus ſecreta cum urina educitur. Promovenda ergo eſt Diureſis: quod obtinetur per ſalia media, alcalina, terreo-alcalina, atque acido-ſulphurea: quæ omnia jam ſupra indicavimus.

§. XXXVIII.

Morbi ex calculis eorumve materia orti curantur, ſi calculi ipſi, tanquam cauſa, removentur. Sed tamen illis morbis peculiari cura proſpici debet: ne dum calculos curare velimus, morbis faveamus. Prudenter ergo perpendendum eſt, num ſalia alcalica, volatilia, vel fixa num

media vel acido-ſulphurea magis adhibenda ſint. Inprimis vero neceſſe eſt, ut chyli decens elaboratio promoveatur. Chylus enim rite elaboratus multum calculis materiam præſcindit. Ventriculus & inteſtina cruditatibus libera conſerventur: eorumque tonus roboretur. Ubi convenient ex ſupra indicatis ſalia media, aromata omnia atque oleoſa aliaque vitiis ſtomachi dicata remedia.

§. XXXIX.

Nihil vero magis illum, qui calculis laborat, decet, quam congrua diæta, aër ſit temperatus. Calidus enim bilem facile ad extrema corporis invitat. Vitetur cibus crudus, viſcidus, durus & exſiccatus, farinaceus non bene fermentatus; neque cibus nimia copia atque indecenti tempore & mora ingurgitetur. Ita enim chylus non rite elaboratur & crudus ad ſanguinem defertur calculique materiam auget. Nocet potus acidus, iners, atque nimis ſpirituoſus. Potus iners & nulla qualitate ſalina præditus ſalia noſtri corporis nimis diluit, ſerique vim ſolventem imminuit. Abuſus ſpiritus vini ſalia ſolventia in actione ſua impedit atque ſeri producit coagula. Convenit ægris maxime potus medicatus. Prodeſt vinum, non acidum, ſed generoſum & moderate ſumptum. Motus atque exercitatio corporis modica convenit: quia per illam motus humorum per hepar promovetur. Adfectus animi ſint hilares, ſed moderati: ſi excedant aut triſtes ſunt, nocent.

FINIS.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

OB graviorem morbum quo detentus eſt Illuſtriſſimus HALLERUS, hic deſideratur Tabula Diſputationum tertii hujuſce tomi; ut ut enim virum illum in bona publica convaleſcentem jam cum omnibus Bonis gaudeamus, vetuit tamen debilitas manum operæ admovere; nullum vero inde tibi, benevole Lector, præter moram detrimentum; prædictam ſiquidem Tabulam paucos poſt menſes, cum poſterioribus propulgabimus tomis. Vale.